PROPHETAE

MINORES

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

VOLUMEN TERTIUM.

MICHA, NAHUM ET HABACUC.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXVII.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.

PARTIS SEPTIMAE,

PROPHETAS MINORES CONTINENTIS,

VOLUMEN TERTIUM.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE
SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII
MDCCCXXVII.

IN MICHAM PROOEMIUM.

Michas, Moraſchtaeo - Judaeus [1]), in regno Judaico prophetae munere functus eſt Jothamo, Ahaſo et Hiskia imperantibus [2]). Suppar igitur Jeſajae fuit, quamvis in prophetiae munere paulo inferior, quum ille jam Uſia regnante vaticinari coeperit. Quum principum illorum ſatis diuturna regna eſſent, et inter Jothami initia et Hiskiae mortem ſexaginta intercederent anni, ſatis inde liquet, longo annorum tractu munere ſuo functum fuiſſe Micham, quamvis quoto Hiskiae anno mortuus fuerit, definiri nequeat. Oraculum a noſtro ſub Hiskia editum de Hieroſolymitanae urbis deſtructione memoratur Jerem. XXVI, 18., legiturque his ipſis verbis in hac vaticiniorum ſylloge III, 12. Inſcriptionis huic libro praefixae fidem nuper in ſuſpicionem vocavit A. T. Hartmann [3]), qui poſt decimum quartum demum Hiskiae annum Micham vaticinatum contendit, ratio-

1) הַמּוֹרַשְׁתִּי Vid. de hoc nomine not. ad I, 1.

2) I, 1.

3) In Prolegomenis ad Micham a ſe Commentario illuſtratum et vernacule redditum (Lemgov. 1800.) p. 8. ſeqq.

rationibus ex ipſo ſermonum argumento ductis, quae quantum valeant videamus. Ac primum quidem Capitis primi verſiculos 6. et 7. nec non Verſum 16. ad Samariam, a Salmanaſſare, Aſſyrio rege, deſtructam, atque regni Iſraelitici cives in Aſſyriam exules miſſos, Verſus 9. 12. et 13. vero ad Sanheribi in Judaeam irruptionem, decimo quarto regnantis Hiskiae anno, manifeſte ſpectare ait; quae autem jam geſta et facta fuerint, exponi in locis illis pro more poetarum per vaticinii modum. Jam inſpiciamus indicata ab Hartmanno loca. Inter varias poenarum comminationes, quae juſto Dei judicio Judaeis et Iſraelitis ob multa et gravia ſcelera infligendae ſint, Verſibus 5. 6. 7. Capitis primi haec quoque leguntur: *Quod eſt autem Jacobaeorum peccatum, niſi Samaria? aut quae ſunt Judaeorum ſacella, niſi Hieroſolyma? Itaque ego Samariam in agreſte rudus, in vinearum plantaria redigam; congeſtisque ejus lapidibus in vallem ejus fundamenta pateſaciam, atque ejus omnia ſimulacra contundenda, omnem quaeſtum comburendum curabo, omnia ſigna in vaſtitatem redigam.* Tum Verſu 16. *Glabreſce et tondere ob tuarum deliciarum filios! Habe glabretum quantum aquila, quippe illis a te exſulantibus.* Haec generatim minantur reipublicae ruinam, atque incolarum exſilium, nec ineſt verbis quidquam, quod arguat, obverſatam eſſe ante Noſtri mentem aut oculos everſam ab

Aſſy-

Aſſyriis Samariam. Imo ſtante adhuc et florente utroque regno, Judaico atque Iſraelitico, editas eſſe, quae in hoc vaticiniorum libro leguntur, comminationes, ſatis teſtatur illud, quod in caſtigandis et objurgandis non ſolum Judaeis, verum et Iſraelitis Noſter perpetuo verſatur, et ita quidem, ut utrosque paſſim distincte et distribute appellet[4]). Poſt exſtinctum autem regnum Iſraeliticum quonam conſilio aliquis talia confinxerit? Nec firmiore fundamento nititur, quod Hartmannus Capitis I. Verſibus 9. 12. 13. de Sanheribi in Judaeam incurſione et urbis Hieroſolymitanae oppugnatione *manifeſte* agi perhibet. Nam quod primum locum (Vs. 9.) attinet, vates, poſtquam Vss. 6. 7. Samariae interitum comminatus eſſet, ad Judaicum regnum progrediens, idem fatum et hoc manere praevidet. Jam nunc mente et cogitatione hoſtis in Judaeam irrumpentis et Hieroſolyma aggredientis furorem ac violentiam proſpiciens acerbiſſimis lamentis ſeſe dat, vivideque deſcribit formidinem et pavorem, quo correpti urbium Judaicarum incolae adventantibus hoſtilibus copiis in fugam ſeſe ſint converſuri. *Commigrate*, inquit Vs. 11. et ſeqq., *Saphiris incolae, turpiter detecti! Ne exeunto Saananis incolae! Bethaeſelenſis luctus ducet a vobis initium. Dolent enim ob bonum amiſſum Marothenſes, quoniam deſcendit a Jova*

4) Veluti I, 5. II, 12. III, 19.

Jova malum ad portam Hierosolymae. Junge veredis currum, incola Lachis, quae puellae Sioni peccati principium fuisti, quoniam in te reperta sunt Israelitarum peccata. Ideoque munera dabis ob Gethensem possessionem, domos Achsibenses, Israelitarum regibus fallaces. Aliquando depopulatorem tibi inducam, incola Maresae, ad Odollam veniet Israelitarum gloria. In quibus omnibus ne leve quidem vestigium, quod Nostrum de Sanheribo cogitasse arguat. Imo ad ejus irruptionem haec referre vetat omnino *exsulum* Judaeorum mentio Vs. 16., quem paullo antea attulimus. Sanheribus tanta accepta clade, qualis 2 Reg. XIX, 35. describitur, de abducendis secum captivis Judaeis vix cogitaverit. Quod Michas Hiskia demum regnante prophetae munere fungi coeperit, concludit Hartmannus e loco etiam Jeremiae XXVI, 18., ubi Michas Moraschtaeus *sub Hiskia* vaticinatus esse dicitur, nulla ceterorum, qui in nostri libri inscriptione nominantur, regum mentione ibi facta. Verum indicato Jeremiae loco [5]), illud tantummodo oraculum, quod ibidem affertur, a Micha Hiskia regnante pronunciatum dicitur, ut taceamus, non fuisse eorum, qui illud afferunt, consilium,

---

5) Verba haec sunt: *Michas Moraschtaeus vaticinatus est Hiskiae, Judaeae regis, tempore dixitque omni Judaeo populo, sic dicere Jovam, agminum Deum, fore, ut Sion ager araretur, et Hierosolyma essent rudera, et templi mons sylvestria fastigia.*

rum, quibus regibus Noster prophetiam egerit, accurate definire. Sed neque hoc admittit Hartmannus, quod ingenui illi viri apud Jeremiam testantur, oraculum ab eis allatum, quod nunc in nostro libro III, 12. legitur, sub Hiskia editum fuisse. Manassis potius aetati non illud solum, verum et quae sex posterioribus Capitibus leguntur oracula adjudicanda censet, hac sola ratione motus, quod pio Hiskia rege tot et tanta scelera, qualia Michas in suis sermonibus Judaeis objurgat, inter eos regnasse non sit verisimile. Quasi vero pio principe et omnes cives regis sui exemplum sequi soleant! Si vero urgeas, impii principis temporibus graves istiusmodi objurgationes multo magis congruere, cur illas non ad Ahasi aetatem referre malis, quo regnante Nostrum prophetae munere functum esse, inscriptio testatur? Neque praetermittendum est, quod Hartmannus minus videtur perpendisse, Michae vaticinia tangere non solum regnum Judaicum, verum Israeliticum quoque [6]), cujus utriusque regni proceres et cives promiscue subinde compellat, saepe etiam diserte conjungit [7]). Nihil vero nostris vaticiniis inesse,

---

6) In libri inscriptione dicitur, contineri eo vaticinia, quae edidit *de Samaria et Hierosolymis*; cf. not. ad ea verba.

7) Vid. loca not. 4. memorata. Haud pauca praeterea, Micha posteriora, suorum vaticiniorum syllogi inserta animadvertisse sibi visus est Hartmannus (veluti IV, 9—14. VII, 7—17.), de quibus illis ipsis locis videbimus. Plura contra

inesse, quod historiae temporum illorum, quibus Michas vixisse traditur, repugnet, apparebit considerandi faciem utriusque regni ista aetate, qualis in Regum et Chronicorum libris describitur [8]. In Israelis regno rerum potiebatur Pekachus, qui exemplo majorum suorum per sanguinem ac caedem antecessoris sui solium invaserat, ipsemet pariter ab Hosea successore suo postmodum interemptus. In regno Judae Jotham, pietatis quidem veraeque religionis laude inclytus, idolorum sacella tamen non abolevit [9]. Hujus porro filius, Ahasus, peregrinae superstitioni omnisque generis sceleribus adeo immersus erat, ut vel regni Israelitici improbitatem superaret Juda [10]. Hiskias rursus sincero quidem studio Jovam colebat, et pietati operam dabat; regni tamen sui cives flectere omnino non valebat, ut nuncio idololatriae misso, veri numinis cultum serio amplecterentur. Talibus igitur temporibus nihil reliquum fecit Michas, quo grassantia inter Judaeos aeque ac Israelitas scelera acerbe et severe insectaretur, praecipue superstitiosos idolorum cultus, iniquitatem, crudelitatem, rapinas populi, procerum et sacerdotum. Promeritas interminatur

---

contra illum verissime disputavit JAHN *Einleit. in die göttl. Bücher des alten Bundes* Vol. II. P. II. §. 99. p. 430. seqq.

8) 2 Reg. XV — XVIII. et 2 Chron. XXVI — XXXI.

9) 2 Reg. XV, 35.

10) 2 Chron. XXVIII.

natur poenas vaſtationem, et excidium regnorum et urbium, et quae bellum comitari ſolent calamitates, ab Aſſyriis, vicinis et potentibus Iſraelitarum hoſtibus, propediem Iſraelis regno inferendas. Hisce tamen, pro more prophetarum, ſuaviſſimas, quibus proſtratos piorum animos erigeret et demulceret, promiſſiones interſerit de Hieroſolymae olim futura reſtauratione, deque aureae aetatis reditu, auſpice magno aliquo rege e gente Davidica oriundo, cujus adeo ipſum locum natalem deſignat [11]). Ceterum in hoc libro complurium annorum effata ita ſunt coagmentata in unum ſyntagma, ut objurgationes, comminationes, conſolationes atque promiſſa per vices ſibi ſuccedant. Singulorum vero ſermonum fines conſtituere, ſuumque unicuique tempus aſſignare fruſtra aggrediaris.

Stylo utitur Michas brevi, conciſo, praecipiti, Hoſeano ſimillimo. Quum autem vivido quodam igne inardeſcat, et ex uno in aliud ſubito transvolet, obſcurior eſt, minusque legentibus pronus.

Vixit Achabo Iſraelitis imperante in decem tribuum regno vates Michae nomine [12]), Jemlae filius, qui quum cladem Iſraelitis a Syris infligen-

---

11) V, 1.

12) Confundit eum cum Noſtro, quem tamen integro ſesquiſeculo antevertit, Pſeudo-Epiphanius *de vitiis Prophetarum* Cap. XIII. T. II. *Opp.* p. 245.

ſligendam et ipſius regis mortem praedixiſſet, Achabi juſſu in vincula conjectus narratur [13]), in quibus detinendus eſſet, donec ſalvus redierit rex. Cui Michas dixiſſe fertur [14]): *Si quidem ſalvus redieris, tum Jova mecum loquutus non ſit;* quibus ſtatim ſubjicitur: *et dixit: audite populi univerſi!* Quae ipſa verba noſtri Michaeani libri exordium faciunt. Et aptiſſimus ſane eis locus eſt in fronte vaticiniorum, in magnifica illa obteſtatione, qua omnis natura ad attentionem excitatur. Sed poſt illud Michae effatum, quod in libri Regum loco indicato legitur, verba illa non ſolum aliquid manci et hiulci habere, verum et prorſus aliene poſita eſſe, nemo facile, qui ea attente legerit, non ſentiet. Qui enim Michae illi antiquiori in mentem venire poterat, praedictionis, quae ſolum Achabum ſpectaret, *omnes populos* teſtes evocare [15])? Vix dubium eſſe poteſt, verba illa, Michaeano effato in libro Regum addita: *audite populi univerſi!* deſumta eſſe e noſtri libri initio, eumque qui illa addidit, innuere voluiſſe, eam vaticiniorum ſyllogen, quae verbis illis orditur, Michae illius antiquioris eſſe. Unde colligere licet, tunc cum

Regum

13) 1 Reg. XXII, 27.

14) Vs. 28.

15) Sunt, qui עַמִּים eo loco *populares* vertant, ut ſoli intelligantur Iſraelitae, plane repugnante uſu illius nominis. Vid. not. ad I, 2.

Regum libri in eam, qua hodie leguntur, formam redacti sunt, exstitisse quidem nostrum Michaeanorum vaticiniorum volumen, verum sine integra, quam nunc praefixam habet, inscriptione, in qua prophetae aetas accuratius designatur.

Addimus indicem eorum, qui Michaeanis vaticiniis illustrandis singularibus commentariis operam navarunt.

Theodori Bibliandri *Commentarius in Micham*, Tiguri, 1534. in octon.

Paulli Constant. Phrygionis *Commentarius in Micheam*, Argentorati, 1538. in octon.

Martini Lutheri *Commentarius in Micham prophetam, collectus ex ejus praelectionibus, nunc primum in lucem editus per Vitum Theodorum.* Viteberg. 1542. in octon., et Basil. 1543. in octon., cum Lutheri expositione Cantici Canticorum, ac Viti Theodori epistola ad Joannem Briesmannum; nec non Francofurti, 1546. in octon. Locum obtinuit hic commentarius in Lutheri Operibus Latinis, Vitebergae editis, T. IV. p. 427., ac Jenae editt. T. IV. p. 529. In vernaculum sermonem translatus est a *Steph. Reichio*, et publicae luci expositus hac inscriptione: *Auslegung des Propheten Michä*, Regiomonte, 1555. in quatern. Translata est haec versio in Lutheri *Opera Germanica* Vite-

Viteberg. T. VIII. p. 446., Altenburg. T. VII. p. 67., Lipſienſ. T. VIII. p. 348., Halenſ. T. VI. p. 2700. Quae ad hiſtoriam hujus commentarii pertinent enarravit J. G. Walch in Praefatione editionis Halenſ. Tomo VI. praemiſſa p. 26.

A Commentary upon Micha by Anton Gilby, London, 1551. et 1591. in octon.

Joa. Draconitis *Joel, Micheas et Zacharias prophetae ebraice, cum translationibus Chaldaica, Graeca, Latina et Germanica, explicatione propheliae, et indice regni Chriſti.* Vitemb. 1565. fol.

David Chytraei *Explicatio Michae et Nahum prophetarum*, Viteberg. 1565. in octon. Exſtat in Chytraei *Operum* T. II. p. 2183.

Gaspar. Graxar *Commentarius in Micheam prophetam*, Salmanticae, 1570. in octon.

Alberti Graueri *Expoſitio plena et perſpicua prophetae Micheae, inque hac quaeſtiones inter Lutheranos, Photinianos, Pontificios et Calvinianos controverſae*, Jenae, 1619. et 1664. in quatern.

Thomae Banghi *Fontium Iſraelis Trias, Jona, Michea et Ruth*, Hafniae, 1631. in octon.

De Ed. Pocockii *Commentar. in Micham* vid. Prooem. in Hoſeam p. 19.

Uitlegginge van den Propheet Micha, waarin de Kracht der Grondwoorden, Spreckwyſen,

wyſen, Gewoontens van verſchiedene Volkeren, en veelerley Oudheden en Geſchiedeniſſen verklaardt worden, door Theodor van Toll. Tot Utrecht, 1709. in quat.

Animadverſiones philologico-criticae ad vaticinia Michae, ex collatione verſionum Graecarum reliquarumque in Polyglottis Londinenſibus editarum, praeſ. Chr. Frid. Schnurrer auct. Reſp. Jo. Guil. Andler. Tubing. 1783. in quat.

Georg. Laur. Bauer *Animadverſiones criticae in duo priora prophetae Michae capita.* Altdorf. 1790. in quat.

• *Die Orakel des Propheten Micha, überſetzt von* Arnold Heinr. Grosschopff. Jena 1798. in octon.

Micha, neu überſetzt und erläutert von Karl Wilh. Justi. Leipzig, 1799. in octon.

Micha, neu überſetzt und erläutert, und mit funf Excurſen begleitet von Ant. Theod. Hartmann (nunc Theolog. Roſtoch.). Lemgo, 1800.

MICHAS.

Cap. I.

ARGUMENTUM.

Post excitatam ad attentionem universam rerum naturam (Vs. 2.) Samariae totique regno Israelitico ob scelera gravissima, cultum potissimum idolorum, dira denunciat supplicia a Jova immittenda; fore ut Samariae urbs, regni caput, penitus subvertatur, et incolae ab hoste barbaro ad alienum solum traducantur, quamobrem lugubre tollit lamentum (Vs. 3—8.). Deinde eandem cladem minatur Judae et urbibus ejus, quas singulas compellat (Vs. 9—16.). Exstat Jo. Christoph. Harenbergii *Exercitatio exegetica in vaticinium Michae Cap. I. de excidio regni Israelitici* in *Symbolis Litterariis ex Haganis factis Duisburgensibus, curante* J. P. Berg, T. II. P. I. Hag. Comit. et Duisburg. 1784. 8.

1. Versus hic primus libri epigraphen sistit, qua vaticiniorum, quae eo continentur, auctor, ejusque patria et aetas, nec non in quos illa directa sint, exponitur. Hanc epigraphen serius additam videri, observavimus supra in Prooemio (p. 9.). Pro דְּבַר-יְהוָה Chaldaeus posuit: פִּתְגָם נְבוּאָה מִן קֳדָם יְיָ *Verbum prophetiae a Jova*, ut Hos. I, 1. Joel I, 1. Jon. I, 1. Vatis nostri nomen, מִיכָה, contractum e מִיכָיָה (unde Graeci interpretis Μιχαίας, et Hieronymi *Mi-*

Michaeas), quomodo legitur Jerem. XXVI, 18. in textu (nam ad marginem eſt מִיכָה), et hoc e מִיכָיְהוּ, uti habetur 1 Reg. XXII, 8. 9. et 2 Chron. XVIII, 7. 8., pro quo ibid. Vs. 14. מִיכָה ponitur, per literae extremae Vau apocopen, quales in יִרְמְיָה pro יִרְמְיָהוּ, in יֹאשִׁיָּה pro יֹאשִׁיָּהוּ, et in אֲמַצְיָה pro אֲמַצְיָהוּ, ſignificat מִי כַּיהוָֹה, *quis ſicut Jova?* Convenit igitur ſignificatione cum מִיכָאֵל, *quis ſicut Deus eſt?* coll. Mich. VII, 18. מִי־אֵל כָּמוֹךָ, *quis Deus ſicut tu?* Alii, ut Hillerus in *Onomaſt.* p. 466. 494. et 541., atque Simonis *Onomaſt.* p. 78. 537., nomen מִיכָה referunt ad radicem מוּךְ, i. q. מָכַךְ, *attenuari, atteri*, exponuntque *attritionem Jovae*, i. e. attenuationem virium maximam. Ad eandem illam radicem retulit Noſtri nomen Abarbenel, qui ab *humilitate* et *infirmitate* illum dictum autumat. In quo conſentit cum Hieronymo, cujus in Praefatione ad Commentarium in hunc vaticiniorum librum haec ſunt verba: „Sermo Dei, qui ſemper deſcendit ad prophetas, deſcendit ad Michaeam quoque, qui interpretatur *humilitas.* Humilitas autem non illa, quae venit de conſcientia peccatorum, ſed quae inter virtutes ponitur, juxta quam dicitur (1 Petr. V, 6.): *Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* Et (Luc. XVIII, 14.): *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Et (Proverb. XVI, 18.): *Ante contritionem elevatur cor viri, et ante gloriam humiliatur.* Unde et Dominus (Matth. XI, 29.): *Diſcite*, inquit, *a me, quia mitis ſum et humilis corde.* Quomodo ergo apud nos votiva, et quaſi ob virtutis auſpicium ponuntur vocabula, verbi gratia: *Victoris, Caſti, Pii, Probi*, et apud Graecos Σώφρων vocatur et Εὐσεβής, et appellativa nomina vertuntur in propria, ſic apud Hebraeos et Michaeas, et Abdias, et Zacharias, ceteraque his ſimilia, ex virtutum vocabulo liberis a parentibus imponuntur.“ Cognomen הַמֹּרַשְׁתִּי, Noſtro et Jerem. XXVI, 18. tributum, τὸν Μωρασθίτην, pro quo in codice Alexandrino legitur τὸν τοῦ Μωρασθεῖ (ita et Arabicus interpres إِلَى مِيخَا بْنِ مُورَاثِي), Cyrillus

ita

ita capiendum cenfet, ut patrem vatis indicet, etfi non refragetur, ut de patria ejus intelligatur. Χρὴ δὲ, inquit, εἰδέναι πάλιν, ὡς Ἑβραῖοι γεγράφασιν ἀντὶ τοῦ Μωρασθὶ τὸν Μωρασθίτην, ἵνα μὴ ὡς ἐκ πατρὸς, ἀλλ' ὡς ἐκ τόπου σημαίνεται· φασὶ γὰρ εἶναι τὸν Μωρασθὶ πόλιν, ἤτοι πολίχνην εἰς Ἰουδαίων γένεσθαι χώρας· συμφέρονται δὲ τῇ ἐκδόσει καὶ οἱ ἕτεροι τῶν ἑρμηνευτῶν· οὐκοῦν εἴη ἂν οὐχὶ τοῦ προφήτου πατὴρ ὁ Μωρασθὶ, σημαίνηται δὲ ὡς ἔφην ἐκ τόπου μᾶλλον καὶ Μωρασθίτης. Potior tamen omnino eorum opinio eft, qui gentile nomen Morafchti patriam notare, pro certo habent. Quum autem gemina exftiterit urbs Judaeae, *Marefa*, cujus Jof. XV, 44. 1 Chron. II, 44. IV, 21. 2 Chron. XI, 8. XIV, 9. 10., et infra Vs. 15. fit mentio, *locus*, tefte Eusebio *de Locis Hebraicis, in tribu Judae, cujus nunc tantummodo funt ruinae, in fecundo lapide Eleutheropoleos; et Morefcheth*, quam Hieronymus loco fupra laudato *Morafthi* appellat, *qui*, addit, *usque hodie juxta Eleutheropolim, urbem Palaeftinae, haud grandis eft viculus;* uter horum locorum pro Michae patria habendus fit, incertum eft. Qui Marefam volunt, auctorem fequuntur Chaldaeum, qui מְמָּרֵשָׁה pofuit; qui Morefcheth, Eufebii et Hieronymi auctoritate nituntur. Cf. libr. noftr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p. 352. Tempus porro, quo vixit vates vaticiniaque fua edidit, indicatur verbis, quae fequuntur: *in diebus Jothami, Ahafi, Hiskiae, regum Judae.* Unde apparet, Noftrum aequalem fuiffe Hofeae, Amofo et Jefajae, licet Hofeas et Jefajas paulo prius munus propheticum obire inchoarint, fub Ufia, Jothami antecefforе. Hieronymus: „Verbum Domini factum eft ad Michaeam poft Ofee, Amos et Efajam, qui fub Ozia vaticinati funt. Ex quo intelligimus, Michaeam Oziae temporibus non prophetaffe, fed filii ejus Joatham, poft quem regnavit Achaz, Ezechia in patris Achaz imperium fuccedente, fub quo decem tribus ab Affyriis in captivitatem ductae funt.“ Ceterum inde, quod foli reges Judae hic commemorantur, colligere licet, Micham in eo tantummodo

modo regno prophetam egiſſe, quamvis et in decem tribuum regnum vaticinia ediderit, ut diſerte ſignificatur verbis, quae ſubjiciuntur: אֲשֶׁר־חָזָה עַל־שֹׁמְרוֹן וִירוּשָׁלָֽם *quod* verbum Jovae *vidit*, i. e. quae vaticinia a Jova ſibi ſuggeſta profatus eſt (vid. de verbo חָזָה pro נִבָּא poſito not. ad Jeſaj. I, 1.) *ſuper Samaria et Hieroſolymis*, i. e. ſuper regno Iſraelitico, ſive decem tribuum, cujus caput Samaria, et ſuper regno Judaico, cujus caput Hieroſolyma erat. Samaria vero, ſeu regnum Iſraeliticum Judaico hic et Vs. 5. praemittitur, quod prius vaſtatum fuit, ſicut ſcelere et impietate praeiverat. Hieronymus: „Quantum ad hiſtoriam pertinet, ſecundum ordinem captivitatis, quia primum eſt capta Samaria, metropolis Iſrael; poſtea Hieruſalem, urbs Judae, prophetiae titulus ponitur primum de Samaria, ſecundo de Hieruſalem.“

---

2. שִׁמְעוּ עַמִּים כֻּלָּם *Audite populi univerſi!* Magnum aliquid indicat hic exordiendi modus, quo et Jeſajas utitur ſub haec eadem tempora, I, 2. *Audite coeli, auribus percipe terra! nam Jova loquitur.* Item multo antea Moſes Deut. XXXII, 1. *Audite coeli quae loquor! audiat terra verba oris mei!* Eſt autem haec graviſſima captandae attentionis forma, cum res etiam inanimatae excitantur, ut de re maximi ponderis non ſuo, ſed ipſius Jovae nomine dicturum prophetam attente et reverenter auſcultent. Cf. infra VI, 2. Jerem. XXII, 29. Miram ſyntaxin vocat Lightfoot *Chronol. V. T.* in *Opp.* T. I. p. 99. עַמִּים כֻּלָּם *vos populi, omnes illorum!* Verum כֹּל proprie nomen ſubſtantivum, quaſi dicatur: imo *univerſitas eorum* (populorum) audiat. Nec inſolens eſt apud Hebraeos, Vocativum ſequi aut praecedere tertiam perſonam ſuffixi, quale eſt, quod ſequitur: *o terra et plenitudo ejus!* Sic Job. XVII, 10. כֻּלָּם תָּשֻׁבוּ *vos omnes redite!* 1 Sam. VI, 4. *Plaga una* לְכֻלָּם וּלְסַרְנֵיכֶם *vobis omnibus et ſatrapis veſtris*, pro לְכֻלְּכֶם. Cf. Storrii *Obſervatt. ad Anal. et Syntax. Hebr.* p. 389.

et

et Gesenii *Lehrgeb.* p. 742. *Populos,* עַמִּים, ſunt qui h. l. tribus atque familias Iſraeliticas appellari exiſtiment, quod vetat uſus loquendi. Cum ſuffixis quidem junctum עַמִּים denotat *populares,* ut Levit. XIX, 16. *Ne detractor circumeas* בְּעַמֶּיךָ *inter populares tuos.* Et XXI, 1. *Propter cadaver ne polluat ſe* בְּעַמָּיו *inter populares ſuos.* Vid. et Hoſ. X, 14. Sed abſolute, ut hic, poſitum, ſemper denotat *populos.* Magis praeterea poeticum eſt, populos omnes et terram univerſam ad attentionem excitari, quam tribus Iſraeliticas. LXX noſtra verba reddiderunt: Ἀκούσατε λαοὶ λόγους, quod et Arabs expreſſit. Illos interpretes vero non דְּבָרִים pro כֻּלָּם legiſſe, ut Bauerus in *Animadverſſ.* p. 4. conjicit, arbitramur, ſed כֻּלָּם retuliſſe ad res audiendas, hoc ſenſu: *audite, populi! omnia iſta* verba Jovae, quae prolaturus ſum. Andler in *Animadverſſ.* p. 2. interpretem Arabici كلام *ſermo* reſpexiſſe exiſtimat. Hieronymus tamen in ſuo τῶν LXX codice λαοὶ πάντες videtur legiſſe. Vertit enim Graeca: *audite, populi omnes.* הַקְשִׁיבִי אֶרֶץ וּמְלֹאָהּ *Auſculta terra et plenitudo ejus,* i. e. quicquid in ea continetur. Cum praeceſſit terra, aut locus aliquis, adjungi ſolet מְלֹאָהּ, quod active ſumendum, et id ſignificat, quod locum aliquem complet, ut Jeſaj. XLII, 10. יוֹרְדֵי הַיָּם וּמְלֹאוֹ *qui deſcendunt in mare, et quidquid eo continetur.* Et Pſ. XXIV, 1. *Jovae eſt* הָאָרֶץ וּמְלוֹאָהּ *terra quodque eam replet,* quod ſtatim explicatur תֵּבֵל וְיוֹשְׁבֵי בָהּ *orbis et ejus incolae.* Recte LXX וּמְלֹאָהּ h. l. verterunt καὶ πάντες οἱ ἐν αὐτῇ. Simili formula univerſam rerum naturam ad attentionem excitat Jeſajas XXXIV, 1. *Accedite, gentes, ad audiendum! et populi attendite!* תִּשְׁמַע אֶרֶץ וּמְלֹאָהּ *Audiat tellus et quidquid ea continetur, orbis et omnis ejus propago!* וִיהִי אֲדֹנָי יֱהוִֹה בָּכֶם לְעֵד *Et ſit Dominus Deus contra vos in teſtem.* Non eodem omnes explicant modo, cur divinum propheta teſtimonium imploret. Hieronymus et Theodoretus, quos plures alii ſequuntur, *teſtem* hic pro *vade* ſumunt, quaſi Deus ratas facturus ſit pro-

propheticas minas, et eventu ipſo oſtenſurus, non eſſe verba haec hominum commenta, ſed accepta divinitus oracula. Sed magis arridet Jarchii ſententia, quam plures et ſuae gentis et Chriſtiani interpretes ſequuntur, Deum advocari teſtem contra populum illum toties admonitum, quod ad illum propheta acceptum a Deo mandatum fideli denunciatione detulerit, ne quis cauſetur ſibi non praedictum, cum divini furoris pondus advenerit. Quaſi dicat propheta: ille qui ubique praeſens eſt, cujus oculos nihil omnino latet, novit quemadmodum datas mihi partes expleverim, et ad vos pertulerim. Cf. 2 Reg. XVII, 13. וַיָּעַד יְהוָה בְּיִשְׂרָאֵל וּבִיהוּדָה בְּיַד כָּל־נְבִיאָיו *conteſtatus eſt Jova contra Iſraelem et Judam per tot vates et* futura *praevidentes, dicendo: convertimini a pravis veſtris viis,* et quae ibi ſequuntur. בָּכֶם *Contra vos,* quia quum Dei mandata accepiſſetis a me, non tamen illis eſtis obſequuti. Juxta priorem ſententiam ſenſus hic erit: Deus contra vos praeſtabit, quod per me comminatus eſt, et propheticam fidem ſequuto fideliter exitu liberabit. אֲדֹנָי מֵהֵיכַל קָדְשׁוֹ *Dominus e templo ſuo ſancto.* Haec verba quidem cum ſequentibus in hanc ſententiam conjungunt: teſtis erit Deus eorum, quae nunc vobis eventura praedico, cum egreſſus e templo ſancto ſuo, ubi dum ſedem ſuam habuit mitem ſe populo quondam ſuo et benevolum exhibuit, hoſtiles conſcribet acies illisque ſe ducem et auſpicem praebebit. Alii cum praecedentibus ita conſociant, quaſi Deus de templo ſancto ſuo populum admoneat, et prophetae ſuo verba definita praeſcribat, quae deferat ad populum, edoceatque quod ab ultore Deo ſupplicium impendeat. Cum iis, quae praecedunt, nectimus haec verba et nos quidem, ſed in hunc ſenſum, ut teſtis advocetur Deus, ut humano modo praeſens adſit, ſpectetque, quemadmodum data ſibi a Deo mandata fideli legatione deferat ad populum, quo ſuo caveat capiti, et omnem aliis ſuorum peccatorum honeſtam excuſationem praecidat. *Templum* autem *ſanctum ſuum,* הֵיכַל קָדְשׁוֹ, vocatur aut illud, quod excitatum a Salomone

fuerat, ubi Jova ſtabile et proprium domicilium habere credebatur, ut Pſ. LXXIX, 1. *O Deus, gentes tuum adgreſſae patrimonium* טִמְּאוּ הֵיכַל קָדְשֶׁךָ *pollunt ſacrum tuum fanum*, vid. et Jon. II, 5.; aut certe *coelum*, quod templum dicitur Dei, quia ibi habitare exiſtimabatur, quod praeferendum, quia coelum magis eſt opportunus locus, ſi rei naturam ſpectes, et de Deo ſecundum humanum ſenſum cogites. Ita Pſ. XI, 4. *Jova* בְּהֵיכַל קָדְשׁוֹ יְהוָה בַּשָּׁמַיִם *in templo* ſ. *palatio ſuo ſancto, in coelis habens ſolium ſuis oculis adſpicit, ſuis luminibus hominum genus probat.* Ita Pſ. CII, 20. *Proſpectat* מִמְּרוֹם קָדְשׁוֹ *de excelſo ſancto ſuo*, Dominus, *de coelo terram intuetur.* Cf. Pſ. XXXIII, 13. Deus ergo, qui in coelis eſt, unde omnia proſpectat, teſtis advocatur a Micha, quomodo Jobus XVI, 19. *Ecce*, inquit, *in coelo teſtis meus, et qui pro me teſtimonium exhibet, in excelſo.*

3. Eſt utique, inquit vates, cur univerſa rerum natura attentam ſe praebeat iis, quae a me ſunt proferenda, כִּי־הִנֵּה יְהוָה יֹצֵא מִמְּקוֹמוֹ *Nam ecce! Jova egreditur e loco ſuo.* Qui *ſancto* Jovae *palatio*, ſ. *templo*, quod hic *locus ejus* vocatur, templum Hieroſolymitanum intelligunt, hiſce verbis indicari putant, Deum nudum locum a ſuo praeſidio atque praeſentia relinquere. Quae priſcorum communis opinio fuit, quippe qui tamdiu civitatem aliquam incolumem fore ſibi perſuaſum habebant, quamdiu dii quidam certi et tutelares, quibus publica credebatur cuſtodia, manerent in templo, actumque tunc fore de communi ſalute, quando illi aut ultro excederent e templo, aut aliorum manibus tollerentur. Sed *locum* ſeu *habitationem Jovae* h. l. intelligendum eſſe *coelum*, vidimus ad Verſum ſuperiorem, ſpectantque haec verba manifeſto ad minas, quae ſequuntur. Quemadmodum igitur ille, qui cum nihil hoſtile in alios meditatur, quieto eſt animo, et domi ſe continet, at cum aliorum provocatur injuriis, furens et armatus prodit domo, vindictam anhelans; ſic Deus e loco, ubi ſe inju-

injuriarum patiens ad illud usque tempus continuerat, egrediens ſiſtitur eo habitu, ut de iis, qui ipſum ſceleribus laceſſerunt, ſupplicium ſumat. Ita Jeſajas XXVI, 21. הִנֵּה יְהוָֹה יֹצֵא מִמְּקוֹמוֹ לִפְקֹד עֲוֹן יֹשֵׁב־הָאָרֶץ עָלָיו *en! Jova prodit e loco ſua ad peccata habitantium terrae in ipſum vindicanda.* Chaldaeus noſtra verba ſic vertit: מִתְגְּלֵי מֵאֲתַר בֵּית שְׁכִינְתֵיה *conſpicuum ſe oſtendit de loco domus majeſtatis ſuae.* Hieronymus tunc Deum e loco ſuo arbitratur excedere, cum a ſua natura ingenioque ad benefaciendum prono ad puniendum hominem egreditur, ut *locus* pro eo ſtatu ſumatur, in quo quis diu et continenter haeret. „*Ecce,*“ inquit, „*egredietur Dominus de loco ſuo.* Qui enim mitis eſt et benignus, et cujus natura clementia eſt, veſtri cauſa cogitur perſonam, quam non habet, crudelitatis aſſumere.“ Sed genuinum ſenſum eſſe eum, quem primo indicavimus, non eſt dubitandum. Explicat enim eum quod ſubjicitur: וְיָרַד וְדָרַךְ עַל־בָּמוֹתֵי־אָרֶץ *et deſcendit et calcat ſuper excelſa terrae,* ut demonſtret ſuam potentiam et iram, cui et altiſſima quaeque ſubjiciuntur; cf. Amos IV, 13. et ibid. not. Chaldaeus: וְיִתְגְּלֵי וְיִדְרֹס יַת תּוּקְפֵי אַרְעָא *et conſpiciendum ſe praebebit conculcabitque robora* ſ. *munitiones terrae.* Quod in textu legitur, בָּמֳתֵי, cum Kamez brevi, formatur a Singulari בָּמָה cum terminatione Pluralis maſculina ad formam אָהֳלֵי; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 541. Sed quod in margine habetur, בָּמוֹתֵי, cum Kamez longo, eſt a Singulari בָּמוֹת, unde cum terminatione Pluralis maſculina בָּמוֹתִים, ſicut in אָחוֹת *ſoror.*

4. Magnifica deſcriptio ingredientis ſuper montium juga numinis. וְנָמַסּוּ הֶהָרִים תַּחְתָּיו *Et liqueſient montes ſub ipſo,* veluti in aquas reſoluti diffluent, ut qui praeſentiam irati vindicis ſuſtinere nullo modo poterunt. Ita Pſalm. XCVII, 5. הָרִים כַּדּוֹנַג נָמַסּוּ מִלִּפְנֵי יְהוָֹה *Montes cerae inſtar diffluent coram Jova.* Jeſaj. LXIII, 19. et LXIV, 2. מִפָּנֶיךָ הָרִים נָזֹלּוּ *coram te montes diffluunt.* Cf. et Amos IX, 5. 13. Graecus Alexandrinus interpres נָמַסּוּ σαλευθήσεται reddidit,

dit, quod Hieronymus *commoventur* vertit; ipſe accuratius *conſumentur* transtulit. וְהָעֲמָקִים יִתְבַּקָּעוּ *Et valles findent ſe*, ſcindentur, et concuſſae ingenti motu hiabunt mutatae in terribiles voragines. Verbum בָּקַע de *terrae ſciſſione* dicitur quoque, ſed in Niphal Num. XVI, 31. Zach. XIV, 4. LXX ταχήσονται verterunt, quomodo rectius נָמַסּוּ interpretati eſſent. Sed videntur ordinem invertiſſe ob כַּדּוֹנַג, quod ſequitur, cui aptius jungitur verbum, quod liquefactionem indicat, vereque junctum reperitur Pſalmorum loco, quem memoravimus. Pro וְהָעֲמָקִים, in quo veteres omnes conſentiunt, in codice Regiomontano ſecundo legitur והגבעות, non tamen punctis vocalibus inſtructum, et in margine exſtat וְהָעֲמָקִים. Codex quoque de-Roſſii numero 219. ſignatus notat, in aliis codicibus legi וְהַגְּבָעוֹת. Sed videtur id e locis parallelis Amos IV, 13. (וְכָל־הַגְּבָעוֹת תִּתְמוֹגַגְנָה) et Nah. I, 4. (וְהַגְּבָעוֹת הִתְמוֹגָגוּ) in aliquot codices irrepſiſſe. Addit vates illuſtrandae rei geminum ſimile, כַּדּוֹנַג מִפְּנֵי הָאֵשׁ כְּמַיִם מֻגָּרִים בְּמוֹרָד *ſicut cera a facie ignis, ſicut aquae profuſae in declive.* Quod utrumque non eſt referendum aut ad *valles* ſolas, aut ad *valles* et *montes* ſimul, ſed prius ad *montes*, primo loco nominatos, poſterius ad *valles*. Qualis exſtat duplicis ſimilitudinis diſtincta relatio ad duplicem enunciationem praemiſſam Cant. I, 5. *Nigra ego, et pulchra, ſicut tentoria Kedar, ſicut aulaea Salomonis*, i. e. *nigra ſum, ſicut tentoria Kedar, et pulchra ſicut aulaea Salomonis.* Quemadmodum igitur cera igne admoto celerrime liquefit, ita Noſter colliqueſcendos dicit montes accedente numine vindice. Eadem ſimilitudo Pſ. XCVII, 5. הָרִים כַּדּוֹנַג נָמַסּוּ מִלִּפְנֵי יְהוָה *montes cerae inſtar diffluunt coram Jova.* Et Pſ. LXVIII, 3. כְּהִמֵּס דּוֹנַג מִפְּנֵי־אֵשׁ *ſicut disſolvitur cera ad ignem, ita pereunt impii coram Deo.* Similiter ſicut aquae profuſae ex altitudine montis in declive humilius diffunduntur et ita disparent, ſic citiſſime valles diffindentur et tollentur, ut per terrae motus fit frequenter. מֻגָּרִים *Effuſae*, Participium Hophal verbi נָגַר, in Cal quidem in codice Hebraeo haud

haud obvii, sed Aramaeis usitati, quibus נְגַר *trahere, fluere* denotat, unde נַגְרָא *fluvius.* Cf. Vs. 6. et 2 Sam. XIV, 14. כַּמַּיִם הַנִּגָּרִים אַרְצָה *Sicut aquae effusae in terram, quae recolligi non possunt.* בְּמוֹרָד *In descensu*, ut Jos. VII, 5. X, 11., i. e. in loco declivi, ubi consistere aqua nullo modo potest, sed praecipiti cursu deorsum fertur. Syrus: ܐܝܟ ܡܝ̈ܐ ܕܢܚܬܝܢ ܒܡܚܕܪܬܐ *sicut aquae, quae descendunt in hoc declivi.*

5. Causam indicat, ob quam tanta irae suae signa edat Deus: בְּפֶשַׁע יַעֲקֹב כָּל־זֹאת וּבְחַטֹּאות בֵּית יִשְׂרָאֵל *propter delicta Jacobi*, Jacobitarum, *omne hoc* evenit, *et propter peccata domus Israelis.* Particula בְּ ante פֶּשַׁע et חַטֹּאות est *propter* reddenda, ut Hos. V, 5. *Israel et Ephraim ruunt* בַּעֲוֹנָם *propter* s. *per culpam suam.* Et XII, 15. *Servivit Israel* בְּאִשָּׁה *propter uxorem. Jacobus* et *domus Israel* idem valet, ut infra III, 8., et per epexegesin in utroque hemistichio eadem iteratur sententia. Sed in altero hemistichio *Jacobo* sive *Israele* solae decem tribus significantur, quibus *Juda* opponitur. Cur vero decem tribus *Israel* dicantur, quum duae reliquae non ab alio parente fuerint prognatae, ea causa est, quod majus populi pars, quum ab una tribu nominari non potuerit, commune nomen habuit a parente desumtum. At duabus aliis una tribus Juda nomen dare perquam commode potuit, quum illa esset nobilissima, utpote regia, et Benjaminitica tribus eo redacta propter scelestum illud facinus Gibeae perpetratum, quod Jud. XX. XXI. narratur, ut nullo paene haberetur loco. Quare quum ex ea sexcenti tantum viri reliqui fuerint, et omnes civitates ac vici incendio conflagrarint, exiguae illae reliquiae adscriptae sunt et quasi agnatae tribui Juda, usque adeo, ut quum duae tribus, Juda et Benjamin, sequutae fuissent Rehabeamum, ut liquet e 1 Reg. XII, 21., tamen ibidem una tantum tribus Juda illius imperio dicitur fuisse subjecta: *Neque sequutus est quisquam domum David, praeter domum Juda solam.* Et

2 Reg.

2 Reg. XVII, 18. *Iratusque eſt Jova vehementer Iſraeli, et abstulit eos a conſpectu ſuo, et non remanſit niſi tribus Juda tantummodo.* Adde, quod ut ſaepe decem tribus appellantur Ephraim, quia ex ea tribu fuit Jeroboam, qui in eo populo jam distracto regnum regum omnium primus obtinuit; ſic etiam quia ex tribu Juda fuerunt, qui in tribubus duabus deinceps dominati ſunt, a Juda ſibi compellationem acceperunt. Pro וּבְחַטֹּאות LXX poſuerunt *καὶ δι᾽ ἁμαρτίαν*, et Chaldaeus וּבְחֲטָא, in Singulari, quem non modo praecedens nomen Singulare פֶּשַׁע commendat, verum et illud, quod in viginti et octo Kennicotti codicibus et pluribus de-Roſſii defective ſcriptum eſt ובחטאת, nec non in bibliis Soncinenſibus, Brixienſibus, aliis. Codex vero a de-Roſſio numero 221. ſignatus inſuper puncta Singularis ſubjecta habet וּבְחַטַּאת. Syrus et Hieronymus cum textu recepto conſentiunt. מִי־פֶּשַׁע יַעֲקֹב הֲלֹא שֹׁמְרוֹן *Quis ſcelus Jacobi, niſi Samaria?* פֶּשַׁע hic per metonymiam ponitur pro delicti cauſa, ut infra Vs. 13. רֵאשִׁית חַטָּאת *principium peccati* itidem per metonymiam dicitur pro prima peccandi cauſa et occaſione. Monentque Hebraei interpretes, quaeri hic de delicti auctore, quum ponatur pronomen interrogativum maſculinum מִי, quod de *perſonis*, non de rebus interrogare ſolet. Eſt igitur ſenſus, Samariam eſſe cauſam ſceleris, quod decem tribus Iſraelis evertit. Nam Samaria, Iſraelitici regni caput, vitulus conflavit et coluit, et in aliis locis ſuae ditioni ſubjectis illam aluit impietatem auxitque vehementer. Chaldaeus ſenſum ita expreſſit: הֵיכָא חָבוּ דְבֵית יַעֲקֹב הֲלָא בְּשֹׁמְרוֹן *ubi peccarunt* qui *domus Jacobi* ſunt? *nonne in Samaria?* Syrus: ܡܢܘ ܣܟܠܗ ܕܝܥܩܘܒ ܐܠܐ ܐܢ ܫܡܪ̈ܝܐ *quodnam eſt ſcelus Jacobi, niſi Samaritani?* Poſtremum Verſus inciſum, וּמִי בָמוֹת יְהוּדָה הֲלֹא יְרוּשָׁלָם eodem modo, quo praecedens, intelligendum: *et quis* auctor vel cauſa *excelſorum Judae*, in quibus delubra et arae deorum (vid. 2 Reg. XXIII, 8. Ezech. XVI, 16. XX, 28. 29.)? *nonne Hieroſolyma?* i. e. quod in Juda arae

exci-

excitentur impiae, et idolorum fana paſſim occurſent, in cauſa eſt urbs Hieroſolymitana, caput regni, quia et ipſa excelſa habet, ubi ſcelerata obeat ſacrificia, et ad aliorum impietatem connivet, et usque adeo ſerpentem idololatriae labem non reſecat, et cohibet, ut impiorum provocet et alat audaciam. Cf. quae Hieroſolymitanis exprobrat Jeremias XXXII, 34. 35. Verba וּמִי בָמוֹת יְהוּדָה LXX ſic vertunt: *καὶ τίς ἡ ἁμαρτία οἴκου Ἰούδα;* Syrus: ܘܡܢܘܗܝ ܣܟܠܘܬܗ ܕܝܗܘܕܐ *et quod eſt peccatum Judae?* Chaldaeus: וְהֵיכָא חֲטוֹ יְהוּדָה הֲלָא בִירוּשְׁלֶם *et ubi peccarunt illi e domo Judae? nonne Hieroſolymis?* Pro בָמוֹת videntur חטאת legiſſe, quod ipſum exſtat in codice Ebneriano, Norimbergae aſſervato, quem Kennicottus numero 201. ſignavit, et in alio quodam ſeculi XIII. codice, a Kennicotto num. 228. ſignato, ad marginem. Probat iſtud חטאת Dathius, quod certe aliquam probabilitatem inde accipit, quod propheta verba, quibus in priori membro uſus fuerat, de induſtria repetere cenſeri poſſit. Verum enim vero cogitantibus nobis, facilius explicari poſſe, quomodo naſutus criticus aliquis במות in חטאת, ob membrum praecedens, immutare potuerit, quam qua ratione במות ex חטאת ortum traxerit, genuinus videtur textus maſorethicus. Praeterea vere monuit Andler l. l., non eam eſſe vim parallelismi membrorum, ut eadem plane vocabula, nec fortius adeo, nec preſſius, non potuerit non vates aſſumere. Vocem בָמוֹת autem eam praeciſe ſpeciem peccati, quae univerſe per חַטֹּאות antea ſignificabatur, indicare, nemo negaverit. Nec minus in promtu eſt, interpretes veteres ſaepe ſolo contextu ita regi, ut inde potiſſimum, ſignificatione vocis alicujus non plane perſpecta, ſenſum exſculpant, atque multo ſaepius ſpeciem cum genere, et vice verſa, permutare. בָמוֹת expreſſit quoque Hieronymus, qui vertit: *et quae excelſa Judae?* Nec aliter forſan legerunt ceteri veteres, quorum verba retulimus, qui ſenſum tantummodo liberius expreſſerint.

6. Hac-

6. Hactenus de Samaria et Jerufalem, id eft, de duodecim tribubus, quas duro concutit vaticinio, et illarum promerita declarat. Nunc jam feorfim de Samaria, Ifraelitici imperii capite dicere aggreditur, et quale illius futurum fit fupplicium, edocet. וְשַׂמְתִּי שֹׁמְרוֹן לְעִי הַשָּׂדֶה *Ponamque*, reddam, *Samariam in acervum agri*, eo eam redigam, ut excifis funditus in ea aedificiis nihil fuperfit praeter acervos lapidum et ruderum. Nomini עִי, quod *acervum* et *cumulum lapidum* notare conftat, addit הַשָּׂדֶה, *agri*, ut indicet cumulum lapidum non tam ex divitis aedificiis, quam quales in agris reperiuntur purgatis et ad culturam praeparatis. Nam eos agricolae in cumulum aliquem coacervare folent. Idem Hierofolymis Nofter infra III, 12., Damafco minatur Jefajas XVII, 1. *Damafcus definet urbs effe*, וְהָיְתָה לְעִי מַפָּלָה *eritque acervus ruderum*. Et poeta Pfalmi LXXIX, 1. queritur, barbaras gentes שָׂמוּ אֶת־יְרוּשָׁלַםִ לְעִיִּים *reddidiffe Hierofolyma rudera.* Quo loco Aquila *λιθύριον*, Alexandrinus *ὀπωροφυλάκιον* vertit. De quibus interpretationibus Hieronymus in Epiftola ad Suniam et Fretelam: „*Pofuerunt Jerufalem in pomorum cuftodiam.* Quod Graece *εἰς ὀπωροφυλάκιον* dicitur, nec aliter poteft verti quam a nobis translatum eft. Significat autem fpeculam, quam cuftodes fatorum et pomorum habere confueverunt, ut de ampliffima urbe parvum tuguriolum vix remanferit. Hoc fecundum Graecos. Ceterum in Hebraeo *Liim* fcriptum habet, quod Aquila vertit *λιθύριον*, id eft, *acervum* et *cumulum lapidum*, quibus vineae et agri purgari folent.“ *Ὀπωροφυλάκιον ἀγροῦ* reddiderunt LXX et hoc loco. Quod vero hebraicum עִי et עִיִּים et aliis locis ita interpretati fint, caufa non ea eft, quam Drusius reddit, quod cafulae pro cuftodibus agrorum et hortorum e lapidibus exftrui folerent, quos agricolae ex agris purgatis in acervos cumulant; fed quod tales cafulae, poftquam collectae effent fruges, inutiles factae, defererentur a cuftodibus atque deftruerentur. Ita enim Cyrillus ad h. l.: Τὰ *μὲν γὰρ ἐν ἀγροῖς φυόμενα τηροῦσί τινες σκηνὰς*

ἀνα-

ἀναπλέκοντες καὶ ἐν αὐταῖς ἰζήσαντες· εἶτα πᾶσαν αὐτῶν ἀποσοβοῦσι βλάβην· εἰ δὲ δὴ γένοιτο συναχθῆναι τοὺς καρποὺς, καταλαλήσουσι τῶν πόνων οἱ φύλακες, οἴκοιτε ὑποπονοστοῦσι καὶ αὐτὰς ἀνατρέψαντες τὰς σκηνάς. Cum igitur LXX עִי ὀπωροφυλάκιον verterunt, non veram hebraeae vocis ſignificationem, ſed ſenſum tantum expreſſerunt, neque cogitarunt de arabico غَايَايَة, *umbraculum,* cum עִי conferendo, quae A. J. Arnoldii eſt ſententia in *Obſervatt. ad quaedam Jeſajae loca* (Marb. 1796.) p. 10. Syrus noſtrum לְעִי הַשָּׂדֶה vertit ܒܝܬ ܚܩܠܐ ܕܣܘܡܐ *arvum deſertum* (de voce ܣܘܡܐ vid. J. D. Michaelis annotat. ad Castelli *Lexic. Syriac.* p. 318.). Arnoldi l. c. ܒܝܬ ܚܩܠܐ *domum campi* reddere mallet, atque de *tugurio agreſti* intelligere; attamen ipſe addit: „quamquam id voluiſſe interpretem, propter ambiguitatem Syriaci ܒܝܬ, non firmiter contenderim.“ Et ſane ܒܝܬ h. l. *locum* potius ſeu *regionem* ſignificare vix dubium eſſe poteſt. Recte hebraea לְעִי הַשָּׂדֶה vertit Hieronymus: *acervum lapidum in agro,* et Chaldaeus: לְיגָרֵי חַקְלָן *in acervos agrorum.* Addit vates, ut deſolandam Samariam vividius depingat, redigendam eſſe לְמַטָּעֵי כָרֶם *in loca plantationum vineae,* ita ut vineae plantentur, vel plantari poſſint, ubi jam urbs Samariae eſt. Reſpicitur ad ſitum urbis, quae montana erat, utpote in monte ejusdem nominis exſtructa, vid. 1 Reg. XVI, 24., unde et *mons Samariae* dicitur Amos IV, 1. VI, 1. Montes autem apti vineis plantandis. Hieronymus ל ante מַטָּעֵי aliter capiens, quam antea in לְעִי, et voces has praecedentibus nectens, reddidit: *cum plantatur vinea,* quaſi ſenſus ſit, fore Samariam ſimilem acervo lapidum, quales vinitor congregat, cum ad commodam vitium plantationem agrum elapidat, qua de re Jeſaj. V, 2. Sed non aliter capiendum eſt ל ante מַטָּעֵי atque prius illud nomini עִי praefixum. Eſt aſyndeton (quamvis LXX et Syrus copulam praemittant, quae et in uno codicum Kennicottianorum exſtat), aliudque ſimile,

ſimile, quo ſignificatur, Samariam ita fore dirutam, ut pro palatiis vites ſurgerent iſto in monte, et *campi* adeo eſſent *ubi Troja fuit* (*Aen.* III, 11.), ut reſtituendae Samariae etiam ſpes vix videretur ſupereſſe. Chaldaeus: בֵּית צְדוּת מַצְּבַת כְּרַם *in locum deſolatum plantationis vineae.* וְהִגַּרְתִּי לַגַּי אֲבָנֶיהָ *Et dejiciam in vallem* urbi ſubjectam *ſaxa ejus*, Samariae urbis e ſubverſis aedificiis. וְהִגַּרְתִּי Proprie: *fluere faciam*, i. e. detraham, dejiciam, praecipitabo; ut Pſ. LXIII, 11. יַגִּירֻהוּ *proſternunt eum*, i. e. unumquemque eorum *per enſem.* Et Jerem. XVIII, 21. וְהַגִּרֵם *Et proſterne eos gladio.* LXX h. l. recte *κατασπάσω* reddiderunt, et Hieronymus *detraham*; nec non Chaldaeus וְאֶרְמֵי *et projiciam.* Syrus: ܘܐܟܢܫ ܟܐܦܘ̈ܗܝ ܒܓܘܪܐ *et congeram lapides ejus in acervum.* Pro לַגַּי videtur male לַגַּל legiſſe. וִיסֹדֶיהָ אֲגַלֶּה *Et fundamenta ejus retegam*, i. e. faciam, ut nuda, deſtructis aedificiis, fundamenta appareant, urbem demoliar funditus. Ita Pſ. CXXXVII, 7. Idumaei Judaeorum hoſtes ad evertenda funditus Hieroſolyma excitantes inducuntur: עָרוּ עָרוּ עַד הַיְסוֹד *nudate, nudate usque ad fundamentum.* Et Ezech. XIII, 14. de pariete deſtruendo, emblemate urbis Hieroſolymitanae evertendae, dicitur: וְנִגְלָה יְסֹדוֹ *et retegitur fundamentum ejus.* Hieronymus: „*Et fundamenta ejus revelabo.* Tanta quippe ruina erit, et tanta urbis ſubverſio, ut non ſolum parietes et aedificia corruant, ſed fundamenta quoque usque ad extremum lapidem revelentur."

7. וְכָל־פְּסִילֶיהָ יֻכַּתּוּ *Et omnia ſculptilia ejus contundentur. Sculptilibus Samariae* intelliguntur non quae facta erant in privatos uſus aut aedium ornatus, ſed deorum ſimulacra, ex auro, argento, lapide, ligno vel malleo efformata vel fuſa, vel ſculpta, ut Jeſaj. X, 10. LXX: *Καὶ πάντα τὰ γλυπτὰ αὐτῆς κατακόψουσι.* Pro Paſſivo יֻכַּתּוּ aliis punctis ſubjectis legerunt יַכְּתוּ. Kimchi: „Confringentur ab hoſtibus propter aurum et argentum, quo obducta ſunt." Addit vates: וְכָל־אֶתְנַנֶּיהָ יִשָּׂרְפוּ בָאֵשׁ *et omnes mer-*

mercedes meretriciae ejus igne comburentur. אֶתְנַן nomen initio א in fine ן auctum a radice תָּנָה *mercede conduxit* (vid. Hos. VIII, 10.) est *merces, qua meretrix conducitur,* vid. Ezech. XVI, 31. 34. 41. Hos. IX, 1. Constat autem prophetas solere alienorum deorum cultum amorum meretriciorum allegoria sistere, quia quum saepe se Jova sponsum vocet illius populi, quem fidei suae quasi nuptiali thalamo sociavit, consequens est, ut ea natio, quae ab illa fide defecit, meretricia dicatur, seu adultera. Vid. Hos. I, 2. et ad eum loc. not. *Mercedibus meretriciis* igitur hoc loco intelliguntur dona in deorum honorem et cultum in templis sacrisque suspensa, ex quibus donis aut conflabantur deorum simulacra (unde Chaldaeus pro וְכָל־אֶתְנַנֶּיהָ posuit וְכָל טַעֲוָתְהָא *et omnia ejus idola*, atque Syrus ܘܟܠܗܘܢ ܕܚ̈ܠܬܗ̇ *et omnia numina ejus*), aut ad templorum instructum sacra suppellex parabatur. Neque enim, ut vult Kimchi, solae vestes pretiosae, quibus simulacra amicta erant, intelligendae sunt. Omnia igitur, inquit, simulacra, quae in idolorum cultum Samaria conflavit, conterentur, et donaria omnia, quae ad illorum instructum et ornatum luxuriose contulit, una cum simulacris tradentur incendio. Alii *mercedibus meretriciis* dona indicari existimant ab idolis tanquam ab amasiis data ipsorum cultoribus, quasi ob meretricium quaestum prostitutis. Sane ita sibi persuasum habebant falsorum deorum cultores, qui bona sua accepta referebant idolis. Sic enim ab Hosea loquens inducitur adultera sponsa II, 7. *Sequar amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam, et linum meum, et potum meum.* Unde Vs. 14. Jova dicit: *Corrumpam vineam et ficum ejus, de quibus dixit: mercedes hae meae sunt, quae dederunt mihi amatores mei.* Cf. Hos. IX, 1. Hinc factum, quod Jarchi כָּל־אֶתְנַנֶּיהָ exposuit: כל ההון הזה *omnes istas divitias.* Quam explicationem Hieronymus quoque a magistro suo Judaeo videtur accepisse. Ita enim verba nostra commentatur: „Et omnia

scul-

ſculptilia ejus, cunctaeque divitiae, quas diverſi reges in eam [Samariam] comportaverant, concidentur et comburentur igne, et ad nihilum redigentur. Siquidem opes et multiplex ſuppellex, quae ex fornicatione, ut putabantur, idolorum fuerant congregata, ducentur ad aliam meretricem.“ Utrumque ita conjungit Cyrillus, ut tam bona Iſraelitarum, quam donaria ex hic conſecrata idolis *mercedibus meretriciis* intelligenda cenſeat. Μισθώματα δὲ, inquit, *τάχα που τὰ ἀναθήματα δηλοῖ· προσεκόμιζον γὰρ ταῖς τεμένεσιν εἰς δόξαν εἰδώλων τὰ ἐξ ἰδίου νέμοντες πλούτου, καὶ τοῖς οὐδὲν ὠφελεῖν ἰσχύουσιν ὡσανεὶ μισθὸν καὶ ἀντέκτισιν ὧν ἔχειν ᾤοντο παρ' αὐτῶν ἀνετίθησαν τὰς εὐχαριστίας κ. τ. λ. οὐκοῦν ἐναργῆ τὰ ἀναθήματα, ὅτι μισθώματά τε καὶ ἀντέκτισιν τῆς ἐπί γε τῷ πλανᾶσθαι σπουδῆς καταλογίζετο τὴν εὐημερίαν ὁ Ἰσραὴλ ὁ παράφρων.* Nos tamen, uti ſupra expoſuimus, dona, quae meretrices metaphoricae, Iſraelitae idololatrae, diis obtulerunt, intelligere malumus, quod totus hic Verſus verſatur in comminatione de ſimulacris vel contundendis et igni tradendis, vel aſportandis ab hoſtibus. Sequitur enim: וְכָל־עֲצַבֶּיהָ אָשִׂים שְׁמָמָה *et omnia ſimulacra eorum ponam deſolationem,* i. e. idolea ſua privabo omni decore, imo prorſus deſtruam atque perdam, ut ſint loca devaſtata. עֲצַבִּים, proprie *efformata, fabricata* ſcil. deorum ſimulacra (ab עָצַב *formavit*), hic pro בָּתֵּי עֲצַבִּים *ſacella idolorum* poſita ſunt (cf. בֵּית עֲצַבֵּיהֶם 1 Sam. XXXI, 9.), unde Chaldaeus interpretatus eſt: וְכָל בָּתֵּי דַחֲלָתְהָא *et omnes domus numinum ſuorum.* Syrus: ܘܟܠܗܘܢ ܦܬܟܪ̈ܘܗܝ ܐܥܒܕ ܠܚܒܠܐ *et omnia idola ſua redigam in corruptionem.* שׂוּם שְׁמָמָה pro עָשׂוֹת שְׁמָמָה tritum, quomodo Graeci ſuo *τιθέναι* uti ſolent, veluti in illo Anacreontis Od. IX, 36. *Λαλιστέραν μ' ἔθηκας, ἄνθρωπε, καὶ κορώνης, loquaciorem me reddidiſti, homo, vel cornice.* Sic Theocritus Idyll. XXIV, 107. *ἀοιδὸν ἔθηκε*, *cantorem eum fecit.* כִּי מֵאֶתְנַן זוֹנָה קִבָּצָה וְעַד־אֶתְנַן זוֹנָה יָשׁוּבוּ׃ *Nam de mercede meretricia collegit*, congregavit Samaria

iſta

iſta ſimulacra, e donis, quae contulerunt Iſraelitae idololatrae, conflata ſunt ſimulacra, et omnia tam templorum, quam idolorum ornamenta, *et usque ad mercedem meretriciam revertentur*, ex meretricio ſumtu illa templorum donaria congregata ſunt, eadem, cum hoſtium acies ingruerit, ad meretriciam mercedem revertentur, i. e. in munera aliorum idolorum abducentur a victoribus, ipſis quoque idolorum cultoribus. Chaldaeus: אֲרֵי מֵאַגַר זַנִיתָא אִתְכְּנַשׁוּ וּלְבֵית פָּלְחֵי טַעֲוָתָא יִתְמַסְרוּן *nam de mercede meretricia ſunt congregata, et in domum colentium idola tradentur.* Quod קִבָּצָה interpretatus eſt אִתְכְּנַשׁוּ, credibile facit, ipſum aliis punctis ſubjectis legiſſe קֻבָּצָה in Pual, *congregata eſt*, quod comprobetur auctoritate duorum codicum Kennicottianorum, exhibentium קובצה per Schurek, et plurium de-Roſſianorum, per Kibbuz Pual exprimentium. Syrus quoque eadem, qua Chaldaeus, voce Paſſivum expreſſit, nec non Hieronymus: *quia de mercedibus meretriciis congregatae ſunt.* Sed receptam legendi rationem tuentur LXX, qui συνήγαγε poſuerunt, neque illam ſollicitare neceſſe eſt, quum ſenſum aptum praebeat, modo ad Samariam referatur. קִוּבָּצָה ſequenti verbo יָשׁוּבוּ originem videtur debere, quo orationis ſeries et membrorum parallelismus melius flueret. Poſtrema verba, וְעַד־אֶתְנַן זוֹנָה יָשׁוּבוּ, LXX male verterunt: *καὶ ἐκ μισθωμάτων πορνείας συνέστρεψεν* (quaſi יָשׁוּב aut יָשִׁיב legerint), quod Arabs interpretatus eſt: مِنْ أَجْرِ ٱلزَّنْيَةِ أَنْتَخَسَفْتْ *ob mercedem meretriciam demergetur,* peſſumdabitur. יָשׁוּב, quod nos cum interpretibus tantum non omnibus ad פְּסִילִים, אֶתְנַנִּים et עֲצַבִּים referimus, Cocceius trahit ad Samaritas. „Rectius," inquit, „et ſimplicius eſt, Samariam ut collegerit opes et divitias coacervaverit, dum promiſcuam idololatria exercuit, et mediante ea gentium frequentiā et familiaritate fuerit ditata, ita ipſam et habitatores ejus fore acceſſionem quaeſtus meretricii gentilibus, h. e. in poteſtatem gentilium venturos, qui hoc incrementum opum ſuarum

rum falſis diis ſint accepto laturi, et inter quos ſint culturi idola aurea, argentea, lapidea, lignea.“ Nos tamen haud dubitamus, ſenſum a nobis adſcitum eſſe faciliorem atque elegantiorem.

8. Tot ac tanta, quae Iſraelitidi genti imminent infortunia, vates acerbo cum planctu luget. עַל־זֹאת אֶסְפְּדָה וְאֵילִילָה אֵילְכָה שׁוֹלָל וְעָרוֹם *Propterea plangam et ululabo, incedam ſpoliatus et nudus.* שׁוֹלָל Participium Pyhal abjecto מְ pro מְשׁוֹלָל, ut מוֹרָט *depilatus*, ſed 1 Reg. VII, 45. מְמֹרָט *exterſum*, et שׁוֹבָב *averſus* Jeſaj. LVII, 17. Quod in textu ſcriptum eſt, שׁילל, J. P. Berg in *Notis ad J. C. Harenbergii* Exercitat. exegetic. in vaticin. Michae Cap. 1. in *Symbolis Litterariis Duisburgenſibus* T. II. P. I. 1784. 8., שֵׁילָל efferendum obſervat, ut ſit formae פֵּיעַל cum Jod characteriſtico ſpeciei [*Puuhal*, vid. N. G. Schroederi *Inſtitt. L. H.* Reg. LVI. no. 16.] in quietem dato, pro פְּיָעַל cum eodem mobili. „Subſtituerunt autem,“ inquit, „Maſorethae more ſuo voci rarioris formae aliam alterius, ſed vicinae tamen, atque ejusdem etiam ſignificationis vocem שׁוֹלָל, quae ſemel, in marginem primum, admiſſa, dein plus ſemel in ipſum immigravit contextum.“ *Spoliatum* h. l. Hebraeorum nonnulli intelligunt *ſpoliatum mente* prae ingenti animi dolore, quo ſignificatu eandem vocem Job. XII, 17. 19. ſumendam volunt. Sed vid. not. ad eos locos. Vix dubium, indicari veſtibus ſpoliatum ſ. exutum, uti quod epexegeſeos cauſa ſubjicitur, עָרוֹם *nudus*, i. e. veſtitu ſolito ac decente privatus, aut contra ſqualente et pannoſo indutus. *Nudus* enim dicitur ſaepius non qui nullas omnino veſtes habeat, ſed qui ſuperiore duntaxat veſte careat, cujusmodi erat pallium villoſum, quo prophetae induebantur, ut liquet ex Zachar. XIII, 4. et 1 Reg. XIX, 13. 19. 2 Reg. I, 8. Quo ſenſu Saul dicitur *prophetaſſe nudus* 1 Sam. XIX, 24. Eodem ſenſu Arabes vocabulum مسلوخ *exutus* uſurpare de eo, qui nonniſi pannis laceris ſemiamictus eſt, inſtar mendici, teſtis eſt Seetzen in *d. monatl.*

Cor-

Correfpondenz P. XVIII. p. 354. Cf. not. ad Jefaj. XX, 2. Solebant autem luctus fignificandi caufa veftimentis laceris (vid. Joel II, 13. Job. I, 20. et ibid not.), aut fqualidis (*facco*, vid. e. c. Genef. XXXVII, 34.) incedere. Verba, quae in Hebraeo in prima Singularis perfona ponuntur, LXX in tertia transtulerunt, quafi de Samaria dicerentur, ejusque gravis calamitas fic depingeretur: Ἕνεκεν τούτου *κόψεται, καὶ θρηνήσει, πορεύσεται ἀνυπόδετος καὶ γυμνή.* Chaldaeus tertiam Pluralis adhibuit: עַל דָּא יִסְפְּדוּן וְיֵילִילוּן יְהָכוּן בְּשׁוֹלְלַיָּא עַרְטְלָאִין *ob id plangent et ululabunt, ibunt nudi inter fpoliatores.* Syrus Imperativo utitur: ܥܠ ܗܠܝܢ ܐܪܩܕܝ ܘܐܝܠܠܝ ܘܗܠܟܝ ܚܦܝܝ ܘܥܪܛܠܝܐ *propter haec plange, luge et ulula, nudipes et nuda incede.* שׁוֹלָל hic interpres intellexit *calceis privatum*, ut LXX, quibuscum et in eo convenit, quod ad Samariam haec directa credidit. Ad Sâmariae incolas verba retulit quoque Chaldaeus. Solus inter veteres Hieronymus primam perfonam exprimit, fed explicat locum de Deo jacturam populi fui plorante, quem propheta fub fua perfona loquentem inducat. „Hucusque," inquit, „de Samaria. Et quia eadem plaga perventura fit ad Jerufalem (et ipfa enim fimili errore peccavit, derelinquens Deum fuum et idola fabricans) propterea propheta facit quafi προσωποποιΐαν Dei, et fub perfona fua inducit plangentis affectum et dicit: *Super hoc plangam et ululabo; vadam fpoliatus et nudus*, decem enim tribus perdidi." Sed nihil impedit, quo minus haec de propheta fua ipfius perfona prolata intelligantur: fane fenfus ita fimplicior et facilior eft. Subjicit in hemiftichio altero: אֶעֱשֶׂה מִסְפֵּד כַּתַּנִּים *planctum faciam canum fylveftrium inftar.* תַּנִּים LXX, quos Hieronymus et interpretes tantum non omnes fequuntur, *dracones* verterunt. Horrendos draconum fibilos refpici, quibus deferta perfonent, exiftimat Bochartus *Hieroz.* P. II. L. III. C. XIV. T. III. p. 235. edit. Lipf. geminum adducens Aeliani locum, quo draconi cuidam in India tri-

tribuitur συριγμὸς μέγιστος καὶ φύσημα, ὡς ἐκπλῆξαι πάντας καὶ ἐκταράξαι, *maximus ſibilus et ſlatus, ita ut omnes* in Alexandri copiis *terruerit et conturbaverit* (*Hiſt. Animal.* Lib. XV. C. 21.), et draco quidam in Chio inſula deſcribitur μεγέθει μέγιστος, οὗπερ οὖν καὶ τὸν συριγμὸν ἐπιπεφρίκασιν οἱ τὴν Χίον κατοικοῦντες, *immenſae magnitudinis, cujus adeo ſibilum exhorruerint omnes Chii incolae.* Et Hieronymus „dracones" ſcribit „terribili ſibilo perſonare, juxta hiſtorias eorum, qui de phyſicis conſcripſerunt, eo tempore quo vincuntur ab elephantis." Vid. Plinii *Hiſt. Nat.* L. VIII. Cap. 11. Sed noſtro loco ſonum non tam horrendum quam lugubrem indicari apparet. Quare Ludolfus in *Commentar. Hiſtor. Aethiop.* p. 159. draconibus h. l. mallet *crocodilos* intelligi, quos plorare et plangere veteres crediderint, unde proverbium de *lachrymis crocodili.* Verum omnino non hic eſt cogitandum de draconibus, ii enim dicuntur תַּנִּינִים, a ſingulari תַּנִּין Jeſaj. XXVII, 1., pro quo Ezechiel XXIX, 3. et XXXII, 3. adhibuit ſingulare תַּנִּים. Contra noſtrum תַּנִּים eſt pluralis nominis תַּן, quod *canem ferum,* Perſis *Schagal* (شغال), Arabibus إِبْن آوِي *ibn avvi* (unde Hebraeum אִיִּים Jeſaj. XIII, 22. Jerem. L, 39.) dictum ſignificari, argumentis ſolidis evicit, poſt Ed. Pocockium in Commentario ad h. l., Schnurrerus in *Diſſertatt.* p. 323. ſeqq. Cum hebraico nomine concinit Arabicum تِنَّان *lupus,* qui cum cane illo fero proxima cognatione eſt conjunctus (تِنِّين vero Arabibus eſt *draco, ſerpens magnus,* cujus collectivum, تَنَانِين, pro Alexandrini interpretis δρακόντων, Arabicus interpres hic poſuit). *Canem ferum* ſ. *Schagalem* expreſſerunt noſtro loco Chaldaeus et Syrus ſuo יְרוֹדָא, ܝܪܘܕܐ, ut Schnurrerus l. c. pluribus oſtendit. Huic vero beſtiae aptiſſime comparatur qui acerbum fletum tollit. *Ululat* enim, teſte Damiro, Arabe, apud

apud Bochartum *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XII. T. II. p. 181. edit. Lipſ., *noctu, idque potiſſimum, cum triſtis eſt, aut manet ſolus. Ejus porro ululatus infantis vagitui ſimilis eſt.* Et Ad. Olearius in *Itinere Moſcovitico et Perſico* L. IV. Cap. 17. p. 216. edit. 1696., ubi de provincia Schirvan, *Ibi vulpium genus eſt,* inquit, *quos Schacal vocant, ejusdem cum Europaeis magnitudinis, quibus lana eſt pro pilo, venter albus, aures nigrae, cauda minor, quam noſtratium. Hos per noctem audiebamus circa pagos oberrantes, aſſiduo clamore, eoque protracto, et quaſi lugubri nobis obtundentes.* Addit vates aliud ſimile: וְאֵבֶל כַּבְּנוֹת יַעֲנָה *et luctum* ſcil. אֶעֱשֶׂה *faciam* (ſubaudiendum e membro praecedente) *ſicut ſtruthiones,* quorum funeſtos et lugubres clamores ſeſe imitandos eſſe queritur et Jobus XXX, 28., ad quem loc. vid. not. Hieronymus: „Et ſicut ſtruthiones immemores ſunt ovorum ſuorum, et quaſi non pepererint in arena calcandos pedibus beſtiarum foetus relinquunt, de quo in Jobo [XXXIX, 19.] plenius ſcribitur, ita et ego ſine filiis ſpoliatus et nudus incedam." Verum hoc ſimile non ad ſpoliationem, ſed ad luctum refertur. LXX: *ὡς θυγατέρων σειρήνων.* Ad quae verba Cyrillus, poſtquam de poetarum Graecorum ſirenibus egiſſet, haec notat: Ἡ *δέ γε θεόπνευστος γραφὴ σειρῆνας καλεῖ τὰ τῶν στρουθίων λαλίστατά τε καὶ εὐστομεῖν εἰωθότα, ἢ καὶ αὐτὰς ἔθ' ὅτε τὰς ἀλκυόνας* (ita enim Bochartus *Hieroz.* P. II. L. II. C. XIV. T. II. p. 811. pro *τὰς ἀηδόνας* reponendum recte monuit) *αἱ τοῖς ἐναλίοις ἐπωάζουσαι κόλποις. εἶτα τῆς καλιᾶς ληφθείσης ὑπὸ κυμάτων, γοερὸν ἄδουσιν μέλος καὶ καταθρηνοῦσι τρόπον τινα τὴν τῆς ἑαυτῶν ὠδίνος ζημίαν.* Syrus בְּנוֹת יַעֲנָה h. l. male ܝܪܘܪܐ ܒܪܬ *filiam canis ſylveſtris* reddidit.

9. כִּי אֲנוּשָׁה מַכּוֹתֶיהָ *Nam aegra plagae ejus,* i. e. eſt unaquaeque *plagarum ejus,* regni Iſraelitici. Ita, ſenſu diſtributivo, capiendum adjectivum ſingulare אֲנוּשָׁה nomini plurali מַכּוֹת junctum; ut in illo Proverb. XIV, 1.

חַכְמוֹת נָשִׁים בָּנְתָה בֵיתָהּ *Sapientes mulierum*, i. e. ſapiens quaeque in mulierum numero, *aedificat domum ſuam.* Jarchi ante מַכּוֹתֶיהָ ſubaudiendum vult ב, ut ſit: *aegra* eſt Iſrael *plagis ſuis.* Ad priorem ſenſum ſtabiliendum facit parallelum מַכָּתִי אֲנוּשָׁה *plaga mea aegra,* inſanabilis, Jerem. XV, 18. Ita Jerem. X, 19. נַחְלָה מַכָּתִי *aegra eſt plaga mea.* Hinc recte Chaldaeus: אֲרֵי מַמְרְעָא מַחֲתַהּ *nam aegra,* graviſſima, eſt *plaga ejus.* Verba כִּי אֲנוּשָׁה מַכּוֹתֶיהָ J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1621., mallet, אֲנוּשָׁה ad נוּשׁ relato, et tono in penultimam ſyllabam retracto, vertere: *quoniam intremiſco*, ſeu *aegerrime fero plagas ejus;* collato Arabico ناس (pro نوس) *ultro citroque agitatus fuit, vacillavit,* unde نَوَّاس *vacillans, pendulus, conturbatus.* Ipſe tamen addit: „ſed haec dubitans ſcribo.“ Nec dubium, אֲנוּשָׁה eſſe ab אָנַשׁ, *extreme aeger fuit* (ut 2 Sam. XII, 15.) et indicari h. l. *aegram,* gravem, inſanabilem plagam. Hieronymus: *deſperata eſt plaga tua.* Syrus: ܕܟܐܒܐ ܗ̇ܘ ܡܚܘܬܗ *quia dolorifica* eſt *plaga ejus.* Cf. Jerem. XXX, 12. אָנוּשׁ לְשִׁבְרֵךְ נַחְלָה מַכָּתֵךְ *deſperatum* quid eſt *confractioni tuae, aegerrima plaga tua.* Et ibid. Vs. 15. *Quid clamas de confractione tua?* אָנוּשׁ מַכְאֹבֵךְ *deſperatus* eſt *dolor tuus.* Graviſſima reipublicae inflicta mala Jeſajas quoque I, 5. plagis vulneribusque non ſanatis confert. Cum igitur Noſter Iſraelis *plagam inſanabilem* eſſe ait, ſignificat, ſic eſſe regnum Iſraeliticum vaſtandum ab hoſtibus, ut pars ex illo ſuperſit nulla, quae futura ſit quaſi ſemen excitandae et inſtaurandae reipublicae. Hinc ſubdit: כִּי־בָאָה עַד־יְהוּדָה *nam venit* ſcil. מַכָּה *plaga,* calamitas, *usque ad Judam,* usque adeo late bacchatus eſt hoſtilis exercitus, ut non ſolum Iſraelitici imperii civitates vicosque ſubverterit, ſed ex illius finibus populabundus egreſſus vicinas etiam ſedes occupet et affligat. Devenit igitur propheta nunc ad regni Judaici infortunia denuncianda. נָגַע עַד־שַׁעַר עַמִּי *Pertigit usque ad portam,* urbem, *populi mei,* id eſt, ut per epexegeſin

geſin ſubjicitur, עַד־יְרוּשָׁלָםִ *usque Hieroſolymam*, quae et Obad. Vs. 13. *porta populi Judaici* dicitur. שַׁעַר *Porta* urbis pro urbe, ut Geneſ. XXII, 17. *Hereditabit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* Deuter. XVII, 2. בְּאַחַד שְׁעָרֶיךָ *in una portarum*, urbium *tuarum.* Cf. Deuter. XXVIII, 57. Obad. Vs. 11. Ad Hieroſolymam igitur, caput regni, imperii et ſacrorum ſedem, נָגַע *pertingit*, ſeu, ut alii volunt, *percutit*, laedit, quo ſignificatu hoc verbum haud raro occurrit, veluti Geneſ. XXXII, 35. נָגַע בְּכַף־יֶרֶךְ יַעֲקֹב *manu percuſſit femur Jacobi.* Pſ. LXXIII, 5. וְעִם־אָדָם לֹא יְנֻגָּעוּ *et cum hominibus* ceteris *non percutiuntur.* Verum particula עַד ſuadet, *pertingendi* notionem retinendam eſſe, ut Jerem. IV, 10. וְנָגְעָה חֶרֶב עַד־הַנָּפֶשׁ *pertigit gladium usque ad animam.* Noſtro vero loco ad verbum maſculinum נָגַע non eſt ſubaudiendum מַכָּה *plaga*, nomen feminei generis, ſed הַנֶּגַע *plaga*, in verbo latens, aut הָאוֹיֵב *hoſtis*, aut ſimile nomen. Storr in *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 385. generis numerique varietatem in hoc Verſu ita explicat, ut nomen plurale מַכּוֹת et femininum ſingulare אֲנוּשָׁה ſenſu *neutro* capienda ſint, et ſic cum utriusque generis et numeri verbis conjungi poſſe cenſeat, hoc modo: *Res inſanabilis* (אֲנוּשָׁה) *ſunt plagae ejus, nam pervenit* (בָּאָה) ea res *usque in Judaeam, pertingit* etc., i. e. inſanabiles ſunt plagae, perveniunt usque in Judaeam, pertingunt etc. Similem ſyntaxin vid. Job. XXX, 15. Diſſentiunt interpretes et dubii haerent, quaenam ſit iſta calamitas Judaeae imminens, de qua vates hic loquitur. „De qua calamitate loquatur," inquit Coccejus, „utrum de ea, cujus auctor fuit Sanherib, tempore Ezechiae regis, an cujus Nebucadnezar, tempore Zidkyae, prima fronte videtur dubitari poſſe. Kimchius, ut et alii, de invaſione Sanheribi intelligunt [de qua 2 Reg. XVIII, 13. 17., ubi quum ad Hieroſolymam usque Sanheribus veniſſet, ab angelo prorſus mirabili modo inde rejectus legitur, poſtquam vicinis oppidis et agro Hieroſolymitano magnam calamitatem intuliſſet]. Sane tegit calamitatem ea coarcta-

tione graviorem et involvit quam Cap. III. in fine clarius explicat. Interim Vss. 11. 12. 15. 16. deſtructio Hieroſolymae et exſilium populi denunciari videtur. Et convenit haec prophetia cum argumento verſiculi quarti Capitis ſecundi. Prophetia paulatim preſſius et diſtinctius loquitur. Hic ante Samariae deſtructionem loquitur implicatius. At ubi iſta geſta erant, quae deſtructioni Samariae erunt connexa, Hieroſolymae deſtructionem clarius vaticinatur." Quam ſententiam praeivit Hieronymus: „Et idem peccatum," inquit, „imo eadem poena peccati, quae evertet Samariam, veniet usque ad Judam, et usque ad portam urbis meae Hieruſalem. Ut enim Samaria ſubverſa eſt ab Aſſyriis, ita Juda ad Hieruſalem ſubvertentur a Chaldaeis." Verum ſaepius monuimus, vanam eſſe et inutilem operam, quae infinite praeſagiere vates, atque generales minas malorum, quae ſerius vel ocius premerent Judaeam, gravius item vel levius, ad certos eventus referre. Noſter poſtquam regnum Iſraeliticum ob multa et gravia ſcelera vaſtandum atque ſubvertendum ab hoſtibus minatus eſſet, ſponte eo deferebatur, ut Judaeae ob ſimilia peccata ſimilia mala praenunciaret. Credibile erat, ſubverſo regno Iſraelitico eundem hoſtem arma contra Judaeam converſurum eſſe. Exercitus igitur hoſtilis Hieroſolymam, caput regni, petentis adventum tanquam jam praeſentem vidit et in iis quae ſequuntur graphice depingit. Atque Aſſyrios quidem vatis menti obverſatos eſſe, vix dubium eſſe poteſt, quum victores illos atque imperatores plurium tunc gentium et vicina Samariae ac Judaeae regna ſuo imperio adjuncturos exſpectandum eſſet.

10. בְּגַת אַל־תַּגִּידוּ *In Gath ne nuncietis.* Deſumta haec verba e Davidis ferali carmine 2 Sam. I, 20., quae tanquam legitima aliqua formula in luctu videntur uſitata fuiſſe ob elegantem ex illorum hominum ſenſu paronomaſiam, in vocibus גַּת et תַּגִּידוּ. *Gath* erat regia Philiſthaeorum urbs, memorata et Amoſo I, 8. VI, 2. Hieronymus: *Geth,* ut regnorum quoque teſtatur hiſtoria, una eſt

est de quinque urbibus Palaestinae, vicina Judaeae confinio, et de Eleutheropoli euntibus Gazam, nunc usque vicus vel maximus, unde fuit et Goliath ille Gethaeus, quem David occidit in proelio." Monet igitur Noster suos, caveant, ne calamitatis suae nuncius ad Philisthaeos perveniret, qui quum semper inimicum contra Judaeos servarent animum, de eorum excidio maximopere sint gavisuri. Est autem magna doloris pars, si quispiam in nostris exultat atque triumphat infortuniis, maximus dolor, si id ab hoste fit. Hinc Psaltes hoc horret vehementer. Psalm. XXV, 2. אַל־יַעַלְצוּ אוֹיְבַי לִי *ne exsultent inimici mei de me.* Quod item quasi acerbum aliquid queritur Jeremias Thren. II, 17. וַיְשַׂמַּח עָלַיִךְ אוֹיֵב *laetari facit super te hostem.* LXX nostra verba verterunt: *οἱ ἐν Γὲϑ μὴ μεγαλύνεσϑε.* Eodemque modo Syrus: ܒܓܬ ܠܐ ܬܚܕܘܢ *in Gath ne laetemini.* Quasi pro תגידו legissent תגילו, vel תגדילו. Explicavit illud Theodoretus: Μὴ *μέγα φρονεῖτε ταῖς τούτως συμφοραῖς ἐφηδόμενοι, ὡς αὐτοὶ μένοντες ἀκήρατοι.* Et Cyrillus: Μὴ *τὰς ἑτέρων συμφορὰς ἑορτῆς ποιεῖσϑε προφάσεις; μὴ μεγαλύνεσϑε πρὸς ταῦτα.* Verum תגילו aut תגדילו adscito perit paronomasia in simili sono vocum גת et תגידו quaesita. Praeterea receptum תַּגִּידוּ tuetur tam locus parallelus 2 Sam. I, 20., quam verba quae proxime subjiciuntur, quaeque docent, interdictum hoc spectare Israelitas affligendos vel afflictos: בָּכוֹ אַל־תִּבְכּוּ *flendo non fleatis,* i. e. taciti lugeatis, ne ploratu atque ejulatu, in quo clamor est, inimici populi Israelitici gentis calamitatem intelligant. Bene Hieronymus: „*Lachrymis ne ploretis,* id est, ne dolor quidem in singultus erumpat; dissimulate fletum, ne adversarii gratulentur; lachrymas ora non habeant, quum dolorem pectus habeat." Relando *Palaest.* p. 534. in voce בָּכוֹ nomen urbis *Acco,* עַכּוֹ (Jud. I, 31.), quae serioribus temporibus *Ptolemaeis* dicta, latere videtur. „Frequenter," inquit, „Micha eo in Capite utitur paronomasiis; בְּגַת inquit, אַל־תַּגִּידוּ *in Gath* id *ne annunciate,* בָּכוֹ אַל־תִּבְכּוּ, id

id eſt, me interprete, *in Acco ne flete*, id eſt, ne indicia doloris veſtri edite in illa urbe, quae uti Gath ad auſtrum, ita ipſa ad ſeptentrionem a gentibus, hoſtibus noſtris, incolitur. Inter תִּבְכּוּ (vel radicem ipſam בָּכָה) et בָּכוֹ elegans eſt paronomaſia. Et quum plene ſcribendum fuiſſet בַּעַכּוֹ, ע eliditur, uti videmus factum in voce בַּעֲלָה, quae [Chaldaeis] et בָּלָה ſcribitur, in אַרְבֵּסַר pro אַרְבַּע עֲסַר, in מַבְרָא pro מַעְבָּרָא, מַדְנִין pro מַעֲדְנִין, et plurimis aliis vocibus, quae ſatis notae ſunt, quod eo minus incommodi ſecum fert, quod inter pronunciationem vocum בָּכוֹ et בַּעַכּוֹ vix discrimen audiri queat. Et videtur quidem mihi longe elegantior ſenſus hinc emergere: *in Gath id ne nunciate, in Acco ne edite ejulatum*, quam ſi dicatur: *in Gath id ne nunciate, flendo ne flete*, maxime quum hic multa paucis complecti nervoſe ſtudeat propheta. Confer denique haec verba cum loquendi modo ſimili, qui conjecturam noſtram firmabit, 2 Sam. I, 20. אַל־תַּגִּידוּ בְגַת *ne notum facite hoc in Gath* (eſt eadem phraſis, qua noſter utitur, cui ſimilem addi et aeque emphaticam conveniens erat, ne videretur ex hoc loco libri Samuelis tantummodo hoc acumen mutuatus, quod mihi videbatur obtundi aliquo modo, ſi ſequatur phraſis languidior, *flendo ne flete*, ſed vim novam atque elegantiam accipit per adjectum *in Acco ne flete*), *ne annunciate in plateis Aſcalon*. Favent mihi codices Graecae verſionis, quae hic habet (Hieronymus legit in iis Βακελμ) *οἱ ἐν Ἀκελμ illi qui in Acim habitant*. Lege Ἀκῶ [Sed ἐν Ἀκεὶμ, quomodo in codice Alexandrino exſtat, legit in ſuo Graeco codice et Arabicus interpres, qui فِي أَكِيمْ poſuit]. Certe pro nomine loci acceperunt. Judithae libro III, 1. urbs Acco Ὀκείνα ſcribitur. Lectum forte et illic Ἀκελμ. Denique Euſebius pro me facit, qui Onomaſtico urbium et locorum hanc quoque vocem inſeruit, quod docet, jam olim in codicibus verſionis Septuaginta-viralis dictae ita lectum fuiſſe, uti et Theodoretus *οἱ* Ἐνακὶμ legit [quomodo in codice quoque Vaticano legi-

legitur]. Ita ille: Ἐνακείμ, ἢ Ἐμβαχείμ. Μιχαίας. Ἀκ. καὶ Συμμ. ἐν κλαυθμῷ. Hieronymus: „*Inachim* five *Ibachim*, pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt *in fletu.* Meminit hujus Michaeas propheta." Nifi illi credidiffent, in בָּכוֹ latere nomen loci, non ita vertiffent οἱ ἐν Ἀκείμ. Huc etiam facit, quod Theodoretus notat, quosdam exiftimaviffe, voce בכו five Ἐνακίμ fignificari urbem aliquam a Gath diftinctam. Ita fcribit ad hunc locum: Ἐνακὶμ δὲ οὐχ, ὥς τινες ὑπέλαβον, ἄλλη τις πόλις ἐστὶ παρὰ τὴν Γέδ, ἀλλὰ τοὺς ἐνοικοῦντας Γὲδ Ἐνακὶμ ὀνομάζει, ὡς Ἐνὰκ τοῦ γίγαντος ἀπογόνους ὄντας. Unde liquet, exiftimaffe aliquos, per voces οἱ Ἐνακὶμ, vel οἱ ἐν Ἀκὶμ, intelligendos effe incolas loci alicujus Ἀκὶμ dicti. Cyrillus verba quidem ipfa Michae citans οἱ Ἐνακεὶμ, et in commentario illuftraturus fcribit, effe oppidulum in extremis Judaeae finibus fitum, ante folitudinem verfus auftrum, facra Moabitarum colens. Fallitur tamen in fitu affignando, quod plus femel ei contigit. Geographiae enim terrae fanctae parum gnarus videtur fuiffe. Sufficit nobis, eum quoque credidiffe, fub hac voce בָּכוֹ latere nomen urbis, et vidiffe, fenfum poftulare urbem iftiusmodi, quae facris Gentium effet addicta." Relandi conjectura fugiffe videtur J. D. Michaelem, qui in *Biblioth. Orient.* P. XX. p. 169. haud dubitat, pro בָּכוֹ loci alicujus nomen, paronomafiae caufa, exftitiffe, forfan בֹּכִים, qui locus Judic. II, 1. 5. memoratur, ut verba בֹּכִים אַל־תִּבְכּוּ fenfum hunc ambiguum haberent: *vos, flentes, ne fleatis*, et, fubaudito ב ante בֹּכִים, *vos, qui in Bochim* eftis, *ne fleatis*. Cui fuae conjecturae ex parte patrocinari exiftimat LXX, quos pro בָּכוֹ legiffe בּאכִים cenfet. Nos quidem illarum conjecturarum neutram admittendam arbitramur. Nam Relandi fententiae, ex qua in בָּכוֹ nomen urbis עַכּוֹ lateat, obftat, quod ea urbs, etfi forti tribus Afcher affignata, uti ex Jud. I, 31. patet, ab Ifraelitis tamen numquam habitata videtur; nam enumeratur eodem loco inter eas urbes, quarum incolas non expuliffent Afcheritae, nec inter urbes Afcheriticas Jof. XIX, 25. ulla fit mentio

urbis

urbis Acco, neque ex ullo alio V. T. loco colligere licet, eam ditioni Iſraeliticae adſcriptam fuiſſe. Et ipſe Relandus initio loci a nobis adducti illam habitatam dicit a gentibus, Iſraelitarum hoſtibus. Iis vero quis credat vatem acclamaſſe, ne Iſraelitarum calamitates defleant? Michaelis vero conjectura neque codice ullo, neque vetere aliquo interprete firmatur. Quid enim LXX in ſuo codice hebraeo pro בָּכוֹ legerint, nemo facile definiat, quum in vocabulo, quod nomini illi reſpondet, et ipſa Graecae verſionis exemplaria valde inter ſe discrepare ſatis appareat ex his, quae Relandus de בָּכוֹ disputavit. Pro תִּבְכּוּ autem Graecum interpretem תִּבְנוּ legiſſe inde colligere licet, quod *μὴ ἀνακοδομεῖτε* vertit. Ceterum quod in codicibus omnibus legitur, et a reliquis quoque antiquis interpretibus exprimitur, בָּכוֹ אַל־תִּבְכּוּ, ſenſum concinnum et elegantem fundere vidimus, dum interdicitur iis verbis Iſraelitis fletus gravis, acerbus, publicus, qui ad vicinos ſibi inimicos, Philiſthaeos, perſonet. Interdicto vero ſuo jungit vates mandatum: בְּבֵית־לְעַפְרָה עָפָר הִתְפַּלָּשִׁתִּי *in Beth-leaphra pulvere operias te.* De nomine בֵּית־לְעַפְרָה diſſentiunt, num ſit appellativum, an proprium? Qui pro appellativo habent, *domum pulveris* (ל redundante, aut pro Genitivi nota ſerviente, ut 1 Chron. XXIII, 28. טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ *purgatio omnis rei ſanctae*), vel *domum ad* ſ. *in pulverem* ſcil. redactam dici putant talem, quae in pulverem redacta eſt a catapulta, vel ariete, ſeu in cinerem ab incendio. Sic monebit propheta, ut quando pulveris abunde eſt in patriae ruina, pulvere ſeſe conſpergant, quod in luctu fieri ſolebat, vid. not. ad Ezech. XXVII, 30. Ita Chaldaeus: דְיָתְבִין בְּבָתַּיָא בְּעַפְרָא יִתְפַּלְשׁוּן בִּקְטְמָא חֲפוֹ רֵישֵׁיהוֹן *qui habitant in domibus in pulvere,* i. e. in pulverem redactis, *cinere conſpergant ſe, operiant capita ſua.* Et Hieronymus: „*In domo pulveris pulvere vos conſpergite.* Nolite exire foras, ſed in domo pulveris et ruente cinere vos conſpergite ruinarum.“ Huc referendus Hillerus, qui in *Onomaſt. S.* p. 950. nomina hoc Verſu et proximis

a Micha

a Micha posita existimat non tam esse usitata, quam paronomastica, ad nomina urbium vicinarum Judae et Benjaminis alludentia. Et nostrum quidem בֵּית־לְעַפְרָה alludere putat ad עָפְרָה, *Ophra*, urbem Benjaminitarum, cujus mentio fit Jos. XVIII, 23. 1 Sam. XIII, 17. Cui sententiae tamen recte, nostro judicio, obvertit Relandus *Palaest.* p. 1056., primo quidem, constare, quaedam horum nominum esse vera nomina locorum, quae tunc temporis extiterunt, uti Lachis, Schaphir, Achsibh, Marescha, Morescheth Gath, Maroth, quibus inserere nomina ficta urbium, non videtur congruum. Secundo, perire omnem paronomasiae elegantiam, si nomina locorum fingere liceat, et hoc unusquisque de re locove quolibet facere potest. „V. g. pulchrumne est, aut elegans, si dicam: *dolebit Dolia, et ridebit Ridium?* quum nomina haec non sint locorum vera, sed conficta. E contrario, si loca illa vere existant, apta sit paronomasia, uti: *capiatur Capua, cremetur Cremona.* Ad hujus rei confirmationem facit, in aliorum quoque prophetarum scriptis similes paronomasias inveniri, ita tamen, ut urbium vere existentium nomina exprimantur, uti Zephan II, 4. עַזָּה עֲזוּבָה *Gaza derelicta erit,* וְעֶקְרוֹן תֵּעָקֵר *et Ecron eradicabitur.* Jesaj. XXI, 2. עֲלִי עֵילָם *ascende Elam.* Jerem. VI, 1. וּבִתְקוֹעַ תִּקְעוּ *et in Thecoa clangite tuba.*" Vid. et Jes. XV, 5. XVI, 2. Jerem. XLVIII, 2. Quae quum ita sint, nos minime dubitamus, בֵּית־לְעַפְרָה esse nomen oppidi aut pagi in ditione regni Judaici siti. Quod autem loci talis ceterum incogniti et ignobilis incolas vates jubet sese luctus testificandi causa pulvere conspergere, majoribus urbibus et nobilioribus relictis, in causa est solus nominis sonus, qui quum nomen simile עָפָר, *pulvis*, commonefaceret, magis conveniens erat, ut ejus loci incolae sese pulvere conspergere juberentur, ut juxta nomen adesset omen, quam alius cujusdam loci. Minus nobis probabilis Grotii sententia, nomen עַפְרָה alludere ad *Ephraim*, seu metropolim ejus, Samariam, ut innuatur, ejus domos esse in pulverem redigendas. Neque enim ad

Israe-

Israelitas, seu regni decem tribuum cives, sed ad Judaeos inde a Versu 9. totus directus est sermo. Syriacus interpres pro בֵּית-לְעַפְרָה posuit ܒܒ̈ܬܐ ܕܟܘܡܦܪ̈ܐ *in domibus judicii*, s. *praetoriis*, si quidem vera est hujus dictionis explicatio, quam in Lexico Heptaglotto Castellus dedit. הִתְפַּלָּשְׁתִּי, quod in textu scriptum exstat, Ludov. de Dieu ad h. l. habet pro prima Praeteriti persona, sensumque sic exponit: nolite calamitatem populi Dei annunciare in Gath, nec publico luctu deflere, ne risui sitis hostibus vicinis, sed meo exemplo discite, quomodo vos geratis, qui me in domum Ophrae (scribendum erat *Aphrae*) abdidi, ibique me in pulvere volutavi. Verum rectius alii הִתְפַּלָּשְׁתִּי agnoscunt pro *secunda feminea* Praeteriti persona, cum Jod paragogico, ut אָכַלְתִּי pro אָכַלְתְּ *comedisti*, Ezech. XVI, 13. Exemplorum aliorum magnam copiam reperies in Hilleri *de Arcano Ceri et Cethib* L. II. p. 380. seqq. Positum autem est Praeteritum per enallagen pro Futuro, ut vertendum sit: *conspergas te*, s. *conspergas te*. In margine legendum praecipitur הִתְפַּלָּשִׁי *consperge te*, Imperativus femineus, ut mox Vs. 11. עִבְרִי *transi*. Feminino utitur vates, quod gentem Judaicam compellat. Veteres vertunt in Imperativo plurali, non quod הִתְפַּלָּשׁוּ in suis codicibus legerint, sed ut sensum concinnius exprimerent. Ceterum de verbo פָּלַשׁ vid. quae notavimus ad Ezech. XXVII, 30. LXX mirum quantum in nostro loco interpretando discrepant a nostro hebraeo textu. Nam pro verbis hebraicis inde a בָּכוֹ usque ad finem Versus haec ponunt: *οἱ ἐν Ἀκεὶμ μὴ ἀνοικοδομεῖτε· ἐξ οἴκου καταγέλωτα* (alii *κατὰ γέλωτα*) *ὑμῶν· γῆν καταπάσσασθε καταγέλωτα ὑμῶν.* Quae Hieronymus sic reddidit: *Qui in Bachim, nolite reaedificare ex domo derisum, terra aspergite derisum vestrum.* Sed Arabs: أَلَّذِينَ فِي أَكِيمْ لَا تَبْنُوا مِنْ بَيْتٍ لِلضَّحْكِ أَحْسُوا ٱلْأَرْضَ لِضَحْكِكُمْ O vos, *qui in Achim*,

Achim, ne aedificetis de domo (i. e. domum, e linguae Arabicae proprietate) *ad ridendum, ſorbete* (Latinus in Polyglottis interpres أحْسُوا ad حَسِيَ relato, *effodite*) *terram deriſui veſtro*, ſ. *propter deriſum veſtrum.* Senſum vero Cyrillus hoc modo explicat: Ἐπειδήπερ ὁ γείτων ὑμῶν οἶκος ἠρήμωται, τουτέστιν ὁ τοῦ Ἰσραὴλ, ταύτητοι πλατὺ γελᾶτε, Φησὶ, μονονουχὶ τῶν ἀπολωλότων κατορχούμενοι, μὴ οἰκοδομεῖτε ἐξ οἴκου καταγέλωτα.

11. עִבְרִי לָכֶם יוֹשֶׁבֶת שָׁפִיר עֶרְיָה־בֹשֶׁת *Transi vobis, habitatrix Schaphirae nudata pudibunda.* עִבְרִי *Transi*, i. e. muta locum, commigra in exſilium. Pronomen לָכֶם redundat, ut apud Latinos: *vade tibi.* Graeci etiam ita loquuntur: ἐκχώρησόν σοι. Dicendum vero erat עִבְרִי־לָךְ, ut Cant. I, 8. צְאִי־לָךְ *exi tibi*, et II, 10. 13. לְכִי־לָךְ *vade tibi.* Dixit autem עִבְרִי, ſingulari femineo, reſpectu totius coetus, יוֹשֶׁבֶת *habitatrix*, et לָכֶם, *vobis*, genere maſculino et plurali numero, reſpectu civium ſingulorum. Quamobrem ſic reſolvenda eſt disparitas numeri: *transite vobis, o incolae.* Steudel in *dem Archiv für die Theologie* ſeqq. Vol. II. p. 406. verba illa Schaphirae urbi per contumeliam acclamari cenſet hoc ſenſu: procede modo, oſtende te palam, nudata et pudibunda omnibus apparebis. De שָׁפִיר iterum diſſentiunt, num ſit nomen appellativum, an proprium? Qui pro appellativo habent, *pulchrum* locum indicari volunt, collato שָׁפְרָה, *pulchra obtigit*, Pſ. XVI, 7., et Hieronymus quoque notat, „*Schaphir* Syro Hebraeoque ſermone dici *pulchram.*“ Hinc plures vertunt: *habitatrix pulchri loci.* Eo vero intelligunt Samariam, quod aedificiis eſſet illuſtris, et vineis olivetisque conſpicua, quam Jeſaj. XXVIII, 1. *verticem vallis pinguiſſimae* vocat. Ita Hieronymus: „Samaria quippe in pulcherrimo Judaeae et uberrimo ſita loco nunc quoque oſtenditur. Dicitur ergo ad eam: O tu, quae habitas in regione uberrima, quae confuſa es ignominia, ſic transi, ſic ad captivitatem deducere, ut prae malorum magnitudine ne

vici-

vicinus quidem Allophylus [i. e. Philiſthaeus, vid. Vs. 10.] audiat vocem tuam." Verum de Samaria Verſu 8. ſermonem abſolvi, monuimus jam ad Verſum ſuperiorem. Hillerus *Onomaſt.* p. 950. nomine שָׁפִיר innui urbem Benjaminiticam *Para,* הַפָּרָה, Joſ. XVIII, 23. exiſtimat. „*Schaphir*," inquit, „*pulchrum, Para,* pro פְּאָרָה, *ornatam* ſonat." Sed nihil obſtat, quo minus urbem *Schaphir* dictam, exſtitiſſe ſtatuamus. Videtur eadem eſſe, de qua Eusebius in libro *de ſitu et nominibus locorum Hebraicorum* in libro Joſua e verſione Hieronymi: *Saphir, villa in montanis ſita inter Eleutheropolim et Aſcalonem, in tribu Juda.* Vix autem dubium eſt, reſpexiſſe vatem in hujus urbis nomine hic uſurpato notionem *pulchritudinis,* et hoc voluiſſe: tu, quae nomen habes a *pulchro,* et *Schaphir* appellaris, abduceris in exſilium turpificata et dedecore ſummo affecta. Id enim ſignificatur verbis עֶרְיָה־בֹשֶׁת, quae alii *cum nuditate* et *pudore* vertunt, ut ſit aſyndeton, pro בְּעֶרְיָה וּבְבֹשֶׁת, ut עֶרְיָה pro nomine ſubſtantivo habeatur, ut Ezech. XVI, 7. 22. 39. XXIII, 29. עֵרֹם וְעֶרְיָה eſt *in nuditate et denudatione,* i. e. omnino nuda. Alii, quibus עֶרְיָה eſt adjectivum femineum, ἀνομαλῶς poſitum putant in ſtatu abſoluto pro eo, quod debebat ſcribi, עֶרְיַת (quemadmodum Ruth. II, 17. אֵיפָה שְׂעֹרִים dicitur אֵיפַת שְׂעֹרִים *Epha hordei*), vertuntque: *nudata pudendis,* ut accidit iis, qui detractis veſtibus in captivitatem abripiuntur; comparantque illud Jeſaj. XLVII, 2. ad urbem Babylonicam directum, גַּלִּי־שׁוֹק *denuda crus, transi flumina.* Et Hoſ. II, 11. *Abripiam laneas et lineas veſtes* quae fuerunt ipſi לְכַסּוֹת עֶרְוָתָהּ *ad tegenda pudenda ſua. Nuda pudendis* vertit et Grotius, ſed metaphorice exponit: dejectis muris, quae velut veſtes ſunt urbium, fundamentis apparentibus. Verum quum עֶרְיָה Ezechielicis locis indicatis manifeſte ſit ſubſtantivum, neque בֹּשֶׁת alias ſignificatione *pudendorum* occurrat (quae מְבֻשִׁים dicuntur Deut. XXV, 11.), prior ratio omnino praeſtat. *Nuditas* et *pudor* opponuntur pulchritudini et ornamentis, quibus antea ea urbs gauderet

et

et ſuperbiret. Chaldaeus ſenſum expreſſit pluribus vocibus uſus ad rem eandem ſignificandam: עֲבָרוּ לְכוֹן דְיָתְבִין בְּשָׁפִּיר תְּלַן עֶרְיָא עַרְטְלָאִין בְהָתִין *transite vobis, qui habitatis in Schaphir, discooperti* quoad *verenda, nudi et patefacti.* Longius ab Hebraeo recedunt LXX, qui primas hujus commatis voces, עִבְרִי לָכֶם, mala translatas *καταγέλωτα ὑμῶν*, ad Verſum ſuperiorem retulerunt, reliquas autem ſic reddiderunt: *κατοικοῦσα καλῶς τὰς πόλεις αὐτῆς.* Nominis שָׁפִיר ſignificationem, quae *pulchritudinis* eſt, expreſſerunt adverbialiter, pro עֶרְיָה autem pronunciarunt עָרֶיהָ, voce בֹשֶׁת prorſus omiſſa. Iſtas autem voces Graecas, quae per ſe ſenſum integrum non fundunt, retuliſſe videtur Theodoretus ad nomina, quae Vs. 10. praeceſſerunt, *Geth* ac *Achim* (in Graeca verſione), hunc ſenſum exſculpens: Καθελῶ *τὰς πόλεις αὐτῆς, οὐδὲν γὰρ ὀνήσει, οὔτε τῶν οἰκοδομημάτων τὸ κάλλος, οὔτε ἡ τῶν χωρέων ἀσφάλεια, ἀλλ' ἀναστατοὶ ὑμῶν αἱ πόλεις γενήσονται.* Sed ad יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן, quae mox ſequitur, quaſi ejus deſcriptionem, iſta verba retulit Cyrillus: *Σεναὰν ἡ καλῶς τὰς ἑαυτῆς οἰκοῦσα πόλεις.* Syriaci interpretis verba in Bibliis Polyglottis ita leguntur: ܥܒܕܝ ܠܟܝ ܥܡܘܪܬܐ ܕܫܦܝܪ, quae Gabriel Sionita ſic vertit: *fac tibi, o habitatrix, quod bonum eſt.* Sed nulli dubitamus, pro ܥܒܕܝ legendum eſſe ܥܒܪܝ, et vertendum: *transi tibi, o habitatrix Saphiri;* nam ut in iis quae apud Syrum ſequuntur, ܥܡܘܪܬܐ ܕܨܥܢ, *habitatrix Soanis,* ܕ nota eſt Genitivi, ita eundem ea particula et ante ܫܦܝܪ ſignificari apparet. Ceterum verba עֶרְיָה־בֹשֶׁת Syrus cum iis, quae ſequuntur, conjunxit, uti poſtea videbimus. In verbis לֹא יָצְאָה יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן interpretandis magna iterum veterum et recentiorum diſſenſio, atque ea quidem eo major, quo minus in ſcriptura vocis צַאֲנָן conſentiunt. Ut a LXX ordiamur, in eorum codicibus, Vaticano et Alexandrino, legitur *Σενναὰρ*, quod Euſebius etiam in ſuo codice Graeco habuit. Nam in locis Hebraicis eſt:

Σεν-

Σεννααρ ἐν Μιχαίᾳ. Idem Arabicum quoque interpretem in ſuo Graecae verſionis codice legiſſe inde apparet, quod العِرَاق *al-Irak* poſuit, quo nomine terrae tractus longe lateque patens ſignificatur, ad utramque Tigridis partem ſita, quae magnam veteris Babyloniae atque Chaldaeae partem complectitur. Habuit igitur interpres nomen Graecum Σενναὰρ pro Hebraico שִׁנְעָר, *Sinear*, quod nomen eſſe regionis circa Babylonem conſtat, vid. not. ad Geneſ. X, 10. XI, 2. In Hieronymi tamen τῶν LXX codice nomen hebraico magis conveniens Σεννὰν exſtitiſſe, colligere licet e ſua verborum Graecorum verſione: *non eſt egreſſa habitatrix Sennan.* Niſi Σεννὰν, aut Σεναὰν Aquilae ſit. Cyrillus certe dicit: Ἐκδεδώκασι μὲν οἱ Ἑβδομήκοντα Σενναὰρ, Ἀκύλας δὲ ἔφη Σεναάν. Id eſſet hebraicum צַאֲנָן, vel צְנָן Joſ. XV, 37. Symmachum Hieronymus vertiſſe narrat *abundantem*, et Cyrillus εὐσθενοῦσαν, τάχα πού τι τοῦτο Σεναὰν ὑπεμφαίνοντος. Sed pro εὐσθενοῦσαν reſcribendum eſſe εὐθενοῦσαν (εὐθηνεῖν enim eſt *abundare, uberem, fertilem eſſe*), docet Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLIII. (T. I. p. 472. edit. Lipſ.). Videtur Symmachus pro צַאֲנָן legiſſe שַׁאֲנָן, quod Pſ. CXXII, 5. Alexandrinus εὐθηνεῖν reddidit, et Jeſaj. XXXII, 9. reliqui Graeci interpretes נָשִׁים שַׁאֲנַנּוֹת verterunt γυναῖκες εὐσθενοῦσαι. Id ipſum שַׁאֲנָן noſtro loco pro צַאֲנָן exſtat in uno Kennicottiano codice, et in quatuor Roſſianis a prima manu. Theodotion poſuit Σαινὰν, quod eſſet צאנן aut צאנין. Theodoretus mendoſe Αἰνὰν legit, dicit enim: Μία δὲ τῶν γειτονευούσων αὐτοῖς πόλεων ἦν ἡ Αἰνάν. Cyrillus inter Alexandrini interpretis Σενναὰρ et Aquilae Σεναὰν dubius haeret. Εἰ μὲν, inquit, νοοῖτο Σεναὰρ, φαμὲν ὅτι χωρίον ἐστι πλατὺ κατὰ πόλεις καὶ κώμας οἰκούμενον ἀλλοφύλοις μὲν πλὴν ἐν ὅροις τῆς Ἰουδαίας· εἰ δὲ δὴ νοοῖτο Σεναὰν, λαμπρὰν καὶ ἐπίσημον Αἰγύπτου πόλιν κατασημᾶναι, εὐσθενῆ τε ὅτι καὶ πίων ἡ χώρα καὶ λῃΐοις κατάκομος, πῶς ἐστιν ἀμφιβαλεῖν. Verum שִׁנְעָר Cyrillum ſuſpicor per errorem

intra

intra fines terrae Judaicae ſitam opinatum eſſe. Quam autem ait eſſe celebrem Aegypti urbem, Senaan dictam, ab hoc loco plane alienam eſſe, nemo non videt. In Syriaca verſione (ܥܪܛܠܝܐ ܢܦܩܬ ܘܠܐ ܒܗܬܬ ܥܡܘܪܬܐ ܕܨܥܢ *nuda egreſſa eſt, nec erubuit habitatrix Soanis,* verbis עֶרְיָה־בֹשֶׁת e priori hemiſtichio huc relatis) pro צַאֲנָן legitur ܨܥܢ, quod tamen J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XX. p. 170. mendoſum judicat pro ܨܢ. Sane inter urbes tribus Judae memoratur Joſ. XV, 37. urbs צְנָן, quam nonnulli a noſtra צַאֲנָן haud diverſam exiſtimant. Quod ſi ita ſeſe habeat, vates nomen illius loci hic צַאֲנָן ſcripſiſſe cenſendus erit paronomaſiae cauſa cum יָצְאָה. Quam paronomaſiam et recte Hieronymus obſervavit: „*Senaam,*“ inquit, „quae interpretatur *exitus.*“ Sed minus probandus, quod Samariam eo nomine innui voluit: „De eadem Samaria dicitur, quae in ipſis Aſſyriae captivitatis eſt foribus, et ſtatim ut mota fuerit de finibus ſuis hoſtilem terram ingreditur. Non eſt igitur egreſſa, quae habitat in exitu, propria voluntate, ſed vi ducta eſt in Aſſyrios.“ Verum inde a Verſu nono vatem de ſolo Judaico regno agere, miſſo Iſraelitico, ſive Samaritano, jam aliquoties monuimus. Kimchi haec verba jungit iis, quae proxime ſequuntur, מִסְפַּד בֵּית הָאֵצֶל, ſubaudito ante מִסְפַּד praefixo לְ, hoc ſenſu: incolas Zaananis quum viderent Bethezelitas ab hoſtibus captivos abduci, eosque plangentes et lachrymas fundentes, non iis occurriſſe, ut humanitatis et officii erga vicinos ratio poſtulabat, ut miſerorum dolorem conſolarentur, quia ipſi idem ſibi proxime inſtare infortunium metuerent, et in aliorum capite conjecturam non obſcuram ſumerent de ſuo. Nos tamen verba לֹא יָצְאָה יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן haud dubitamus ſenſum integrum efficere, quem recte Chaldaeus expreſſerit: לָא יִפְּקוּן מְשֵׁיזְבִין יָתְבֵי צַאֲנָן *non exeunt ſalvi habitatores Zaanan.* Vult enim vates, incolas Zaananis (cui ab *exeundo,* יָצָא, nomen) non audere extra urbis moenia egredi,

ob

ob metum hostium, qui circum eam vagantur, neque si qui tamen egredi auderent, salvos redituros. GROTIUS: „צַאֲנָן, quod Vulgatus vertit ab *exitu*, a radice יָצָא, alii forte rectius *terram pecorosam* interpretantur a צאן. Vicinitate simili iis, quas diximus, *Sionem* significat, hoc sensu: illi qui in Sione habitant ne pedem quidem moverunt ad servandos Ephraimitas." Et ad צאן quidem respici existimavit et HILLERUS *Onomast.* p. 951., ut significetur *urbs pecorosa*, cujus incolae non amplius exeant ad greges suos curandos. Urbem צְנָן autem Jos. XV, 37. innui putat. A qua sententia nec alienus est Michaelis l. c., qui צאנָן efferendum conjicit, quod et sine Aleph scribi possit, quum *ovium* greges et צֹנֶא Num. XXXII, 24. atque צֹנֶה Ps. VIII, 8. dicantur. Ad idem nomen צאן sive צנה BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLIII. (T. I. p. 472. edit. Lips.) respexisse arbitratur Symmachum suo εὐθηνοῦσαν, quomodo pro vulgari εὐσθενοῦσαν reponendum esse ostendit. Sed cf. quae de Symmachi interpretatione supra dicta sunt. Nos quidem acquiescimus in eo, quem diximus, sensu, utpote simplicissimo. Vehementer autem inter se dissentiunt interpretes in explicandis verbis, quae sequuntur, מִסְפַּד בֵּית הָאֵצֶל יִקַּח מִכֶּם עֶמְדָּתוֹ, quae ad verbum ita sonant: *planctus Beth-haezel capit a vobis stationem*, seu *stabilitatem suam*. Bipartito vero hujus loci interpretationes distribui possunt, sunt, quae verba מִסְפַּד בֵּית הָאֵצֶל iis quae praecesserunt, et aliae, quae illa eis quae sequuntur jungunt. Ad classem priorem referendi LXX, qui sic vertunt: (οὐκ ἐξῆλθεν κατοικοῦσα Σεναὰν s. Σενναὰρ) κόψασθαι οἶκον ἐχόμενον αὐτῆς, λήψεται ἐξ ὑμῶν πληγὴν ὀδύνης. Haec Hieronymus sic reddidit: *plangite domum juxta eam; accipiet ex vobis plagam doloris.* Pro κόψασθαι legit κόψατε vel κόψετε. Sed Infinitivum expressit quoque Arabicus interpres: لِتَنْدُبَ بَيْتًا بِجَانِبِهَا *ad plangendam domum sibi adjacentem.* Habuit Graecus interpres מִסְפַּד pro Infinitivi forma Chaldaeis usitata, בֵּית הָאֵצֶל vero

domum

domum vicinitatis interpretatus eſt, collato אֶצְלִי *prope me*, Ezech. XIII, 6., et pro עֶמְדָּתוֹ videtur מַכָּתוֹ vel חֲבוּרָתוֹ aut legiſſe aut intellexiſſe. Ita et Syrus: ܡܪܩܘܕܬܐ ܕܒܝܬ ܐܘܙܠ ܢܣܒ ܡܢܟܘܢ ܡܚܘܬܗ *luctus Beth-Uzel accipiet a vobis plagam ſuam.* Jam quod ſenſum attinet, Graecum interpretem verba priora cum antecedentibus juncta ita intellexiſſe patet, non egreſſam eſſe habitatricem Zaananis ad condolendum vicinis, quomodo et Kimchium verba cepiſſe vidimus. Cyrillus: *Οὐκ ἐξῆλθε κόψασθαι τὸν ἐχόμενον οἶκον, τουτέστιν, οὐ τεθρήνηκε τοὺς ἐκ γειτόνων, ἐγγὺς δὲ τῆς Ἰουδαίας ἡ Σενναὰρ ὡς ἔφην, καὶ μέντοι καὶ ἡ Σεναὰν, τουτέστιν ἡ Αἰγυπτία, διαπίπτοντι δὲ καὶ πεπορθημένῳ τῷ Ἰσραὴλ οὐκ ἐπήλγησε μᾶλλον, ἀλλ᾽ ἐπετώθασεν, ἐπέχαιρε δὲ αὐτῇ, καθάπερ οἱ ἀπὸ Γὲθ καὶ Ἐνακείμ.* Reliqua verba autem ſic explicat: *Ἐξ ὑμῶν, ἤτοι δι᾽ ὑμᾶς λήψεται πληγὴν ὀδύνης, τουτέστι, καταδηωθήσεται καὶ αὐτὴ ταῖς ἄλλαις ὁμοῦ· πεπόρθηται δὲ καὶ ἡ Σεναὰρ, καὶ μέντοι καὶ Αἴγυπτος καταθέοντος αὐτὴν Σεναχαρείμ.* Verba מִסְפַּד בֵּית הָאֵצֶל cum iis, quae praecedunt, junxiſſe et Kimchium, hoc ſenſu: Zaananis incolas non egreſſos eſſe ad conſolandos Bethazelitas captivos abductos, ſupra docuimus; reliqua verba autem יִקַּח מִכֶּם עֶמְדָּתוֹ, in Commentario patrem ſuum, Joſephum, ſequutus, ita exponit: *accipiet* hoſtis *a vobis ſtationem ſuam,* i. e. mercedem ſtationis ſuae, morae, quam fecit in veſtris oppidis expugnandis. Eo erit in vos durior ac ſeverior, quo illi plus negotii exhibueritis pertinaciter reſiſtendo, et poſtquam omnia veſtra diripuerit, vos ipſos captivos abducet. Rabbi quidam Jonah, Salomoni Ben Melech memoratus, עֶמְדָּתוֹ pro אֶמְדָּתוֹ poſitum, idque ſignificatu Chaldaici אוּמֵּד, *aeſtimatio, conjectura* ſumendum cenſet. Ita vertendum foret: *capiet conjecturam ſuam a vobis,* i. e. veſtro, o Bethazelitae, eventu edocti Saanitae intelligent, quodnam ipſos fatum maneat. Verum ſi יִקַּח ad Zaanitas (יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן) referendum eſſet, תִּקַּח ſcribendum erat. Salomon Ben Melech in *Michlal-Jophi*

poſt Kimchium in Lexico עֶמְדָּתוֹ ab עֶמֶד *ſtationem*, i. e. quietem *ſuam* interpretatur, hoc ſenſu, *capiet*, i. e. diſcet ſcil. Bethaezel *a vobis*, Zaanitis *ſtationem ſuam*, i. e. quemadmodum coletis otium et quietem, ubi vicini veſtri peribunt, ac ne doloris quidem ſignum edere audebitis, ita viciſſim quum vos trahemini in exilium, accolae et vicini veſtri manebunt quieti, quaſi conditio veſtra nihil ad ipſos ſpectaret. Quibus tamen cunctis interpretationibus, quae מִסְפַּד בֵּית הָאֵצֶל ad ea, quae praeceſſerunt, trahunt, et verba יִקַּח מִכֶּם עֶמְדָּתוֹ capiunt ſeorſim, quaeſiti atque duri quidquam ineſſe, neque paronomaſiae iis rationem haberi, cujus Noſter hic ſtudioſiſſimus eſt, unusquisque ipſe intelliget. Inter eos autem, qui verba מִסְפַּד בֵּית הָאֵצֶל יִקַּח מִכֶּם עֶמְדָּתוֹ conjunctim ſumunt, primus nominandus eſt Hieronymus, qui illa ſic vertit: *planctum domus Aſel accipiet ex vobis, quae ſtat ſibimet*, et in Commentario ita exponit: „Unde [quod Samaria captiva abducta eſt] domus vicina et ex latere, quod interpretatur *Aſel*, regnum videlicet Juda, planctum accipiet ex vobis, quae nunc interim, Samaria capta, ſubſtitit, et Deum habuit defenſorem.“ Stabat Judaeae regnum, quo tempore everſa eſt ab Aſſyriis Samaria, ſtetitque diu, ab anno nempe Hiskiae ſexto ad annum Zedekiae undecimum, id eſt, annos 134. Id igitur, ex Hieronymi ſententia, ſuae calamitatis exemplum vidit in Samaria, et ab illa accipit et plangendi modum, quam plangentem audivit, et dolendi argumentum non diſſimile. Sed neque pro Samaria Zaanan haberi poteſt, nec עֶמְדָּתוֹ verti: *quae ſtat ſibimet.* Chaldaeus noſtrum locum ſic *παραφράζει*: עֲבִידוּ לְכוֹן מִסְפַּד בְּמֶרֶד עַל קְטִילֵי גִבָּרֵיכוֹן בֵּית צוּלָאֵי עַל בָּתֵּי חֶמְדַּתְכוֹן דְּהֲוֵיתוֹן אָנְסִין וּמְקָרְבִין הֵין לְסְטַר הֵין בְּכֵן יִתְנְסֵיב מִנְּכוֹן שְׁפַר אַרְעֲכוֹן *planctum vobis edite cum pervicacia ob interfectos fortium veſtrorum in domo profunda; propter domos deſiderabiles veſtras, quas violenter abſtuliſtis hanc ad illam adjungentes, ideo elegantia terrae veſtrae tolletur a vobis.* In qua paraphraſi duplex interpretatio juncta videtur, altera, qua nomine בֵּית־הָאֵצֶל ad

ad צוּלָה five מְצוּלָה *profundum*, i. e. fepulchrum alludi credebatur, et עֶמְדָּה, *ftabilitas, firmitas*, pro viris fortibus fumebatur, in quibus civitatis eft robur; altera, qua בֵּית-הָאֵצֶל *domus propinquitatis* exponitur, i. e. tales, quae conjunctae ab uno domino poffidentur, עֶמְדָּה vero de illarum *ftatione* intelligitur, cum allufione ad חֶמְדָּה *defiderium* (ipfum חמדתו legitur in duobus de-Roffi codicibus a prima manu). Pofteriorem interpretationem fuam fecit Jarchi, qui noftri loci fenfum hunc tradit: „*Planctus*, quem creatis illis, qui fpoliantur, dum vos poffeffionem eorum aufertis, *ut adjungatis domum domui et agrum agro* (Jefaj. V, 8.), *aufert a vobis ftationem ejus* (בֵּית-הָאֵצֶל), id eft, ftationem aedificiorum, quae exftruxiftis et conftituiftis fuper eorum poffeffione. בֵּית-הָאֵצֶל fignificat lingua vernacula *ajoutement* (adjunctio, adjectio)." Nobis quidem ejusmodi explicationes videntur ad *Midrafchim*, id eft, interpretationes veterum doctorum allegoricas referendae, quae poftquam talium locorum verus literalis fenfus in oblivionem veniffet, in genuinae interpretationis locum funt fubftitutae. בֵּית הָאֵצֶל non pro appellativo, fed pro nomine proprio loci eft habendum, ad cujus appellativam fignificationem procul dubio, uti in iis, quae antecedunt et fequuntur, alluditur. אֵצֶל *Vicinitatem*, vel fitus propinquitatem (*juxta, prope*) fignificare conftat, vid. Ezech. XLIII, 6. Dan. VIII, 17. Unde nomine בֵּית הָאֵצֶל quidam locum innui exiftimarunt, *juxta* quem fugientes tuti poffint *confiftere* (collato fequente עֶמְדָּתוֹ), aut malorum *fubfiftere* curfus. Sed nobis magis probatur eorum fententia, qui in הָאֵצֶל ad fonum cognatum צֵל *umbra* alludi cenfent, quafi nomine illo *domus umbrae* indicetur, quae umbram videbatur ex fuga feffis praebitura, quemadmodum Jeremias XLVIII, 45.: בְּצֵל חֶשְׁבּוֹן עָמְדוּ מִכֹּחַ נָסִים *in umbra Hesbonis ftant fine viribus profugi.* Senfum recte expreffit C. B. Michaelis: *Luctus Beth-haezel* (eft enim מִסְפַּד ftatus conftructus abfoluti מִסְפֵּד Vs. 8.), i. e. *Beth-haezel*, quae et ipfa lugebit, nullam fugientibus vobis vel *umbram* praebebit,

in qua tuti conſiſtatis, vel terminum figet malo ad ſubſiſtendum. עֶמְדָּה hoc ſolo loco obvium nomen eſſe formae חֶמְדָּה, ab עָמַד, Kimchi obſervat. Hillerus *Onomaſt.* p. 951. nomine בֵּית הָאֵצֶל intelligit *Azelitas* e tribu Benjamin, quorum urbs dicta ſit *Moza*, מוֹצָא, de nomine viri alicujus מוֹצָא, qui *Azeli* fuit abavus, Joſ. XVIII, 26. 1 Paral. VIII, 27. 38. Grotii interpretationem commemoraſſe ſufficiat: „*Planctum, o Beth-haezel, accipiet a vobis* Sion *ſtans ſibi. Beth-haezel domum ſeparationis* ſignificat, a Deo ſcilicet. Indicatur autem Bethel, *domus Dei* olim dicta. Senſus eſt: urbs Hieroſolyma planctum quidem a Bethele audiet, ſed res ſuas aget, neque ſe Bethelis rebus immiſcebit.“

12. כִּי eſt *explicativum* potius, quam *cauſale*, quaſi dicat: *Nam* ut calamitatis progreſſum et magnitudinem ulterius explicem. Prius hujus Verſus hemiſtichium, כִּי חָלָה לְטוֹב יוֹשֶׁבֶת מָרוֹת, LXX reddiderunt: Τίς ἤρξατο εἰς ἀγαθὰ κατοικούσῃ ὀδύνας; quae Hieronymus hoc modo vertit: *Quis cepit in bonum, quae habitat in doloribus?* Pro כִּי Graecus interpres legit מִי, חָלָה confudit cum הֵחֵל, *incepit*, Geneſ. VI, 1., et מָרוֹת *amaritudines*, transtulit ὀδύνας. Quod vero ſenſum attinet Graecae verſionis, Cyrillus hunc Verſum ad urbem Hieroſolymitanam refert, primo quidem graviter afflictam, ſed poſtquam a Deo ſatis eſſet caſtigata, emergentem, atque a calamitate, quae ei ab Aſſyriis, Sanheribo duce, minabatur, divina potentia inopinato liberatam. Ποία δὴ, inquit, οὖν ἄρα πόλις ἐν ὀδύναις οὖσα, καὶ τοῖς περὶ τῶν ἐσχάτων δείμασι, τοῦτο γάρ ἐστι κατοικοῦσα ὀδύνας, διανένευκεν ἀδοκήτως εἰς ἀγαθόν, τουτέστιν, εἰς εὐθυμίαν; ἆρα μία τῶν παρ' ὑμῖν; οὐδαμῶς, φησὶν, ἀλλ' ἡ ἐμὴ πάλιν Ἱερουσαλήμ· κατέβη μὲν γὰρ ἐπ' αὐτοὺς παρὰ κυρίου κακά, τουτέστιν, ἐγὼ λελύπημαι, καὶ πεπαίδευκα, καὶ τὸν Ἀσσύριον αὐτοῖς ἐπενήνοχα, καὶ ἐξ ἐμῆς ὀργῆς ἡ κατ' αὐτῶν γέγονε κάκωσις, πλὴν ἀπέσβη, καὶ λέλυται τῆς ἐμῆς νικώσης χειρὸς, καὶ παραδόξως

δόξως ἐκρυομένης τοὺς τὰ ἐμὰ σέβοντας κράτη. Theodoretus vero, qui Graecorum verborum ſtructuram implicatam et inſcitam judicat, cauſam indicari putat dolorum, qui Hieroſolymis evenerunt: Ἐντεῦθεν πρὸς τὴν Ἰερουσαλὴμ μεταφέρει τὸν λόγον· ἔστι δὲ ἡ σύνταξις τῶν ῥητῶν συμπεπλεγμένη καὶ λίαν ἀσαφής· χρὴ τοίνυν οὕτω συντάξαντας εὑρεῖν τὴν διάνοιαν· τίς ἤρξατο ἐν ὀδύναις κατοικούσῃ ἀγαθά; τῇ γὰρ εὐθηνουμένῃ φησὶ καὶ εἰρήνης ἀπολαυούσῃ καὶ εὐπραξίας πολλῆς, τίς αἴτιος ἐγένετο τῶν συμφορῶν; δεῖξαι δὲ βούλεται, ὡς οὐκ ἄνθρωπος αὐτῇ, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων θεὸς ἐπάγει τὰς τιμωρίας, ποινὴν πραττόμενος ὧς ἠσέβησε. Hieronymus verba hebraea ita vertit: *quia infirmata eſt in bono quae habitat in Maroth.* Quae in Commentario ſic exponit: „Accepit autem planctum, et percuſſa formidine eſt, et infirmata bono ſuo, quae habitat in *Maroth*, id eſt, *in amaritudinibus*, ſive, ut Symmachus vertit, *habitatio ad amaritudinem provocans*, hoc eſt, ἡ κατοικία ἡ παραπικραίνουσα, quod Hebraice dicitur *Joſebeth Maroth*, propter captivitatem vicinarum tribuum.“ Syrus: ܡܛܠ ܕܐܬܟܪܗܬ ܠܛܒܬܐ ܥܡܘܪܬܐ ܘܡܪܪܬ *quoniam infirmata eſt ad bonum agendum habitatrix et rebellavit.* Pro מָרוֹת legit מְרָתָה. Chaldaeus: אֲרֵי דַהֲוָת יָתְבָא עַל שְׁפַר אַרְעָא וּמְסַבְּרָא לְטַב וּמְסַבְּרָא לְמֵתַב לְאוֹרַיְתָא מַה תַּעְבְּדוּן *nam illa, quae habitabat in amoenitate terrae, et exſpectabat bonum, et ad legem converti ſperavit, quid facitis?* Quod hebraea חָלָה לְטוֹב vertit מְסַבְּרָא לְטָב, *exſpectans bonum*, cauſa non ea eſt, quam Cappellus opinatur, quod loco חָלָה legerit הֹחִיל, Hiphil verbi יָחַל, ſed quod חוּל, unde חָלָה, cepit ſignificatione *manendi*, *exſpectandi*, quam praeter *dolendi* ſignificatum obtinet. Hinc eſt Jud. III, 25. וַיָּחִילוּ *et exſpectarunt*, Job. XXXV, 14. וּתְחוֹלֵל לוֹ *et exſpectabis eum.* Chaldaeum ſequutus Jarchi, cujus explicatio haec eſt: „Exſpectavit bonum (קִוְּתָה לְטוֹבָה) quae tranquille habitat et reluctatur ori prophetarum.“ מָרוֹת retulit ad מָרָה *rebellavit*, 1 Reg. XIII, 26., cum alluſione ad

ad מַרְיא *pingue*, aut מַרְאֶה *adſpectus*, *ſpecies*. Alii, qui הָלָה *exſpectandi* notione capiunt, verborum noſtrorum ſenſum hunc faciunt: fruſtra pendebunt ab inani ſpe et fallaci incolae urbis Maroth, quia devoti prorſus erunt exitio. Sed aptior ſenſus erit, ſi חָלָה cum Kimchio *indoluit*, ſ. *dolebit* interpretaris (ut Jerem. V, 3. *Exſpectavi eos*, וְלֹא־חָלוּ *ſed non doluerunt* ipſorum peccata): ſignificari vero dolorem acerbiſſimum, inde apparet, quod ad ſequens מָרוֹת alluditur, quod *amaritiem* ſonat. לְטוֹב *Ob bonum* ſcil. ablatum. Bonis ſuis et priſtina fortuna exuti Marothenſes dolebunt. יוֹשֶׁבֶת מָרוֹת *Habitatrix Maroth*, quod eſt nomen proprium loci ab *amaritie*, cf. Jeſ. XXXIII, 7. מַר יִבְכָּיוּן *acerbe flebunt*. Jerem. II, 19. רַע וָמַר *malum et acerbum*. Hillero *Onomaſt*. p. 591. idem ille eſt locus cum יַרְמוּת, oppido Judae, Joſ. XV, 35. כִּי יָרַד רָע מֵאֵת יְהוָה *Nam deſcendit malum a Jova*, quod additur ad declarandum, iſtud non fortuito Judaeis accidiſſe, ſed a Deo, juſto judice, importatum fuiſſe propter cauſas ſupra Vs. 5. commemoratas. Sic Amos III, 6. *Num accidit malum in civitate, quod Dominus non faciat?* Vid. et Thren. III, 38. Malum iſtud *deſcendere* dicitur deſuper in Judaeos, ſimilitudine ſumta ab imbre, ut Jeſaj. LV, 10. כַּאֲשֶׁר יֵרֵד הַגֶּשֶׁם וְהַשֶּׁלֶג מִן־הַשָּׁמַיִם *quemadmodum pluvia et nix deſcendit de coelo*; aut a grandine, Exod. IX, 19. וְיָרַד עֲלֵכֶם הַבָּרָד *deſcendit grando ſuper vos*. Conferendum et illud Geneſ. XIX, 24. *Jova pluere fecit ſuper Sodomam et Gomorrham ſulphur et ignem* מֵאֵת יְהוָה מִן־הַשָּׁמַיִם *a Jova e coelo*. Calamitas igitur illa terrae Judaicae deſuper illata vadere dicitur לְשַׁעַר יְרוּשָׁלָםִ *ad portam Hieroſolymorum*, vid. Vs. 9. Quae Hieronymus ad Aſſyriorum expeditionem contra Hieroſolymam ſuſceptam refert: „*Quia deſcendit malum a Domino in portam Jeruſalem*. Aſſyrius quippe, vaſtata Samaria, venit etiam ad Jeruſalem, eo tempore, quo Rabſaces miſſus eſt inſultans, de quo et Regnorum quartus liber [2 Reg. XVIII.] et Iſajas [XXXVI.] plenius ſcribunt. Item Cyrillus: Ἴσμεν δὲ ὅτι πολλὴν ἵππον ἔχων ὁ Ῥα-

ὁ Ῥαψάκης ἀφίκετο μὲν ἐν τοῖς Ἰεροσολύμοις, μόνον δὲ οὐχὶ καὶ αὐτῶν ἥψατο πυλῶν, εἷλε δὲ οὐδαμῶς. δεδαπάνηται γὰρ ὁ Ἀσσύριος ἐν μίᾳ νυκτί κ. τ. λ.

13. רְתֹם הַמֶּרְכָּבָה לָרֶכֶשׁ יוֹשֶׁבֶת לָכִישׁ *Junge currum equo habitatrix Lachifch*, i. e. junge currus et equos, five, ut te opponas hofti, qui excifo Ifraele, in tuos fines quam primum erumpet, vel, quod malim, ut celeri fuga te proripiens, impendentia mala vites. Steudel l. ad Vs. 11. laud. et haec verba ut illic per irrifionem dicta putat, hoc fenfu: tenta modo curribus equis junctis hoftium vim reprimere! vani erunt tui conatus. Verbum רָתַם hoc folo loco obvium fignificatione cum אָסַר *ligavit* currum convenire (vid. Genef. XLVI, 29. וַיֶּאְסֹר יוֹסֵף מֶרְכַּבְתּוֹ *ligavit Jofephus currum fuum*), res ipfa docet. Veftigium hujus notionis eft in Arabico رَتَمَ *filum digito obvolvit ad recordandum quid.* Bocharto *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. VI. T. I. p. 38. edit. Lipf. רָתַם proprie eft *ligare fune fparteo*, quia רוֹתֶם eft *fpartum* vel *genifta* (ut Arabicum رَتَمٌ), 1 Reg. XIX, 4. 5. Eft vero conftructio ad fenfum potius, quam ad Grammaticae leges, qua mafculinum רְתֹם cum feminino יוֹשֶׁבֶת jungitur; nimirum quia *habitatores* fub collectivo feminino intelligit; ita ut *habitatrix* perinde fit, ac fi dixiffet: *quisquis habitas.* רֶכֶשׁ non fignificare *dromadem*, nec *mulum*, ut Hebraeorum nonnulli voluerunt, fed *equum*, aut *equi velocis fpeciem* fignificare, pluribus probavit Bochartus l. c. Convenit enim cum Syriaco ܪܰܟܫܳܐ, *equus, equitatus.* Efth. VIII, 10. diplomata fua mittit Ahasverus בְּיַד הָרָצִים בַּסּוּסִים רֹכְבֵי הָרֶכֶשׁ *per curfores in equis, equitantes* רֶכֶשׁ, quod videtur addi ἐπεξηγητικῶς, ut regios tabellarios equis expeditiffimis vectos fuiffe fignificetur. Ac proinde Vs. 14., ubi de iisdem curforibus rurfus agitur, omittitur vox לַסּוּסִים, et הָרֶכֶשׁ utrumque fupplet. Et 1 Reg. IV, 18. (al. V, 8.), ubi

ubi de Salomonis equitatu: *hordeum et paleam afferebant* לַסּוּסִים וְלָרֶכֶשׁ. E vulgo equorum eximitur רֶכֶשׁ ut equi genus praeſtantiſſimum. Radix רָכַשׁ eſt *κτᾶσθαι*, *acquirere*, *comparare*, unde רְכוּשׁ *κτῆσις*, *κτῆμα*, *acquiſitio*, *poſſeſſio*, et רֶכֶשׁ primo *pecus* vel *jumentum* quodvis, ut Graece *κτῆνος*, *ἀπὸ τῆς κτήσεως*, quia pecore et jumentis veterum opes praecipue conſtabant; deinde jumentorum nobiliſſimum, *equus*, adeoque in equis qui *nobiliſſimus* eſt, et ad bellum aut ad vecturas maxime idoneus. Magis dubium videtur, quod addit Bochartus, a nomine רֶכֶשׁ, שׁ et צ permutatis, quod Arabibus haud infrequens, factum videri Arabicum ركض de equi pleno curſu, qui *κάλπη* Graecis, et Gallis *gallop*. Uſus autem eſt Noſter nomine לָרֶכֶשׁ paronomaſiae cauſa, ut luderet ſonorum vicinitate cum nomine urbis לָכִישׁ (לשון נופל על הלשון ut ait Kimchi), quae urbs Judae erat campeſtris, occidentem verſus, ad Philiſthaeorum terminos, Joſ. XV, 39., a Sennacheribo obſeſſa, 2 Reg. VIII, 14. 17. Graecus Alexandrinus interpres prima hujus Verſus verba, רְתֹם הַמֶּרְכָּבָה לָרֶכֶשׁ, retulit ad Verſum ſuperiorem, tanquam deſcriptionem uberiorem *mali deſcendentis ad portam Hieroſolymae*. Vertit enim: *ψόφος ἁρμάτων καὶ ἱππευόντων*. Pro רתם videtur ותם legiſſe, ab הַם ſive הָמַם *ſtrepere*, *fremere*; ex affinitate literarum ו et ר, ה et ת. Similiter Hieronymus: *Tumultus quadrigae ſtuporis habitanti Lachis*. Quod in Commentario explicat: „Veniet igitur, o Lachis, urbs idolis dedita, et ad te quadriga et equites Aſſyriorum." Syrus: ܩܛܪܬ ܡܪ̈ܟܒܬܐ ܕܪ̈ܟܫܐ ܥܡܘܪܬܐ ܕܠܟܝܫ *habenas aptavit curribus equorum habitatrix Lachiſch*. Pro רְתֹם enunciavit in tertia perſona רְתַם. Recte Chaldaeus ſic vertit: מְקִיסוּ רְתִיכַיָא רְמוֹ עַל רַכְשָׁא דְיָתְבִין בְּלָכִישׁ *aptate quadrigas, projicite vos ſuper veredos, qui habitatis in Lachiſch.* Cauſam addit, cur huic ſpeciatim urbi iſtud minetur: רֵאשִׁית חַטָאה הִיא, q. d. nec immerito illud urbs Lachiſch patietur malum, nam *principium*, i. e. prima cauſa *peccati*

illa

illa exſtitit. Vid. not. ad Vs. 5. Sic Proverb. XVII, 14. רֵאשִׁית מָדוֹן *initium contentionis* pro primo illius auctore et cauſa. הִיא pro אַתְּ, praeceſſit enim Vocativus, *tu, o habitatrix Lachiſch!* emphatica perſonae enallage, ut in illa indignantis apoſtrophe Geneſ. XLIX, 4. *Aſcendiſti cubile patris tui,* אָז חִלַּלְתָּ יְצוּעִי עָלָה *tunc polluiſti cubile meum! aſcendit.* לְבַת־צִיּוֹן *Filiae Zion,* i. e. Hieroſolymae et regno Judaico, ut Jeſaj. I, 8., ubi vid. not. בָךְ נִמְצְאוּ *In te,* urbs Lachiſch, *inventa ſunt,* i. e. primo exſtiterunt; id enim facile colligitur e praecedente רֵאשִׁית. — פִּשְׁעֵי יִשְׂרָאֵל *Peccata Iſraelis,* idolorum cultus, qui in regno Iſraelitico graſſabatur, vid. ſupra Vs. 5. Amos III, 14. Prima igitur urbs Lachiſch fuit in Judaico regno, quae aut vitulorum cultum, a Jeroboamo, aut Baalorum cultum, ab Achabo introductum, ſuſcepit et imitata eſt. Quum Lachiſch proxima attingeret Ephraimiticos fines, facile corruptos illius mores a noxia illa et peſtilenti vicinitate contraxit, unde ad reliquas civitates Judaeae, veluti ad Berſabe, Amos V, 5., et ad ipſam urbem Hieroſolymitanam contagio ſerpſit. Probabile eſt, hoc eveniſſe ſub regno Jorami et Ahaziae, qui Achabi exemplum imitati dicuntur 2 Paral. XXI, 6. 23. XXII, 3. 4. Haud conſtat ex ullo librorum hiſtoricorum V. T. loco, Lachiſch omnium primam a labe illa ſuperſtitionis exterae fuiſſe deformatam; ſed adeo hic propheta loquitur aperte, ut dubitare non liceat. Pro פִּשְׁעֵי in codicibus aliquot (duobus Erfurtenſibus et nonnullis de-Roſſianis), nec non in Bibliis a Dan. Bomberg Venetiis 1517. in forma maxima et 1518. in quaternis editis legitur פֹּשְׁעֵי *peccatores.* Quod ipſum exſtitiſſe in eo, quo Chaldaeus interpres uſus eſt, codice Hebraeo, falſo aſſeruit Ludov. Cappellus *Crit. S.* p. 777. edit. Hal., Latini interpretis verſione deceptus, in qua verba chaldaica, אֲרֵי בָךְ אִשְׁתְּכַחוּ מְרוֹדֵי יִשְׂרָאֵל, ita ſonant: *quia in te inventi ſunt rebelles, o Iſrael!* quum potius ſic transferendum eſſet: *quia in te inventae ſunt rebelliones Iſraelis.* Nam ſi adjective ſumeretur, punctandum

dum fuiffet מְרוּרִי, quum מָרוּר, *rebellis, contumax,* Camez in numero plurali non mutet, obfervante Buxtorfio *Anticrit.* p. 723.

14. Cauffalis particula לָכֵן referenda eft vel ad id, quod proxime praecedit Vs. 13., quod videlicet Ifraeliticam idololatriam filia Zionis, ad exemplum urbis Lachifch, imitata eft, vel ad remotius Vs. 5., ubi dicitur, ex urbe Hierofolymitana promanaffe fuperftitiofum idolorum cultum in reliquam Judaeam. תִּתְּנִי *Dabis,* non Lachifch (Vs. 13.), fed per apoftrophen: *o filia Zion,* quae et infra Vs. 16. compellatur. In verbis vero תִּתְּנִי שִׁלּוּחִים עַל מוֹרֶשֶׁת גַּת explicandis vehementer inter fe discrepant interpretes, difficultatem potiffimum creante voce שִׁלּוּחִים. Eam vetuftiffimi interpretes, Graecus Alexandrinus, et Hieronymus *miffos* transtulerunt, quafi שְׁלוּחִים, Participium paffivum primae conjugationis, enunciaffent. Ita enim Graecus: Διὰ τοῦτο δώσεις ἐξαποστελλομένους ἕως, κληρονομίας Γέθ. Quae verba Theodoretus ita explicat: Τούτου χάριν καὶ παρὰ σοῦ πλῆθος αἰχμαλώτων, οἱ πολέμιοι λήψονται, τούτους γὰρ ἐξαποστελλομένους ὠνόμασε, καὶ ἕως Γὲθ ἔρημος ἡ γῆ σου γενήσεται. Cyrillus, δώσεις ad Deum relato: Ἐξαποσταλήσονται παρὰ σοῦ, τὴν ἐνεγκοῦσαν ἀφέντες, καὶ εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων μεταχωρήσαντες, οὐχὶ μόνοι φησὶν οἱ ἐν Σαμαρείᾳ, ἀλλὰ γὰρ καὶ οἱ ἐν Γὲθ, ὧν οἱ μὲν γεγόνασιν ἀποστάται καὶ ὑβρισταὶ καὶ τῶν σῶν κατόπιν ἱέναι θεσπισμάτων οὐκ ἀνεχόμενοι, οἱ δὲ πεπραχόσιν ἀθλίως ἐπιτωθάζοντες, τῆς σῆς δόξης ἐποιοῦντο καταῤῥησιν τὸ συμβεβηκός. Hieronymus, תִּתְּנִי pro tertia feminini perfona capiens, verba noftra fic vertit: *propterea dabit emiffarios fuper hereditatem Geth.* Quae in Commentario fic illuftrat: „Non folum autem fuper Lachis tumultus veniet et quadrigae, fed et fuper Geth, metropolim Palaeftinae, de qua fupra [Vs. 10.] dixerat: *in Geth nolite annunciare:* mittit enim Affyrius latrunculos fuos, quos vocat *emiffarios*, et poffidebit domum idololatriae

urbem-

urbemque mendacii [בָּתֵּי אַכְזִיב], quae in ſupplantatione fuit regibus Iſrael.“ Verum שִׁלּוּחִים, praeter hunc locum bis tantummodo in V. T. obvium, Exod. XVIII, 2. et 1 Reg. IX, 16., priori loco de uxoris *dimiſſione* (אַחַר שִׁלּוּחֶיהָ *poſt remiſſiones ejus*), poſteriore vero de *dono elocationis* (quaſi *emiſſionis* e domo paterna) uſurpatur; narratur enim ibi de Pharaone, dediſſe eum urbem Gazer שִׁלּוּחִים לְבִתּוֹ *dotem filiae ſuae*, Salomonis uxori. Hinc Hebraei interpretes unanimi conſenſu nomini שִׁלּוּחִים h. l. *munerum* (מִנְחוֹת) ſignificatum tribuerunt, Chaldaeo praeeunte, qui ſic vertit: בְּכֵן תְּשַׁדְּרִין קוּרְבָּנִין לְמַחְסְנֵי גַת *propterea mittes munera heredibus* ſ. poſſeſſoribus *Gath*, i. e. Philiſthaeis, ut vobis auxilium praeſtent contra hoſtes. Ita Aben-Esra: „Dabis munera Philiſthaeis, pro more tuo, ut te forſan adjuvent. *Moreſcheth Gath* eſt urbs in terra Philiſthaeorum.“ Kimchi quoque notat, Gath eſſe nomen urbis Philiſthaeorum, ſaepius commemoratae, quam David illis eripuerit. Jungere autem vatem nomen מוֹרֶשֶׁת, quod *hereditatem, poſſeſſionem* denotat, ut indicet, urbem illam, licet a Davide Philiſthaeis ereptam, tamen poſtea rurſus in eorum hereditatem veniſſe, propter Judaeorum peccata. Hoc igitur velle vatem: videte, quid veſtris peccatis effeceritis! illa enim urbs, quondam veſtra, nunc eſt in inimicorum veſtrorum poteſtate, et coacti eſtis, ſubmiſſe vos erga eos gerere, eisque munera mittere, ut vos contra ingruentem hoſtem juvent. Particulam עַל ante מוֹרֶשֶׁת Kimchi capit pro אֶל, ut Jeſaj. XXIX, 12. וְנִתַּן הַסֵּפֶר עַל אֲשֶׁר לֹא־יָדַע סֵפֶר *traditus eſt liber illiterato* (propr. *ad illiteratum*, ut Vs. 11. יִתְּנוּ אֹתוֹ אֶל־יוֹדֵעַ הַסֵּפֶר). Et 1 Sam. II, 11. *Ivit Elkana Ramatham* עַל־בֵּיתוֹ *ad domum ſuam*. Alii particulam עַל eo ſignificatu ſumunt, quo Exod. XXXV, 22. occurrit: וַיָּבֹאוּ הָאֲנָשִׁים עַל־הַנָּשִׁים *venerunt viri una cum uxoribus*, et verba noſtra ſic vertunt: *dabis munera* ad placandum hoſtem, vel redimendam vitam, *una cum* oppido *Moreſcheth Gath*. Malumus tamen nominis שִׁלּוּחִים eam ſignificationem h. l. adſciſcere, quam Exod.

XVIII,

XVIII, 2. habere obſervavimus, *dimiſſionis* videlicet, qua adſcita Cocceius in Lexico noſtrum locum bene expoſuit: *dabis libellum dimiſſionis ſuper Moreſcheth-Gath,* i. e. juri tuo in Moreſcheth Gath renunciabis, eamque aliis ipſo facto permittes, permittere ſaltem cogeris, velut ceſſionis ſyngrapham (ſicut fieri in fundorum venditionibus ſolet) dediſſes. Similis ſententia mox Vs. 1. 5. *Adhuc alium heredem adducturus ſum tibi,* et II, 4. *Fundum populi mei* mutat Deus, alios ei dando poſſeſſores. Sic verbum שִׁלַּח eſt aliquid *cedere* vel *dimittere* e poteſtate ſua Deuter. XV, 12. *Anno ſeptimo* תְּשַׁלְּחֶנּוּ *dimittes eum liberum,* et de libera dimittenda ancilla Deut. XXI, 14., atque de onagro libero dimiſſo Job. XXXIX, 5. Inter veteres hunc ſenſum ſolus expreſſit Syrus: ܡܛܠܗܢܐ ܗܘܝܬ ܬܬܠܠܝܢ ܡܫܕܪ ܝܪܬܘܬܐ ܕܓܬ *propterea miſſam facies hereditatem Gath.* מוֹרֶשֶׁת גַּת *Moreſcheth Gathae,* i. e. urbs *Moreſcheth* in vicinia urbis Gath (Vs. 10.), unde patronymicum *Moraſchtaeus,* מוֹרַשְׁתִּי (Vs. 1.), quidam deducunt, quod tamen a מָרֵשָׁה Vs. 15. poteſt eſſe. Cocoejus מוֹרֶשֶׁת capit appellative, quaſi ſtatus conſtructus ſit nominis מוֹרָשָׁה, *hereditas,* Deuter. XXXIII, 4., vertitque: ceſſionis libellum dabis *ſuper hereditate Gath,* i. e. fundos, quos habuiſti hucusque prope urbem Gath, perdes in poſterum. בָּתֵּי אַכְזִיב לְאַכְזָב לְמַלְכֵי יִשְׂרָאֵל *Domus Achzib* erunt *in mendacium,* fruſtrationem, *regibus Iſraelis,* ſ. *Judaicis,* dum hoſtibus cedent, in quas jurisdictionem ſibi Iſraelitici reges perpetuam ſpoponderant. *Regibus* vero *Iſraelis* h. l. intelligendos eſſe Judaicos, recte obſervat Kimchi. Nam hi quoque interdum, ubi nulla eſt ad decem tribuum reges oppoſitio, ſic vocantur, quia partem populi *Iſraelitici,* duas videlicet tribus, regebant; ſic Joſaphatus 2 Paral. XXI, 8. et Ahaſus XXVIII, 19. *reges Iſraelis* appellantur, et regni Judaici proceres 2 Paral. XXI, 4. שָׂרֵי יִשְׂרָאֵל ibid. XI, 3. *Dic ad Rehabeamum* וְאֶל כָּל־יִשְׂרָאֵל בִּיהוּדָה וּבִנְיָמִין *et ad univerſum Iſraelem in Juda et Benjamin.* אַכְזִיב eſt

eſt oppidum Judae, vicinum Mareſchae et Keilae, Joſ. XV, 44., quod Aben-Eſrae et Kimchio idem videtur cum כְּזִיב, cujus Geneſ. XXXVIII, 5. facta mentio. Alia hujus nominis Aſeritarum urbs memoratur Joſ. XIX, 29. Judic. I, 31. Latinis *Ecdippa* dicta. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p. 354. Selegit autem Noſter hanc urbem, quod ejus nomen paronomaſiae aptum eſſet cum אַכְזָב, praeter hunc locum ſemel duntaxat, Jerem. XV, 18. obvium, ubi vates queritur: תִהְיֶה לִי כְּמוֹ אַכְזָב *factus es mihi quaſi in fruſtrationem, velut aquae, quae non ſunt fideles* (de quibus vid. Job. VI, 15—18. et ad eum loc. not.). Unde Kimchi noſtrum locum ita exponit: „*Domus Achzib*, in quibus idola coluerunt, factae ſunt eis, fiducia in illis poſita, *fons fallax, aquae infideles*, quo quum aliquis ſitum extinguere poſſe ſperat, eum ſiccum invenit, ut ita ſpes eum fruſtretur. Sic fons quoque Achzibi reges Iſraeliticos fruſtrabuntur." Videtur Chaldaeum ſequutus eſſe, qui verba hebraea hac paraphraſi expreſſit: בָתֵי אַכְזִיב יִתְמַסְרוּן לְעַמְמַיָּא בְחוֹבִין דִי פְלַחוּ בְהוֹן לְטַעֲוָתָא מַלְכֵי יִשְׂרָאֵל *domus Achzib tradentur populis propter peccata, quibus venerati ſunt idola reges Iſraelis.* Aben-Esra *domibus Achzib*, urbis Judaeae, regnum Judaicum innui exiſtimat, a quo reges Iſraelitici auxilium ſperaverint, quos tamen ſpes deluſerit. Nos acquieſcimus in ſenſu eo, quem indicavimus ſupra.

15. עֹד הַיֹּרֵשׁ אָבִי לָךְ יוֹשֶׁבֶת מָרֵשָׁה *Adhuc* alium *heredem adducam tibi, habitatrix Mareſchae*, hoſtem videlicet, qui bona ac praedia tua jure hereditario poſſeſſurus eſt, te captiva abducta extra patriam. Luſit in parachreſi nominum יוֹרֵשׁ et מָרֵשָׁה, quorum prius *heredem*, ſive *poſſeſſorem* denotat, alterum eſt nomen oppidi tribus Judae, quod Joſ. XV, 44. מָרֵאשָׁה ſcribitur, inſerta Aleph. Memoratur 2 Paral. XI, 8. inter urbes, quas Rehabeamus exſtruxit; patria Elieſeris prophetae, qui contra Joſaphatum eſt vaticinatus, 2 Paral. XX, 37., ipſiusque noſtri vatis, vid.

vid. ſupra ad Vs. 1. Appellative *hereditatem* ſonat, a יָרַשׁ, quaſi diceret: poſſediſtis, o Mareſchitae, hucusque urbem veſtram et circumjectos fundos *hereditario* jure, ſed mox adducam, qui, pulſis veteribus colonis, in hereditatem iſtam ſuccedant. In אָבִי, *adducam*, excidit א per apocopen, ut 1 Reg. XXI, 21. הִנְנִי מֵבִי אֵלֶיךָ רָעָה *en adducam ad te malum.* Tale eſt יָנִי, Pſalm. CXLI, 5., pro יָנִיא (a נוא), quomodo in pluribus codicibus ibidem habetur. עַד עֲדֻלָּם יָבוֹא *Ad Adullam* usque *perveniet* hoſtis, hanc quoque et reliquas Judaeae urbes velut hereditatem ſuam occupaturus. *Adullam* oppidum erat tribus Juda ultra Hieroſolymam, utpote in שְׁפֵלָה, id eſt, campeſtri Judaeae regione, ad occaſum et auſtrum Hieroſolymae ſeſe extendente, ſitum, vid. Joſ. XV, 35. Ergo hoc ſignificat: ultra Hieroſolymam progredietur hoſtis, quem adducam; faciet enim excurſiones Odollam usque, quae a publica quoque clade non erit immunis. כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל *Gloriam Iſraelis,* i. e. ad Odollam usque, quae eſt glorioſa inter urbes Iſraeliticas, ſ. Judaicas (vid. not. ad לְמַלְכֵי יִשְׂרָאֵל Vs. 14.). Chaldaeus: וְיֵעֲלוּן בִּתְחוּם אַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל *atque ingredientur terminum terrae Iſraeliticae.* Alii: imo ad *gloriam Iſraelis* veniet hoſtis, i. e. quidquid Iſrael glorioſum et praeſtans habet, totum pervadet, ſibique vindicabit. Ut Jeſ. XVII, 4. יִדַּל כְּבוֹד יַעֲקֹב *imminuetur gloria Jacobi.* Hoſ. IV, 7. כְּבוֹדָם בְּקָלוֹן אָמִיר *gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Sunt, qui *gloria Iſraelis* in primis Hieroſolymam intelligant, quod urbium Iſraeliticarum, atque adeo totius Orientis, clariſſima eſſet, cujus pulchritudo et praeſtantia laudatur a poeta Pſalmi XLVIII, 2. 3. 12. 13. Quidam כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל vocative ſumunt: *o gloria Iſrael,* ut in priori hemiſtichio יוֹשֶׁבֶת מָרֵשָׁה. Omnium minime probandi videntur, qui כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל in caſu recto ſumtum (*ad Adullam usque veniet gloria Iſraelis*), hoſtem Aſſyrium intelligunt, quem *gloriam Iſraelis* vel ironice dictum putant, quod eſſet dedecus et vaſtitatem inducturus regno Iſraelitico et Judaico, vel ideo quod illo ſocio olim gloriati eſſent Iſrae-

Ifraelitae; vid. 2 Reg. XV, 19. J. D. Michaelis in not. 76. ad *Lowthii Praelect. XV. de facra Hebraeorum poefi* p. 297. edit. Gotting. f. p. 531. edit. Lipf. עֲדֻלָּם alludi putat ad עַד *usque, ad, juxta,* aliudque verbum, forfan טלם (arab. ظلم), pro quo et dicitur דלם (دلم), *nigrefcere*, בוא autem *occidendi* fignificatu fumit, unde haec prodit interpretatio: *juxta Adullam occidet gloria Ifraelis.* Quam verfionem et Dathius fuam fecit. Verum non admittit eam ufus linguae, ex quo formula בוא עַד denotat *venire usque ad locum aliquem,* veluti Genef. X, 19., et verbum בוא *occidendi* fignificatu folum tum ufurpatur, quando de fole fermo eft in tabernaculum intrante, in quod ex Orientalium fictione ingreditur, ibique requiefcendi ergo pernoctat, Pf. XIX, 6. Quod quum Michaelis ipfe perfpexiffe videatur, poftea illam interpretationem ipfe repudiavit, et in verfione prophetarum minorum vernacula hanc fubftituit: *Adullam confugiet Ifraelitarum multitudo;* fpeluncam intelligens fatis amplam et fpatiofam, in quam tempore adverfo fefe recipere folebant exagitati cives, vid. 1 Sam. XXII, 1. 2 Sam. XXIII, 13. 1 Paral. XI, 15. Sed *multitudinis* fignificatu nomen כָּבוֹד ufitatum fuiffe, nullo teftimonio probari poteft. G. L. Bauer in *Animadverff. Critt. ad duo priora Michae capita* p. xii. verba כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל a Verfu 15. fejungenda, et fequenti addenda putavit, ut haec prodeat fententia: *adducam vobis, incolae Marefae, adhuc heredem, qui Adullam usque veniet.* 16. *O gloria Ifraelis,* i. e. gloriofa, illuftris Ifrael, *decalvare et detondere propter filios delectos.* Praeivere jam LXX, monente Hieronymo: „Hoc quod dictum eft a Septuaginta: *gloria filiae Ifrael,* addentibus *filiae* [ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς Ἰσραὴλ], Hebraei in fine fuperioris capituli legunt." Illi tamen fuae conjecturae hoc maxime obftare Bauerus ipfe fentiit, quod nomini mafculino כָּבוֹד non conveniant Imperativi feminini קָרְחִי et גֹּזִּי. „Quid vero," inquit, „fi enallagen generis Hebraeis fatis frequentem, et in ipfo כָּבוֹד confpicuam Genef.

Genes. XLIX, 6. (אַל־תֵּחַד כְּבֹדִי) statns, aut vocem בַּת a LXX additam excidisse dicas, ad quam in casu regente positam genus more non insueto referatur." Quum tamen nec ita conjecturam a se propositam aliis arrisuram speret, aliam explicationem offert, in qua nihil immutandum, nil contra Grammaticae leges assumendum. „Notum est," inquit, „כָּבוֹד dici de persona hominis. Ut scilicet Hebraei faciem, os, aliaque pro ipso homine ponunt, sic et posuerunt כָּבוֹד, seu *meliorem hominis partem*, quod volunt, seu *cor*, Arabibus כבד dictum [imo كَبِدٌ est *jecur, hepar*] denotet. Sic כְּבוֹדִי est *ego ipse*, Ps. XVI, 9. Genes. XLIX, 6. כְּבוֹד יְהוָה *Deus ipse*, quasi *substantia Dei*, Ps. CVI, 20. Exod. XXXIII, 18. Eodem modo igitur כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל continet periphrasin Israelitarum: Israelitae, aut, si mavis, *Israelitae olim illustres* Adullam confugient, dignitate sua privati et exinaniti." Verum si כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל nominandi casu capere velis, nec, uti nos supra fecimus, in Accusativo, ut sit appositio nominis עֲדֻלָּם, praeferenda videtur Cocceji interpretatio: *ad Adullam veniet gloria Israelis*, i. e. opulentia, abundantia, ut כָּבוֹד Jesaj. VIII, 7. sumitur. *Venire ad Adullam* ex ejus sententia est coerceri, restringi eoque, occupatis scilicet ulterioribus per Palaestinos et similes Israelitarum heredes. Quem ipsum sensum a Rittershusio in subjuncta paraphrasi expressum reperies. Graeca Alexandrina hujus Versus interpretatio ab Hebraeo in pluribus discedit: Ἕως τοὺς κληρονόμους ἀνάγωσι κατοικοῦσα Λαχεὶς κληρονομία, ἕως Ὀδολλὰμ ἥξει ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς Ἰσραήλ. Quae Hieronymus sic vertit: *Donec heredes adducam tibi, quae habitas Lachis, hereditas usque Odollam veniet.* Reliqua Graecae versionis ab eo ad proximum Versum trahi, antea vidimus. Pro ἀνάγωσι, quod in Vaticano et Alexandrino codice legitur, et expressum quoque est ab Arabico interprete (حَتَّى يَجْلِبُوا وَرَثَةً *donec adducant heredes*),

Hiero-

Hieronymum legiſſe apparet *ἀπάγω σοι*, quod in textum recepit Grabius, et apud Theodoretum quoque legitur, qui ſingularem dedit interpretationem, ex qua filiorum hic promittitur reductio in terram ſuam: *Ἐν ταύτῃ δὲ γενήσῃ τῇ ἐρημίᾳ, ἕως τοὺς κληρονόμους ἀγάγω σου, τουτέστιν, ἕως ἂν τοὺς αἰχμαλώτους ἀπαχθέντας ἐλευθερώσας ἐπαναγάγω πάλιν καὶ τὴν πατρῴαν αὐτοῖς ἀποδῶ κληρονομίαν.* Ceterum pro עֹד, initio Verſus, Graecus interpres legit עַד, הַיֹּרֵשׁ collective ſumſit, לָךְ plane non expreſſit, atque ante מָרֵשָׁה, quod appellative acceperunt, aut legerunt, aut ſupplerunt, aut per errorem viſus ex ſuperiori Verſu repetierunt, לָכִישׁ. Hieronymi hujus Verſus interpretatio talis eſt: *Adhuc heredem adducam tibi, quae habitas in Mareſa, usque Odollam veniet gloria Iſrael.* Quae in Commentario ita illuſtrat: „Quod autem ſequitur: *Adhuc heredem adducam tibi,* quae *habitas in Mareſa,* pulchre alluſit ad nomen; quia enim *Mareſa hereditas* dicitur, adventum in eam hoſtium pro heredibus appellavit, et usque Odollam, urbem Judae, veniet *Mareſa,* id eſt, *hereditas,* quae Odolla glorioſa eſt in urbibus Iſrael. Denique et Symmachus ita tranſtulit: *Ἔτι κληρονόμον ἄξω καί σοι, κατοικία* Μαρέσα, *ἕως* Ὀδολλὰμ *ἥξει τῆς δόξης* Ἰσραήλ, hoc eſt, *adhuc heredem adducam et tibi, habitatio Mareſa, usque Odollam veniet gloriae Iſrael,* hoc eſt, quae glorioſa es in urbibus Iſrael. Et ubi dicitur *gloriae,* genitivus caſus ſit numeri ſingularis, *hujus gloriae,* et non nominativus pluralis, *hae gloriae.* Vel certe ita intelligamus: captivitas Iſrael, quae venit in Lachis, et Geth, et Mareſa, usque Odollam quoque veniet. Et preſſius legendum: *gloriae Iſrael,* ut *κατ' ἀντίφρασιν* ignominia et vaſtitas ſentiatur." Syrus pro עֲדֻלָּם falſo legit עַד עוֹלָם, vertit enim: ܠܥܠܡ ܠܡܫܒܚܘ ܢܫܒܚ ܐܝܩܪܗ ܕܐܝܣܪܝܠ *in ſeculum usque extollet gloriam Iſraelis.*

16. קָרְחִי *Fac calvitiem,* luctus declarandi cauſa, ut Jeſaj. XII, 12. *Vocat Dominus Deus ad fletum, ad planctum,*

planctum, וּלְקָרְחָה, *ad tondendum*, *amiciendosque centones.* Et Jeremias ubi in excidio Judaeae magnos juxta et parvos perituros minatur XVI, 6., neque sepeliendos, neque lugendos, dicit: *Non incidet se quisquam*, וְלֹא יִקָּרֵחַ לָהֶם *nec faciet sibi* ullus *calvitiem propter eos.* Calvitium sibi propter mortuum inducere vetat quidem lex Deut. XIV, 1. Sed hoc interdictum videtur ad rationem et modum restringendum, quo illud fieret. Dicitur enim: וְלֹא־תָשִׂימוּ קָרְחָה בֵּין־עֵינֵיכֶם לָמֵת *non ponetis calvitium inter oculos vestros propter mortuum.* וָגֹזִּי *Et reseca* pilos, ritu graviter lugentium; cf. Jerem. VII, 29. גָּזִּי נִזְרֵךְ *abscinde comam tuam.* Verbum hoc a priore ita videtur differre, observante Drusio, ut קָרַח sit novacula pilorum germina penitus succidere laevigata cute, quod ξυρεῖσθαι Graeci dicunt (quo ipso verbo Graecus interpres h. l. usus est), גָּזַז autem *tondere*, i. e. superfluos capillos resecare forficula. Jobus inter alia luctus signa, quae edidisse narratur, I, 20., וַיָּגָז אֶת־רֹאשׁוֹ *et caput suum totondit.* Imperativo femineo singulari alloquitur Noster non unam civitatem, sed totam Judaicarum urbium, sub schemate orbae matris, collectionem. Subjungitur enim: עַל־בְּנֵי תַּעֲנוּגָיִךְ *propter filios deliciarum tuarum*, i. e. quos in deliciis habebas, propter amatissimos filios ab hoste interfectos. הַרְחִבִי קָרְחָתֵךְ *Dilata*, latissimam tibi inducas, *calvitiem tuam.* Ita Ezech. XXVII, 31. וְהִקְרִיחוּ אֵלַיִךְ קָרְחָה *inducent sibi* lugentes *propter te calvitiem.* כַּנֶּשֶׁר *Instar aquilae*, quum ineunte vere, sicut aves rapaces reliquae, plumarum defluvio sit obnoxia. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. II. C. I. Tom. II. p. 744. edit. Lips. Chaldaeus: תְּלוּשִׁי וּרְמָא עַל בְּנֵי תַּפְנוּקָיִךְ כְּנִשְׁרָא דִנְתַרוּ גַּדְפוֹהִי כֵּן אַסְגִּי מְרַט בְּרֵישָׁךְ עַל בְּנַיִךְ *evelle tibi capillos et projice propter filios deliciosos tuos, sicut aquila, cujus alae delapsae sunt, sic adauge calvitium tuum in capite tuo filiorum tuorum causa.* כִּי־גָלוּ מִמֵּךְ *Nam migrarunt* filii tui *ex te*, abierunt captivi ducti in exteras terras. Hieronymus: „Dicitur ad Israel, ut vel decem tribus accipiamus in Samaria, vel in commune omnem

omnem Ifrael, quia captivus ductus eft populus, et omnis Judaea ab Affyriis Babyloniisque vaftata eft, affumant planctum, et plorent filios fuos. Et quomodo aquila, quae regina eft avium, certo tempore amittit pilos, et remanet implumis; fic etiam Ifrael deponat omnem gloriam fuam, qua antea fuerat circumdatus, et plangat filios, hoftium fubditos poteftati. Quod autem aquila certo tempore foleat amittere plumas, et in Pfalterio fcriptum eft [CIII, 5.]: *Innovabitur ut aquilae fenectus tua.* Et Comicus [Terentius] in Heautontimorumeno [*Act.* III. Sc. 2.]: *Vifa eft,* inquit, *vere, quod dici folet, aquilae fenectus.*"

Cap. I.

VERSIBUS LATINIS REDDITUM
A
CUNRADO RITTERSHUSIO.

Ut totius orationis propheticae ſenſum nexumque facilius et uno quaſi obtutu perſpicere poſſint lectores, ſingulorum capitum explicationi ſubjungere viſum eſt Cunradi Rittershuſii metaphraſin poeticam, quam in Scholiis ad Hoſeam ſingulis Verſibus addidimus. Exprimit enim illa ſenſum plerumque recte non tantum et accurate, verum eleganter etiam atque perſpicue. Ubicunque vero vatis mentem minus aſſequutus nobis videretur Rittershuſius, nos in margine inferiori ſubjicimus eam, quam praeſerendam arbitramur, interpretationem.

---

1. *Tempore quo Joathan, atque Achas, Achaſidesque*
Hiskias regni Judaei ſceptra tenebant,
Credita ſunt Michae *divini oracula verbi,*
Michae, *quem Moraſthe in luminis edidit auras.*
Ergo Dei juſſu Samaritis ac Solymorum
Civibus iſta tulit ſtudio mandata fideli.
2. *Huc aures, populi, huc mentes, advertite cuncti:*
Et terra, et quicquid terram colit, auribus iſta
Combibat. Ipſe Deus, coeli ſuper aurea templa
Qui reſidet, proprio vobis teſtabitur ore
Quid fieri velit, atque ſua ipſe oracula pandet.

3. *Ecce,*

3. *Ecce, Jehova poli excelſa deſcendet ab arce,*
Suppoſitae et pedibus calcabit culmina terrae.
4. *Et montes ſub eo liqueſactos concidere altos,*
Et valles findi videas, quatiente Jehova,
Non ſecus admoto quam cera liqueſcit ab igne,
Diffluit aut minimas in guttas unda profuſa
5. *Ex alto in praeceps. Scelera id meruere Jacobo*
Patrata, nihilo melior domus Iſraelis.
Auctor quis vero ſceleris tibi, quaeſo, Jacobe,
Exſtitit? annon a Samaritis prodiit omne?
Quis vero docuit fabricari excelſa Jehudam?
Nonne a metropoli haec urbes didicere minores,
Atque ipſam Solymam peccandi habuere magiſtram?
6. *Ergo, caput quae jam fert pulcra Samaria coelo,*
Atque alias longe deſpectat celſior urbes,
Grandis acervus erit lapidum volventibus annis
Poſt paullo deſtructa, et habebit vinea ſepem,
Moenia quae fuerant aut propugnacula nuper,
Inque ruent vallem lapides ex turribus altis,
Ipſaque fundamenta urbis patefacta revellam.
7. *Omnia vaſtator contundet ſculptilia hoſtis,*
Omnia depaſcens donaria flamma vorabit,
Omnia disperdens ſimulachra abolebo Deaſtrorum.
Ortum quippe quibus dederat meretricia merces,
Conſimilem his dabit occaſum meretricia merces.
8. *Hoc ſuper interitu carmen lugubre ſonabo,*
Planctu auras complens, et foemineo ululatu,
Incedamque bonis crudeli exutus ab hoſte,
Veſteque nudatus natura probra tegente,
Planctu auras complebo, inquam, vox ſaeva draconum
Eſſe ſolet qualis, vel quali ſtruthio luctu
Perſtrepit, arentes dum urit ſitis improba fauces.
9. *Poſtquam nulla mali eſt, quo afflicta eſt aegra, medela;*
Sed Judam late populans pervaſit ad usque,

Atque

Atque mei portam populi penetravit, et ipſa
Pertigit ad Solymae infelicia moenia ſacrae.
10. *Iſta Palaeſtinis mala ne memorate Gathitis,*
Aerumnae lacrymas neu fundite teſtibus illis.
Nam fruſtra auxilium a populo inſultante petetis.
Pulvere quin potius clam vos conſpergite triſti
*In domibus *); praeſtat concludere pariete ſordes,*
Quam deflere graves hoſte inſpectante ruinas.
11. *Urbs formoſa, probris eheu! cooperta peribis,*
Riſui erisque palam partes nudata pudendas.
Non iit ad planctum ulla domus excita propinquae,
Quae pecoroſa habitat pridem loca. Scilicet hoſtis
Auferet omne decus vobis ſtabilemque tenorem
12. *Evertet **). Luctus nempe urbs pleniſſima amari*
Inſolabiliter bona tot deflebit adempta.
Ingens namque malum Solymam deſcendit in urbem
A Domino, portas ſeſeque effudit in alias.
13. *Junge, Lachis, celeres quantumvis, junge quadrigas;*
Abs te principium peccandi et origo Sioni eſt,
Iſraeliticumque in te eſt ſcelus omne repertum.
14. *Muneribus pacem redimes, atque obſide miſſo,*
*Juxta Gathitis ***). Reges deludet hiantes*
Iſraeligenas, mendaci perlita fuco
15. *Aczibi domus. Heredem, Mareſchae habitatrix,*
In tua regna alium adducam, migrare colonos
Qui jubeat veteres, et jus ſibi vindicet omne.
Iſrae-

---

*) In Beth-leaphra pulvere operias te.

**) Commigra, Schaphirae habitatrix, nudata pudibunda! Ne exeunto Saananis incolae! Luctus Bethhaezelenſis, ſ. lugens Beth-haezel ſubtrahet vobis praeſidium ſuum.

***) Renunciabis juri tuo in Moreſcheth Gath.

Israeligenum parvam migrabit Odollam
Gloria, conversoque evadet dedecus aevo.
16. *Formosas, age, pone comas, tondeque capillos,*
Ac profitere glabro atque abraso vertice luctum.
Quem peperere tibi dulcissima pignora laesa.
Calvitium tibi, more aquilae, cui deflua pluma est,
Dilata. Nam captivitas tibi justa dolendi
Causa est, abductis procul ad loca dissita natis.

Cap. II.

Argumentum.

Postquam in Capite superiore vates universi populi regni utriusque redarguisset in Iovam impietatem atque superstitiosum, quo vanos deos prosequerentur, cultum; jam in opulentiores potissimum et proceres invehitur, quorum rapinas atque crudelem avaritiam, fastum quoque, quo salutaria prophetarum monita spernerent, acriter perstringit (Vs. 1 — 11.). Transit tamen, uti fere solent vates, ad meliora, praesagitque tempora felicissima, quibus probae Israelitarum reliquiae, suo sub rege, Jehova, congregatae, validae ac potentes evadent (Vs. 12. 13.).

Prodiit nuper Car. Theoph. Anton, Gymnasii Gorlicensis Rectoris, Progr. quo continetur *Capitis II. Michae versio et nova ejusdem Versum 6. exponendi ratio.* Gorlici, 1812. in quatern.

---

1. הוֹי חֹשְׁבֵי־אָוֶן *Vae* illis qui *cogitant vanitatem!* quam quidam generaliter intelligunt de omni peccato, tanquam ab aequitate legis recedente, vano et noxio, alii de idolorum cultu vanissimo, alii vero rectius de injustitia et iniquitate in alios, in ea enim castiganda vates potissimum hic versatur. Recte igitur Chaldaeus: וַי דִי מְחַשְׁבִין לְמֵיגַס *vae* illis *qui cogitant ad rapinam.* וּפֹעֲלֵי רָע *Et qui moliuntur malum.* פֹּעֲלִים hic non eos significat, qui *faciunt* malum, sed qui *moliuntur*, *machinantur*, nam de exsequntione

quutione mali sequens comma loquitur. Ita Jesaj. XLI, 4. מִי פָעַל וְעָשָׂה *quis molitus est et fecit* illa omnia? פָּעַל nonnumquam est *operari* animo, adeoque idem quod חָשַׁב. Sic Ps. LVIII, 3. אַף־בְּלֵב עוֹלֹת תִּפְעָלוּן *imo vero in corde iniquitates operamini, per terram violentiam manuum vestrarum appenditis.* עַל־מִשְׁכְּבוֹתָם *Super cubilibus suis,* ubi alii quiescere solent, et diurnas curas somno laxare. Porro autem nox aptissima est cogitationibus habendis, cum sensus per lucem diei minime distrahuntur. Ps. XXXVI, 5. אָוֶן יַחְשֹׁב עַל־מִשְׁכָּבוֹ *improba in lecto suo excogitat.* בְּאוֹר הַבֹּקֶר יַעֲשׂוּהָ *In luce mane,* i. e. simulac mane illuxit, *faciunt,* exsequuntur *illud,* quod cogitarunt, ܨܒܝܢܐ ܕܠܒܗܘܢ, ut Syrus addidit. Graphice declarat, quantus sit istorum hominum ardor aliis nocendi, et eorum damno sese ditandi. Poterat simpliciter dicere, eos interdiu exsequi, quae noctu agitarunt secum, sed dicit בְּאוֹר הַבֹּקֶר, ut innuat, illos ita fervere avaritia atque lucri faciendi cupidine, ut ne momentum quidem cessent; simulac illuxit, statim parati sunt ad parandas fraudes, quae noctu eis in mentem venerant. Jam adjungit: כִּי יֶשׁ־לְאֵל יָדָם, quae verba Hieronymus ita reddidit: *quoniam contra Deum est manus eorum.* Quae tamen sententia huic loco minus convenit. Eamque si vates exprimere voluisset, dixisset haud dubie: כִּי יֶשׁ־בְּאֵל יָדָם, ut Genes. XVI, 12. de Ismaele dicitur: יָדוֹ בַכֹּל וְיַד כֹּל בּוֹ, *manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum.* Nonnulli sic vertunt: *quia est ad haec manus illorum* scil. potens, quasi לְאֵל idem sit quod לְאֵלֶּה, ut Genes. XIX, 8. *Tantum* לָאֲנָשִׁים הָאֵל *viris illis nil facietis,* et ibid. Vs. 25. וַיַּהֲפֹךְ אֶת־הֶעָרִים הָאֵל *subvertit illas civitates.* XXVI, 4. *Dabo posteris tuis* אֵת כָּל־הָאֲרָצֹת הָאֵל *omnes illas terras.* Vid. et 1 Paral. XX, 8. Alii: *est pro Deo manus eorum,* quasi proverbialis aliquid in hac phrasi sit, ut in illo Mazentii apud VIRGILIUM *Aeneid.* X. Vs. 773. *Dextra, mihi Deus, et telum, quod missile libro, nunc adsint.* Sed vix dubium esse potest, אֵל h. l. idem esse

eſſe quod כֹּחַ, *vim, poteſtatem,* quemadmodum in locis plane ſimilibus, Prov. III, 27., ubi Paroemiaſtes vetat aliis ſubtrahere jus ſuum, בִּהְיוֹת לְאֵל יָדְךָ לַעֲשׂוֹת *dum eſt ad poteſtatem manus tua facere,* ſi etiam facultas tibi ſuppetit. Geneſ. XXXI, 29. יֶשׁ־לְאֵל יָדִי לַעֲשׂוֹת עִמָּכֶם רָע *eſt ad poteſtatem manus mea facere vobiscum malum,* erat in poteſtate mea nocere vobis. Deuter. XXVIII, 32. *Quum abripiet hoſtis ſpolia tua,* וְאֵין לְאֵל יָדֶךָ, *non* erit *ad potentiam manus tua,* non erit tibi poteſtas hoſtes compeſcendi. Nehem. V, 5. וְאֵין לְאֵל יָדֵנוּ *nec eſt ad potentiam manus noſtra,* i. e. nihil valemus. Quare et noſtra verba, כִּי יֶשׁ־לְאֵל יָדָם, hoc dicent, illos ſicut polleant viribus, ita etiam quidvis audere perpetrare. Recte Chaldaeus: אֲרֵי אִית חֵילָא בִּידֵיהוֹן *nam eſt in manu eorum potentia.* Particula כִּי poſſet conditionaliter ſumi, *quando, ſi,* quaſi diceret: voluntas certe ad faciendum non deeſt ipſis, modo poſſint et vires ſuppetant. Sed quoniam in proceres potiſſimum et principes invehitur, quibus vero haud deſunt vires, praeſtat cauſaliter ſumere, *quia.* Ita ſenſus hic erit: nihil non ſuae libidini indulgent, quam ſi quid adficit, id rapiunt ſine mora, neque vel inſpectantis Numinis timore, neque juſtitiae legibus retinentur; ſufficit ipſis hoc unum, quod potentia valent. A vero ſenſu prorſus aberrarunt LXX, qui reddidere: *Διότι οὐκ ἦραν πρὸς τὸν θεὸν χεῖρας αὐτῶν.* Nec non Syrus: ܘܡܥܠܝܢ ܐܝܕܝܗܘܢ ܠܘܬ ܐܠܗܐ *et attollunt manus ſuas ad Deum.*

2. Magis exprimit, quam alacriter ferantur ad rapiendum avari, imo quam effraenis ſit ipſorum cupiditas ad nocendum. Simul, inquit, atque aliquid concupiverunt, rapiunt. וְחָמְדוּ שָׂדוֹת *Et* prave *concupiſcunt,* inque animum inducunt rapere alienos *agros,* contra praeceptum nonum, Exod. XX, 14. לֹא תַחְמֹד בֵּית רֵעֶךָ *ne concupiſcito alterius domum.* וְגָזָלוּ *Et* concupitos agros *rapiunt.* Ut quivis concupivit aliena, rapit et occupat. וּבָתִּים וְנָשָׂאוּ *Et domos* concupiſcunt, concupitasque *auferunt.* LXX poſt וְגָזָלוּ,

καὶ

καὶ διήρπαζον, addunt *ὀρφανούς*, יְתוֹמִים, quod in omnibus, qui hodie exſtant, codicibus abeſt, et ab illis interpretibus de ſuo additum videtur. נָשְׂאוּ *Tollunt*, Hebraei interpretes recte לָקְחוּ explicant. Ita Num. XVI, 15. *Ne aſinum quidem unum* מֵהֶם נָשָׂאתִי *ab iis abstuli.* Eandem aliena rapiendi cupiditatem Judaeis objurgat Jeſajas V, 8. הוֹי מַגִּיעֵי בַיִת בְּבַיִת שָׂדֶה בְשָׂדֶה יַקְרִיבוּ *Vae! qui domos domibus conjungitis, ſundos fundis continuatis.* Syrus prius hemiſtichium eleganter ſic expreſſit: ܘܪܓܒܘ ܚܩܠܐ ܘܒܬܐ ܘܢܐܢܣܘܢ ܠܗܘܢ ܒܩܛܝܪܐ *et concupiſcunt agros et domos, et per vim eas rapiunt.* וְעָשְׁקוּ גֶּבֶר וּבֵיתוֹ *Et per vim opprimunt*, aut *rapiunt virum et domum ejus*, videlicet homines ad ſervitutem propulſant, ut dicit Amos VIII, 6. לִקְנוֹת בַּכֶּסֶף דַּלִּים, *ut comparemus argento tenues* (cf. not. ad eum loc.), domos vero ac fundos ad injuſtam uſucapionem rapiunt. עָשְׁקוּ nonnulli intelligunt de oppreſſione pauperum quae fit aſtutia quadam, Hieronymum ſequuti, qui *calumniantur* vertit. Verum non differt עָשַׁק a גָּזַל, *rapuit*, niſi quod paulo latius forte pateat. Sic legitur Levit. V, 21. אוֹ בְגָזֵל אוֹ עָשַׁק אֶת־עֲמִיתוֹ *aut rapto alii damnum intulerit, aut oppreſſerit proximum ſuum.* Cf. Jerem. XXII, 3. *Liberate* גָּזוּל מִיַּד עָשׁוֹק, ubi גָּזוּל, *qui vim patitur*, et עָשׁוֹק, *qui injuriam infert*, ſe mutuo reſpiciunt. Dicitur autem verbum tam de re, quae injuſte aufertur, ut Mal. III, 5. בְּעֹשְׁקֵי שְׂכַר־שָׂכִיר, *in eos qui mercede fraudant mercenarium*, quam de eo, cui auſertur, Levit. XIX, 13. לֹא תַעֲשֹׁק אֶת־רֵעֲךָ וְלֹא תִגְזֹל *ne opprimas alterum, aut diripias.* Proverb. XXII, 16. עֹשֵׁק דָּל לְהַרְבּוֹת לוֹ *qui opprimit tenuem, ut abundet ipſe.* Vid. et Amos IV, 1. אִישׁ וְנַחֲלָתוֹ *virum* rapiunt *et hereditatem ſuam*, quemadmodum Ahabus, rex Iſraelitarum, Nabothi patrimonium dolo malo ſibi addixit, legitimo poſſeſſore per calumniam neci dato, vid. 1 Reg. XXI. Syrus: ܘܥܠܘܒܝܢ ܠܓܒܪܐ ܒܩܢܝܢܗ ܘܒܝܪܬܘܬܗ *et opprimentes virum ob poſſeſſionem ſuam et hereditatem ſuam.*

3. לָכֵן

3. לָכֵן *Propterea*, ob iſta veſtra facinora, de quibus Vs 1. 2., *ita dicit*, haec minatur *Jova*. הִנְנִי חֹשֵׁב עַל־הַמִּשְׁפָּחָה הַזֹּאת רָעָה *Ecce me cogitantem ſuper iſta familia malum*. חֹשֵׁב רָעָה *Cogito*, i. e. machinor, hoc ago, ut inferam *malum*. Sic Jerem. XXVI, 3. וְנִחַמְתִּי אֶל־הָרָעָה אֲשֶׁר אָנֹכִי חֹשֵׁב לַעֲשׂוֹת לָהֶם *ut ego malum revocem, quo ego eos adficere cogito*. XXXVI, 3. *Forſan audiet domus Juda* אֵת כָּל־הָרָעָה אֲשֶׁר אָנֹכִי חֹשֵׁב לַעֲשׂוֹת לָהֶם *omne malum, quo ego eos adficere cogito*. Utitur autem verbo חָשַׁב vel ſimpliciter, quatenus propoſitum notat, vel in *antanaclaſi*, ſive contraria ſignificatione ad חֹשְׁבֵי־אָוֶן Vs. 1., quaſi diceret: dum vos cogitatis in cubilibus veſtris iniquitatem, alii contra alios, ego viciſſim *cogito malum* contra vos, i. e. de poena infligenda veſtris ſceleribus digna. עַל־הַמִּשְׁפָּחָה הַזֹּאת *Super familiam hanc*, peſſimum hoc hominum genus, ut Jerem. VIII, 3. מִן־הַמִּשְׁפָּחָה הָרָעָה הַזֹּאת *e malo iſto genere*. Alii מִשְׁפָּחָה h. l. de tota gente Iſraelitica, ex uno Jacobo inſtar *familiae* oriunda, intelligunt, ut Amos III, 1. (ubi not. cf.), Zach. XVI, 18. Jerem. X, 25. Sed Noſtrum apparet certum genus hominum nequam et perverſum intelligere, in quos peculiariter hoc Capite invehitur, quorum ſcelera Vss. 1. 2. indicantur. רָעָה *Malum*, moleſtum et noxium poenae, ut Amos III, 6. „Non quod malum ſit," inquit Hieronymus, „quod ego cogito, ſed quod patientibus malum videatur quod irrogo." Deſcribit mox hoc malum tanquam ineluctabile: אֲשֶׁר לֹא־תָמִישׁוּ מִשָּׁם צַוְּארֹתֵיכֶם *ex quo*, inſtar graviſſimi jugi collis veſtris incubituro, *non recedere facietis*, i. e. extrahetis, expedietis (vid. verbum Vs. 4. et Jeſaj XXII, 25. תָּמוּשׁ הַיָּתֵד הַתְּקוּעָה *clavis infixus amovebitur*) *colla veſtra*, quibus jugum imponi ſolet. Jer. XXVII, 12. הָבִיאוּ אֶת־צַוְּארֵיכֶם בְּעֹל מֶלֶךְ בָּבֶל *ſubmittite cervices veſtras jugo regis Babel*. Jugum hoc, Noſter inquit, non tam facile excutietis, ſicut ſolent aliquando indomitae juvencae. Addit: וְלֹא תֵלְכוּ רוֹמָה *nec ingrediemini cum elatione* (pro pleno בְּרוֹמָה), i. e. erecte, elate, בְּקוֹמָה זְקִיפָה *in erecta ſtatura*, ut vertit Chaldaeus, LXX: ὀρθοί.

ὀρθοί. Nam qui jugum portant, capite incedunt in terram inclinato, quod eſt ſignum moeroris. Contra, qui animo bono ac laeto ſunt, iidem erecto vultu incedunt. Jugum impoſitum impediet, ne erecti incedatis. Contrarium dicitur Levit. XXVI, 13. וָאֶשְׁבֹּר מֹטֹת עֻלְּכֶם וָאוֹלֵךְ אֶתְכֶם קוֹמְמִיּוּת *confregi vectes jugi veſtri et eduxi vos erecte.* Ad mali, quod vates minatur, gravitatem oſtendendam et firmandam facit amplius, quod in fine Verſus additur: כִּי עֵת רָעָה הִיא *quoniam tempus malum illud,* ſive, ut Hieronymus habet, *peſſimum,* ſcil. erit, tum quando malum hoc in vos irruet; quod non referendum hic ad malitiam populi, ut eadem phraſis Amos V, 13. (ad quem locum vid. not.), ſed ad poenae miſeriam, ut Pſ. XLI, 2. בְּיוֹם רָעָה *in die malo eripiet eum Jova.* Et Jerem. XV, 11. *Immittam tibi hoſtem* בְּעֵת רָעָה וּבְעֵת צָרָה *tempore malo et tempore adverſo.*

4. בַּיּוֹם הַהוּא יִשָּׂא עֲלֵיכֶם מָשָׁל *Die illo,* tempore illo malo (Vs. 3.) ingruendae vobis calamitatis, *tolletur ſuper vobis carmen.* יִשָּׂא *Tollet,* i. e. proferet, ſcil. הַנֹּשֵׂא *proferens,* i. e. proferetur. Ita enim loquutiones, quas *imperſonales* dicunt, exprimere ſolent Hebraei, ut Participium, quod verbo conjugato, *imperſonaliter* accipiendo, vel in plurali, vel in ſingulari addi debebat, plerumque omittant. Ita Jeſaj. XVI, 10. *In vineis non canitur, non ovatur, vinum in torcularibus* לֹא־יִדְרֹךְ הַדֹּרֵךְ *non calcat calcans,* i. e. non calcatur. Plura vid. in STORRII *Obſervatt.* p. 410. not. Verbum נָשָׂא dicitur de ſermone aut carmine proferendo, ut Num. XXIII, 7. וַיִּשָּׂא מְשָׁלוֹ *protulit carmen ſuum.* Jeſaj. XVI, 4. וְנָשָׂאתָ הַמָּשָׁל הַזֶּה עַל־מֶלֶךְ בָּבֶל *proferes carmen tale de rege Babel.* Amos V, 1. אָנֹכִי נֹשֵׂא עֲלֵיכֶם קִינָה *edo de vobis lamentum.* De מָשָׁל, proprie *ſimilitudinem, comparationem,* hinc *orationem comparationibus et imaginibus ornatam, carmen,* notante, quia ut plurimum, ubi quis ſtylum attollit, figuras multas permiſcet, ut illuſtrior ac ſplendidior ſit oratio, cf. not. ad Jeſaj. XIV, 4. Sunt, qui מָשָׁל hoc loco *proverbii, adagii* ſignificatu capiendum

piendum exiſtiment, ut Prov. I, 1. 6. X, 1. et ſaepius, ut verborum: *proferent de vobis proverbium* ſenſus hic ſit: non erit haec vulgaris calamitas, ſed paſſim volitabit rumor, ita ut futuri ſint in commune proverbium omnibus Judaei. Ita LXX: *Ληφθήσεται ἐφ' ὑμᾶς παραβολή* Cyrillus: *Δύο κατὰ ταυτόν συμβήνεσθαι λέγει, παραβολήν τε καὶ θρῆνον· καὶ ἡ μὲν παραβολὴ σημαίνειν ἔοικε τὸ οἱονείπως ἐν στόματι πάντων τὸν ἐπ' αὐτοῖς ἤτοι περὶ αὐτῶν γενέσθαι λόγον· μνημονεύεται ἀεὶ καὶ τὰ ἐξαίσια τῶν κακῶν, καὶ τῶν τοιούτων ἡ φήμη πόλεις τε καὶ χώρας ἐπιφοιτᾷ καὶ μέχρι τερμάτων τῆς ὅλης διάττει γῆς.* Alii *dicterium* falſum, quibus hoſtes Iſraelitas ſint illiſuri, intelligunt. Nos adſtipulamur iis, qui *carmen*, et quidem triſte et lugubre, quod ſtatim diſerte *lamentum* dicitur, nomine מָשָׁל h. l. indicari arbitrantur. Tale enim, nec ab hoſtibus, ſed ipſo Iſraelitico populo, ſuam deploraturo ſortem, proferendum, intelligi debere, oſtendit ſequens oratio, qua lamentantes in prima pluralis perſona inducuntur. וְנָהָה *Lamentabitur*, ſcil. נֹהֵה *lamentans*; vid. not. ſupra ad יִשָּׂא. Verbum hoc, praeter noſtrum locum bis tantummodo, 1 Sam. VII, 2. Ezech. XXXII, 18. in codice Hebraeo obvium, videtur *ὀνοματοπεποιημένον*, ex ejulantium particulis הוֹ־הוֹ Amos V, 16., הִי Ezech. II, 10., et הָהּ Ezech. XXX, 2. formatum. נְהִי נִהְיָה *Lamentum lamenti*, i. e. admodum lamentabile. Nam duo nomina ejusdem ſignificationis juncta Superlativo exprimendo inſervire conſtat, ut Geneſ. IX, 25. עֶבֶד עֲבָדִים *ſervus ſervorum*, i. e. ſervus viliſſimus, Hoſ. X, 14. מִפְּנֵי רָעַת רָעַתְכֶם *propter pravitatem pravitatis veſtrae*, i. e. propter extremam veſtram malitiam. Vid. not. ad eum loc. et Storrii *Obſervatt.* p. 187. 328. Gesenii *Lehrgeb.* p. 692. Indicatur igitur phraſi נְהִי נִהְיָה, *lamento lamenti*, lamentum maxime lugubre, continuum, et multiplex admodum e variorum ore auditum, uti ſtatim variae lamentandi formulae ſubjiciuntur. LXX hebraea verba וְנָהָה נְהִי נִהְיָה verterunt: *καὶ θρηνηθήσεται θρῆνος ἐν μέλει*, atque Hieronymus: *et cantabitur canticum cum ſuavitate.* Graecum illud

illud ἐν μέλει, et Latinum *cum suavitate* alii inde ortum putant, quod interpretes lamenti praeſtantiam, repetitione nominis ſignificatam exprimere voluerint; alii inde, quod נִהְיָה ad הָיָה *fuit* retulerint, ut denotetur *verum* et *perfectum*, aut ab נִהְיָה, ſenſu *deficiendi*, quo Daniel VIII, 27. legitur (*Ego Daniel* נִהְיֵיתִי וְנֶחֱלֵיתִי *ſum confectus et aegrotavi*), ut indicetur *fractum*. Ita Drusius: „Quidam *lamentum fractum*; quo reſpexerit forte Hieronymus, qui vertit: *canticum cum ſuavitate*; nam *vox fracta* in muſica etiam ſuavis eſt; נִהְיָה Participium ab הָיָה." Sed praeterea Hieronymus nimis profecto generaliter, miſſa ſpeciali ſignificatione vocum נְהִי נִהְיָה, eas *canticum cantandum* intellexit, quod quidem in lamentis etiam locum habere novimus, ſed neutiquam in illis ſolum et maxime. Fruſtra vero ſunt qui illam verſionem defenſuri afferunt, cantum hoſtibus tribui irridentibus cum laetitia, aut cantum Iſraelitarum etiam lugubrem fore in ſe ſuavem et ad ſolamen adhibendum. Ex interpretibus recentioribus a communi ſententia recedit Coccejus, qui נִהְיָה non deducit a נָהָה, ſed ab הָיָה, ut ſit Camez in fine pro Segol, atque hinc credit per παρονομασίαν נְהִי נִהְיָה *lamentum* a vate dici *non dictum*, ſed *factum*, *verum*, *ſerium*. Magis tamen diſcedit Ludov. de Dieu, qui נִהְיָה pro Praeterito Niphal habet, idemque prorſus a נְהִי divellit, atque vertit: *factum eſt!* quod ob excidium praeſens quaſi cum deſperatione exclament lamentantes. Praeteritum Niphal נִהְיָה eſt quoque Steudelio in dem *Archiv für die Theol.* P. II. p. 407., ut verba נְהִי נִהְיָה vertenda ſint: *lamentum fit*, carmen lugubre componitur. Nempe אָמַר *dicet* ejulans, ſive ejulantium unusquisque, בְּעָנְוָתֵיהּ *in afflictione ſua*, addit Chaldaeus, שָׁדוֹד נְשַׁדֻּנוּ *vaſtando vaſtati ſumus*, i. e. certo et prorſus perditi, pro uſu ſatis noto Infinitivi, Gerundii vicem explentis, cum verbo finito juncti. Prima pluralis Praeteriti Niphal, נְשַׁדֻּנוּ pro נְשַׁדּוֹנוּ, Kibbuz, vicarium vocalis Schurek, ſcribitur loco epenthetici Cholem. Quidam volunt נוּ eſſe pronomen, quaſi idem ſit quod נְשַׁדּוּ מִמֶּנּוּ, *vaſtati*

vaſtati ſunt a nobis; at hoc alienius eſt. LXX: Ταλαιπωρίᾳ ἐταλαιπωρήσαμεν, et Hieronymus: qui *depopulatione vaſtati ſumus,* vertit, pariter Gerundium in nomen mutarunt, haud variante tamen ſenſu. Syrus: ܒܙܘܙܐ ܢܒܙܢ *praedo nos diripiet,* quaſi שׁוֹדֵד יְשָׁדְּנוּ legiſſet. Notat de-Roſſi, in nonnullis codicibus legi defective שדד, quod enunciari poteſt שֹׁדֵד Participium Benoni, ut Syrus fecit. Dicent porro et hoc: חֵלֶק עַמִּי יָמִיר *portionem,* i. e: fundos, vel terram *populi mei mutat* ſcil. Deus, transferendo eam ad alios dominos, truſo populo ſuo. Iſraeliticum populum *ſuum* hic vocat non Deus, ſed quivis Iſraelita, utpote ex eo natus, et in illo verſatus, eſtque ejus *portio,* חֵלֶק, non „templum, quod ſolum inter gentes ceteras plus habebat, et in ruinam ſit mutandum," uti vult Hieronymus, ſed omnino terra Iſraelitica, cum urbibus, proventibus, et bonis reliquis, quae huic genti in portionem peculiarem conceſſa erant a Jova. יָמִיר *Mutabit,* ut Jerem. II, 11. הַהֵימִיר גּוֹי אֱלֹהִים *num mutaverit populus deum?* וְעַמִּי הֵמִיר כְּבוֹדוֹ *ſed populus meus mutavit gloriam ſuam. Mutatione* vero portionis Iſraelitarum intelligitur h. l. translatio ad hoſtes, tanquam novos poſſeſſores. Ad יָמִיר *mutabit* intelligendus Deus potius ipſe, qui prius portionem Iſraelitis dederat, quam hoſtis ab ipſo ut judice immiſſus. Niſi placeat magis verbum hoc rurſus imperſonaliter ſumere, ut antea נִהְיָה. Ita LXX, qui tamen ſenſum nimis reſtringunt: μερὶς λαοῦ (al. λαοῦ μοῦ) κατεμετρήθη ἐν σχοινίῳ. Pro יָמִיר interpres videtur יָמַּד legiſſe, quod de-Roſſi in duobus codicum ſuorum reperit. Ita et Syrus: ܘܦܠܓܘܬܗ ܕܥܡܝ ܒܚܒܠܐ ܢܬܦܠܓ *et portionem populi mei funiculo dimetietur. Funiculo* uterque interpres perſpicuitatis cauſa addidiſſe videtur. Hieronymus: *pars populi mei commutata eſt.* Chaldaeus: מַחוּלָקְהוֹן דְּעַמִּי מַעְדָן לְהוֹן *partes populi mei auferentur eis.* Qui ſenſus idem poſſet e verbis hebraicis elici, ſi חֵלֶק tanquam nominativus regeret verbum יָמִיר reciproco ſenſu. Sunt qui vertant, verbis

verbis aliter conſtructis: *partem populus meus mutat*, ut obtineat pro Canaane ſedes in terris exteris, in quas captivus abducitur. Cocceius his verbis et iis quae ſequuntur Iſraelitas Deum accuſantes induci exiſtimat, quod contra promiſſionem ſuam populi ſui hereditatem alienaſſet, et in aliorum manum transtuliſſet. Quod plane *ἀπροσδιόνυσον* eſt, ſiquidem nihil heic de Dei veritate dicitur, ſed tantum de portionis diu poſſeſſae mutatione, de qua Iſraelitae queruntur. Additur alia lamentantium formula: אֵיךְ יָמִישׁ לִי *quomodo recedere facit*, i. e. aufert, ſubtrahit, eripit *mihi*, ſcilicet Deus portionem meam, חֶלְקִי, quod ex iis quae antecedunt, vel שָׂדֵינוּ, *agros noſtros*, e verbis quae proxime ſequuntur, ſubaudiendum. אֵיךְ *Quomodo!* vox admirantis ſimulque lugentis, q. d. quanta et quam triſti rerum converſione! ut Jerem. IX, 18. אֵיךְ שֻׁדָּדְנוּ *quomodo!* quam miſere *vaſtati ſumus*. LI, 41. אֵיךְ הָיְתָה לְשַׁמָּה בָּבֶל *quomodo in vaſtitatem redacta eſt Babel!* Sunt, qui vertant: *quomodo* quisquam *evadet mihi?* יָמִישׁ intransitive ſumto, ut Exod. XIII, 22. לֹא יָמִישׁ *non recedebat columna nubis*. Nah. III, 1. לֹא יָמִישׁ טָרֶף *non recedit*, deſinit *praeda*. Quod tamen h. l. coactius. Intransitive quoque cepit יָמִישׁ Hieronymus: *quomodo recedet a me?* ſcil. hoſtis. Chaldaeus imperſonaliter accipit, mutata praeterea prima perſona לִי in tertiam: מֵאַחְסָנַתְהוֹן מְרָדִין לְהוֹן, *a poſſeſſionibus ſuis expellunt eos*. LXX: Καὶ οὐκ ἦν ὁ κωλύων (al. κωλύσων) αὐτόν. Pro לִי legerunt לוֹ, et אֵין pro אֵיךְ. Quod Dathius probavit, qui haec verba cum iis, quae proxime ſequuntur, jungens noſtrum locum ſic interpretatur: *terra popularium noſtrorum in alios translata eſt, nec eſt, qui ſuſcipiat reddere nobis agros noſtros*. „Pro אֵיךְ," inquit, „ex auctoritate Graecae et Syriacae verſionis legere malim אֵין *non eſt qui* rel. יָמִישׁ intransitive accipio, et cum לְשׁוֹבֵב conſtruo. Non obſtat לִי interpoſitum; hoc enim ex uſu linguae ſaepe pleonaſtice poni, obſervatum eſt ad Hoſ. XIV, 9." Verum quod יָמִישׁ *ſuſcipiat* Dathius vertit, plane uſui hujus verbi adverſatur. Neque neceſſe eſt, ut contra

omnium codicum fidem אֵין legamus, quum אֵיךְ aptissimum locum hic obtinere viderimus. לְשׁוֹבֵב שָׂדֵינוּ יְחַלֵּק Nam *ut avertat* a nobis, i. e. demtos nobis in alios conferat *agros nostros dividit* scil. Deus (quem et ad verba יָמִיר atque יָמִישׁ subaudivimus), i. e. novam quasi terrae Israeliticae divisionem instituet; sed longe aliam, quam quae olim suo jussu a Josua facta est singulis tribubus, Jos. XIII, 7. וְעַתָּה חַלֵּק אֶת־הָאָרֶץ הַזֹּאת וגו׳ *tu modo hujus terrae hereditatem sortire Israelitis.* Alii: hostis sibi *dividet*, coll. Joel IV, 2. וְאֶת־אַרְצִי חִלֵּקוּ *terram meam diviserunt* gentes barbarae. לְשׁוֹבֵב est *avertere*, ut Jesaj. XLVII, 10. *Tua ista sapientia et scientia* שׁוֹבְבָתֶךְ *avertit te* scil. a recto tramite. LVII, 17. *Ambulat* שׁוֹבָב *aversus* a me *suae mentis via.* Jer. VIII, 5. מַדּוּעַ שׁוֹבְבָה הָעָם הַזֶּה יְרוּשָׁלַםִ מְשֻׁבָה נִצַּחַת *quare populus hic Hierosolymitanus avertit se aversione perpetua* a me? Alii: *ad reddendum*, i. e. ut reddamus, cedamus inviti *agros nostros* per fas et nefas partos (Vs. 2.), *dividit* eos Deus. Ita *reddendi* significatu verbum שׁוּב in Hiphil legitur Job. XX, 10., ubi de divitis improbi filiis, eos vexandos esse ab egenis וְיָדָיו תָּשֵׁבְנָה אוֹנוֹ *et manus ipsorum reddent inique ab eo parta.* Alii לְשׁוֹבֵב *ad restituendum* interpretantur, et ante יְחַלֵּק subaudiunt אֲשֶׁר, atque haec verba arctius conjungunt cum iis quae praecedunt, hoc sensu: *quomodo abstulit a nobis ad restituendum agros nostros, quos divisit?* i. e. quam procul absumus a restitutione! quia ademta est omnis spes, ubi Deus ipse divisit inter exteros terram nostram et possessionem; vel hostes inter se partiti sunt, ut solet fieri post victoriam. Ita et Steudelius l. l.: *quomodo recedit*, i. e. renuit, *mihi restituere agros nostros, quos divisit!* Sunt, qui interrogative vertant: *num ad restituendum agros nostros distribuit?* quasi impii sapientiam Dei negarent, qui, si restituendi sint aliquando agri, eos non inter alios distribuere debuit. Quod omnium minime placet. Aliis שׁוֹבֵב est Participium, et ל Dativi nota, hoc modo: *avertenti* s. *averso* i. e. hosti *agros nostros distribuit.* Hostem שׁוֹבֵב, i. e. vel *avertentem*, ob aversionem bono-

bonorum ab Ifraelitis, vel *averfum* fcil. a populo Ifraelitico dici exiftimant. Pro Participio שׁוֹבֵב habuit quoque Chaldaeus, fed in nominativo cepit, cui ל pleonaftice praepofitum fit (quod fane et in aliis quibusdam locis fieri conftat, vid. Storrii *Obfervatt.* p. 288. 289.); vertit enim, תָּאֲבִין חֻלָקְהוֹן מְפַלְגִין *reverfi partem eorum dividunt.* Ita fenfus erit: quae jam poffident impii, in terras exteras captivi abducendi, futuro aliquo tempore, qui in hanc terram revertentur, inter fe distribuent. Qui fenfus tamen orationis tenori minus convenit. LXX vero לְשׁוֹבֵב pro Infinitivo habuere, verterunt enim: *τοῦ ἀποστρέψαι αὐτὸν*, quod retulerunt ad praecedentia, *καὶ οὐκ ἦν ὁ κωλύων*, fequentia vero imperfonaliter: *οἱ ἀγροὶ ἡμῶν διεμετρήθησαν.* Pro יְחַלֵּק enunciarunt יְחֻלַּק, quod in duobus codicibus de-Roffianis legitur. Hieronymus: *cum revertatur qui regiones noftras dividat.* Intellexit לְשׁוֹבֵב vel: *ad revertendum,* i. e. cum ad frugem redibunt Ifraelitae; vel: *ad reducendum,* aut *reftituendum*, fcil. agros, qui reftituendi fint Ifraelitis, tanquam ipforum legitima poffeffio. Syrus: ܘܠܝܬ ܕܡܦܢܐ ܚܩܠܝܢ ܒܚܒܠܐ *nec erit qui agros noftros menforio fune reftituat.*

5. Repetitur e Verfu 3. לָכֵן *propterea,* inquam, ob veftra fcelera Vss. 1. 2. defcripta. לֹא־יִהְיֶה לְךָ *Non erit tibi,* quisquis aliorum agros domosque rapis, Vs. 2. Neque enim hic totum alloquitur populum, fed potentiores illos, qui pro lubitu alios oppreſſerunt. מַשְׁלִיךְ חֶבֶל בְּגוֹרָל *Projiciens funem in fortem* ad dimetiendos fundos hereditarios, fortitione distributos, ut quod fuum eft quisque capiat. Loquutio defumta a more veterum, qui funiculis utebantur in agris dimetiendis ac dividendis. Ita Jof. XVII, 14. מַדּוּעַ נָתַתָּה לִּי נַחֲלָה גּוֹרָל אֶחָד וְחֶבֶל אֶחָד *cur dedifti mihi hereditatem fortem unam et funem unum?* XVIII, 10. וַיַּשְׁלֵךְ לָהֶם יְהוֹשֻׁעַ גּוֹרָל *projecit eis Jofua fortem.* Amos VII, 17. וְאַדְמָתְךָ בַּחֶבֶל תְּחֻלָּק *et terra tua fune dividetur.* Pf. XVI, 6. חֲבָלִים נָפְלוּ־לִי בַּנְּעִמִים *funes ceciderunt mihi*

in amoenis, i. e. pulchra et amoena mihi obtigit hereditas. Noſtra verba Chaldaeus ſic reddidit: בְּכֵן לָא יְהֵי לָךְ מָתַח חוּט מְשַׁח בְּעַדְבָא *propterea non erit tibi tendens funiculum menſurae in ſortem.* Syrus: ܠܐ ܢܗܘܐ ܠܟ ܕܢܟܝܠ ܒܚܒܠܐ ܘܢܦܠܓ ܒܦܣ̈ܐ *non erit tibi, qui funiculo metiatur et ſortibus dividat.* בִּקְהַל יְהוָה *In coetu Jovae,* i. e. in populo Iſraelitico, peculiari Jovae coetu, cujus quum indigna membra fuerint hujusmodi homines, eos nulla amplius jura et portionem in illo habituros innuit, etiam cum exſules ad fundos ſuos redituri ſint, quemadmodum neque eunucho, neque ſpurio, neque Ammonitae aut Moabitae בִּקְהַל יְהוָה *in coetum Jovae* venire, i. e. ei civitatem Iſraeliticam impertiri licuit, Deut. XXIII, 2. 3.

6. Iſtae comminationes et objurgationes, quales non ſolum Micha, verum et alii Jovae prophetae in populum ſceleſtum detonare ſolebant, quum vehementer displicerent populo, qui laetiorum temporum promiſſionibus ſibi blandiri cupiebat, is veros prophetas jubet ſilere, ut alii vates impraepedite loquantur, et talia praedicant, qui grata ipſi eſſent (vid. Vs. 11.). Levis iſtius multitudinis voces exprimit prius noſtri Verſus hemiſtichium: אַל־תַּטִּפוּ יַטִּיפוּן *ne ſtilletis*, i. e. vaticinia edatis, vos, qui Jovae juſſu vaticinari vos jactatis, *ſtillent*, vaticinia potius edant noſtri vates, qui longe alia, ac vos, jucunda et grata proferunt. De הִטִּיף propr. *ſtillare* ſcil. verba (מִלִּים, vid. Job. XXIX, 22.), hinc ſermones proferre, quod praeſertim de vaticiniis edendis dicitur, vid. not. ad Ezech. XXI, 2. Noſtro loco plane ſimilis eſt ille Amos VII, 16., ubi Amazias, ſacerdos, Amoſo dicit: לֹא־תִנָּבֵא עַל־יִשְׂרָאֵל וְלֹא תַטִּיף עַל־בֵּית יִשְׂחָק *ne vaticineris ſuper Iſraele, nec oracula edas ſuper domo Iſaaci.* Sic Jeſajas XXX, 10. objurgat Judaeos, *qui praevidentibus dicunt: nolite praevidere, et fatidicis: nolite praedicere nobis ſana, nobis effamini blanda, nobis praedicite fallacias.* Et Anatothenſes Jeremiam XI, 21. veta-

vetabant nomine Jovae vaticinari (לֹא הִנָּבֵא בְּשֵׁם יְהוָה). Micham, Jemlae filium, odio fefe habere ait Achabus, rex Ifraelitarum, quod fibi nihil fauftum, fed tantum infaufta vaticinetur, 1 Reg. XXII, 8. Jam, ut ad noftrum locum redeamus, illis, qui talia dictitarent, nec veris prophetis vellent aures praebere, haec reponit Deus: לֹא יַטִּפוּ לָאֵלֶּה לֹא יִסַּג כְּלִמּוֹת *ne vaticinentur* veri prophetae *illis*, qui meorum prophetarum monita et comminationes nolunt audire, verum *non recedet* quicquam *ignominiarum*, i. e. propterea quod falutaribus monitis aufcultare abnuunt, nec ignominiae, quae contumacibus inftant, quales praedictae Verfibus fuperioribus, recedent, f. avertentur, fed certiffime eos affligent. יִסַּג Futurum Cal verbi נָסַג, cujus Infinitivus legitur Jefaj. LIX, 13. וְנָסוֹג מֵאַחַר אֱלֹהֵינוּ *et recedendo a Deo noftro.* Saepius occurrit forma Hiphil, ut infra VI, 14. וְתַסֵּג *femovebis.* Deut. XXVII, 17. אָרוּר מַסִּיג גְּבוּל רֵעֵהוּ *exfecrabilis, qui alterius terminum fubmoverit.* Ceterum יִסַּג per enallagen generis et numeri pofitum eft pro תִּסַּגְנָה. Hujusmodi loquendi formulae, qua nomen plurale neutraliter fumendum cum verbo in fingulari jungitur, exempla plura collegit Storr *Obfervatt.* p. 381., ubi noftram dictionem exponit: *non recedet* res, fcil. *ignominiae*, i. e. non recedent ignominiofae calamitates. Eadem verborum ftructura Jerem. XIII, 18. יָרַד מַרְאֲשׁוֹתֵיכֶם *dejectum eft* fcil. *capitis infignia veftra*, i. e. dejecta funt. Hac quidem ratione nos interpretandum arbitramur hunc Verfum, ob nimiam brevitatem obfcurum, et hinc variis modis ab interpretibus tentatum. LXX: Μὴ κλαίετε δάκρυσι, μηδὲ δακρυέτωσαν ἐπὶ τούτῳ [al. τούτοις]; οὐ γὰρ ἀπώσεται ὀνείδη ὁ λέγων κ. τ. λ. (Vs. 7.). Verbum נָטַף de lachrymis fundendis interpretem cepiffe apparet. Senfum hujus verfionis Theodoretus ita enarrat: Οὐ χρὴ ἀλγεῖν ὑμᾶς ἐπὶ τῇ τιμωρίᾳ, ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν θρηνεῖν. Aquila: Μὴ σταλάζετε σταλάζοντες, οὐ σταλάζετε εἰς τούτους, οὐ καταλήψῃ ἐντροπὰς ὁ λέγων. Nec magis perfpicue Symmachus: Μὴ ἐπιτιμᾶτε, ἐὰν ἐπιτιμήσητε οὐκ ἐπιτιμοῦντες τούτους, οὐ

οὐ κωλύσει καταισχυμμός. In quam interpretationem J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1635. haec obſervat: „Verſionem equidem, ne facilem quidem, et quam interpretari nolim, meam non facio, id unum moneo, poſſe הַטִּיף tale quid ſignificare. A נָטַף, *ſtillavit*, Arabes faciunt نَطَفٌ *gutta*, deinde et, *vitium corporis*, guttae nempe ſimile, hinc أَنْطَفَ *vitii inſimulavit*, id vero eſt, reprehendit. Non probare me, dixi, nec tamen in propheta, paronomaſiarum et luſuum in diverſis earundem literarum ſignificationibus captatore avido, plane excludo: poſſit in duobus primis membris eſſe, *vaticinari*, in tertio, *reprehendere, mores caſtigare, vitia libere indicare: ne vaticinamini! vaticinantur*, i. e. prophetarum prope voces denunciant; *at niſi vitia indicaverint, non ideo recedet ignominia.*" Hieronymus: *Ne loquamini loquentes, non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio, dicet domus Jacob.* Verſus proximi prima verba, הֶאָמוּר בֵּית־יַעֲקֹב, ad hunc Verſum traxit. Senſum vero in Commentario ita exponit: „*Ne loquamini*, inquit, *loquentes*, pro quo interpretatus eſt Aquila: *ne ſtilletis ſtillantes*, quodam idiomate Hebraico *eloquium* ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium, in ſimilitudinem pluviae deſcendentis, *ſtillationem* vocans. Nolite vos decipere, o domus Jacob, et in conſolationem mutuam dicere: Deus bonus eſt; non veniet captivitas, quam timemus." Syrus: ܒܟܢܘܫܬܗ ܕܡܪܝܐ ܠܐ ܬܕܡܥܘܢ ܕܡܥܐ ܘܠܐ ܬܕܡܥܘܢ ܥܠ ܗܠܝܢ *in coetu Domini ne fundatis lachrymas, neve lachrymemini propter illa.* Hunc interpretem ſequutum eſſe patet Graecum Alexandrinum. Chaldaeus: לָא תִתְנַבּוּן נְבוּאָה לָא תַילְפוּן לְעַמָּא הָדֵין אֲרֵי לָא מְקַבְּלִין אִתְכְּנָעוּ *ne prophetetis prophetiam, neque doceatis populum iſtum, neque enim admittunt pudorem.* Jarchi: *Ne prophetetis*, ut illos redarguatis, vobis, o prophetae, ego [Deus] vobis dico, qui continue ſtillatis. *Ne* forte *comprehendant vos ignominiae*, quas illi vobis inferent,

ferent, prout dicitur Prov. IX, 8. *Ne redarguas irriſorem.* Kimchi poſtquam monuiſſet, הַטִּיף metaphorice pro *verba emittere, loqui* uſurpari, ut Job. XXIX, 22., noſtrum locum ita exponit: *Dicunt* (תַּטִּיפוּן) Iſraelitae prophetis Dei: *ne loquamini,* i. e. ne annuncietis nobis Dei verba, neque enim vobis aurem praebebimus. Quare nec Dei prophetae loquantur ad iſtos homines, *ne aſſequantur* eos *ignominiae,* nam ſi eis vaticinantur, contumeliis ab illis adficiuntur. יַסֵּג Kimchi cenſet *aſſequendi* ſignificatu capiendum, quem alias נָשַׂג, cum *Sin* ſcriptum, ſed in forma Hiphil tantummodo, obtinet; unde *Cal* hoc loco pro *Hiphil* poſitum ait; id quod prorſus pro arbitrio ab ipſo pronunciatur: nam נָסַג cum *Samech* ſcriptum ſemper eſt *recedere,* et in forma transitiva *removere.* Sunt quidem pauci nonnulli codices, a de-Rossio in *Scholiis Critt.* ad h. l. commemorati, in quibus ישג, cum *Sin* ſcriptum eſt; verum id non eſt cum de-Roſſio *comprehendet* reddendum, quod יַשִּׂיג eſſet (vid. Levit. XXVI, 5.), aut יַשֵּׂג (ut Geneſ. XXXI, 25. Pſ. VII, 6.), ſed *recedet,* eſtque mera ſcriptionis varietas. Quae Lud. de Dieu ad hunc Verſum notavit, digna nobis videntur, quae integra adſcribamus: „Plerique interpretum volunt, haec eſſe verba partim populi idololatrici ad prophetas Dei, partim Dei ad populum idololatricum; ſed ubinam verba Dei incipiant, disſentiunt. Alii enim volunt, verba populi eſſe אַל־תַּטִּיפוּ יַטִּיפוּן *ne ſtillate,* vos prophetae Dei, *ſtillent* hi noſtri prophetae; reliqua eſſe verba Dei, *non ſtillabunt iſtis,* i. e. vobis, prophetae veſtri. Alii volunt, populi verba tantum eſſe אַל־תַּטִּיפוּ *ne ſtillate.* Deum contra regerere, imo *ſtillabunt;* ſed *non ſtillabunt pro iſtis,* i. e. pro vobis. Malumus omnia eſſe verba Dei vel prophetae ad falſos prophetas: *Ne ſtillate! Stillarent? Non ſtillabunt iſtis, non recedent ignominiae;* לֹא יַסֵּג כְּלִמּוֹת, id eſt, דְּבַר כְּלִמּוֹת. Si ſcriptum eſſet לֹא יַסֵּג [ita ſcriptum eſt in codice Regiomontano ſecundo, Kennicotto numero 224. ſignato, et alio quodam de-Roſſii], planior eſſet ſenſus, *non removebit ignominias,* nempe Deus. Cum prae-

praecedentibus ſic connecto. Dixerat, mutatam eſſe portionem populi, et amotos agros ac diviſos, itaque neminem fore, qui projiciat funem in ſortem in congregatione Dei. Inde ſequebatur, ceſſandum deinceps prophetis hujus populi a prophetando, quia nulla ipſis amplius ſors in congregatione Domini. Dicit itaque: *ne ſtillate!* Sed quia magna erat ipſorum audacia, addit: *ſtillarentne? non ſtillabunt iſtis,* non prophetabunt amplius populo huic ingrato et rebelli, quia decreta eſt in eos perpetua ignominia a Deo, quae non recedet. Poſſent omnia verba etiam de veris prophetis intelligi, hoc modo: Ne ſtillate, vos mei prophetae; quid? tantone benificio hunc populum afficerem, ut prophetae meae ipſis ſtillarent? non ſtillabunt iſtis, iſti populo ingrato, ne recedat ignominia, quae recedere non debet. Sed praeferimus priorem ſententiam ob Verſum ſequentem.“ Coccejus priore hemiſtichio notat eſſe *μίμησιν* vetantium vaticinari, et falſis prophetis reſiſtere: *ne ſtilletis, ſtillent;* ſed poſteriore hemiſtichio Deum loqui: *ſi non ſtillarent hisce, non retroageretur ſumma ignominia.* „Dicit,“ inquit, „neceſſitatem prophetandi de malis venturis imponi prophetis ab ipſis Iſraelitis per ipſorum nequitiam, qui divinam gratiam et clementiam faciant *προκάλυμμα τῆς ἀσελγείας*, nam falſi prophetae praedicabant ipſis omnia proſpera in peccatis ipſorum, quaſi hoc ſequeretur ex gratia et potentia Dei, et quaſi ſi ipſos caſtigaret hic eſſet gratiae aut potentiae defectus. Quod ad blasphemiam et ignominiam ſummam Dei pertinebat. Ideoque demonſtrat, eam ignominiam prophetarum praedictionibus eſſe refellendam et avertendam.“ C. B. Michaelis hemiſtichium hujus Verſus prius cum Coccejo ita exponit: *Ne ſtilletis,* i. e. vaticinamini, ad me alioſque veros Dei prophetas *ſtillant,* i. e. dictitant falſi eorum vates, blanda concionantes. Poſterius autem hoc modo: At *niſi ſtillaverint* illi (veri prophetae, vosque illos ſtillantes admiſeritis) *ſecundum haec, non recedet* quicquam *ignominiarum,* ſive: *nec ignominia,* quae contumacibus inſtat,

instat, *avertetur.* לָאֵלֶּה interpretatur *secundum haec*, collato simili usu particulae ל Genes. XXVII, 8. *Et nunc, fili mi, ausculta voci meae* לַאֲשֶׁר אֲנִי מְצַוָּה אוֹתָךְ *secundum quod ego tibi praecipio.* „Nimirum blandas illi," inquit, „postulabant prophetias, quales erant impostorum; vini et sicerae copiam promittentes (coll. Vs. 11.); veras prophetias, ut nimium duras asperasque aspernabuntur. Vult dicere: tutissima haec foret via avertendi judicia Dei, si pareretis prophetis; verum quia hoc facere renuitis nec illud quidem fiet." Praetermittimus alias veterum recentiorumque interpretum tentamina, quae recensuit atque dijudicavit C. Th. Anton in Programmate, cujus epigraphen in Argumento hujus Capitis dedimus. Ipsi Viro Celeb. omnis in hoc Versu interpretando difficultas tolli videtur, si ἀμφιβολία in verbo נָטַף a propheta hic usurpato admittatur; amare enim Nostrum verborum lusus, quales aliquot indicavit Eichhorn *Isagog. in V. T.* P. III. p. 309. edit. tert., quibus et hunc locum adnumeravit. Atque primum quidem אַל־תַּטִּיפוּ Anton cum LXX vertendum existimat: *ne ploretis.* „Nam quum propria," inquit, „verbi significatio haec sit: *ne stillare faciatis* (est enim Hiphil), *ne effundatis;* id, postquam de jactura omnium bonorum sermo fuerat, vix aliter intelligi potest, quam de guttis, quas dolor de bonis perditis oculis exprimere solet: et licet haec verbi significatio ex usu V. T. exemplis probari non possit, tamen versio Alexandrina testimonio est, hanc vim a vocis usu non fuisse alienam. Si enim ita usurpari haud potuisset, etiam Alexandrini, quibus rerum quidem, sed non linguae hebraicae cognitio defuit, hanc significationem verbi non expressissent." Quod vero sequitur, יַטִּיפוּן, *vaticinandi* significatu sumit, ut sensus hic sit: ne ploretis! vaticinabuntur scil. alii, falsi prophetae, quorum mentionem Vs. 11. facit. Posterioris hemistichii verba priora, לֹא יַטִּפוּ לָאֵלֶּה, *plorandi* significatione iterum adsumta, sic vertit: *non plorent ad haec* scil. Israelitae, i. e. si vel maxime a lachrymis abstineant, לֹא יִסַּג כְּלִמּוֹת *non recedent*

igno-

ignominiae. Quibus expositis integri Versus sensum hunc statuit: „postquam poeta genti minatus erat, ei omnia bona ereptum iri, addit, alios vates futuros, qui eos consolentur et flere vetent, ea falsa esse declarantes, quae ipse praedixerit. Sed nationem ignominia liberari posse negat, etiamsi solatium arripiat, a falsis prophetis ipsi oblatum.“ Praeterea Vir Doctissimus nostrum Versum cum Versu 11., quem suo loco minus apte collocatum judicat, arctius conjungendum existimat. Esse enim argumentum Versus 11. tale, ut verba prophetarum mendacium sequenti Versu requiri videantur. Quo Versuum ordine restituto propheta, qui usque ad Versum quintum mala minatus erat, jam adderet: si quis ventosus, qui vana mentiatur, dicat, se vobis pro vino et sicera vaticinari velle, is erit vates huic populo gratus. Ne ploretis, vaticinabuntur ejusmodi homines vani. Etiamsi non plorent, tamen ignominia non liberabuntur. — Habebunt nostri lectores satis de hoc loco impedito conjecturarum, e quibus eam sibi unusquisque suam facere poterit, quae ipsi maxime arrideat, si quidem ea, quam ipsi proposuimus, explicatio ei non satisfaciat.

7. הֶאָמוּר בֵּית־יַעֲקֹב *O dicta domus Jacobi!* LXX verterunt: *ὁ λέγων, οἶκος Ἰακὼβ*, ita quidem, ut referant Participium ad ultima Versus praecedentis verba, quae reddiderunt: *οὐκ ἀπώσεται ὀνείδη*, et nomina quae sequuntur ad contextum sequentem, *παρώργισεν τὸ πνεῦμα κυρίου*, et sic verba, quae cohaerent, incommode divulserunt. Ipse etiam Hieronymus, qui „LXX interpretes in hoc loco sibi penitus non cohaerere“ praemonuit, הֶאָמוּר active vertit: *dicit domus Jacob*, ita tamen, ut dictum ejus non sit quod praecessit Versus superiore, sed quae subjicitur duplex interrogatio: *numquid abbreviatus est spiritus Jovae?* etc., Deo tum respondente per ultimam interrogationem: *nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte ambulat?* Quin etiam activum vocis הֶאָמוּר sensum tenuit Chaldaeus, qui addit tamen haud exiguum ad haec verba

verba ſupplementum; הַכְדֵין כָּשַׁר דְּאָמְרִין דְּבֵית יַעֲקֹב *an hoc rectum eſt, quod dicunt* illi, *qui domus Jacobi* ſunt? Cujus interpretationis cauſa tamen non in eo quaerenda, quod illi interpretes pro הֶאָמוּר legerint הָאוֹמֵר, ſed quod הַאֲמוּר pronunciarunt, quod pro nomine in ſtatu conſtructo poſito et cum בֵּית־יַעֲקֹב jungendo habuerunt, *dictum Jovae.* Quod tamen ſyntaxeos Hebraicae legibus repugnat, ex quibus nomini in ſtatu conſtructo poſito articulus praefigi non poteſt. Quod quum intelligeret Coccejus, ante בֵּית ſubaudito בְּ vertit: *quod dicitur in domo Jacobi.* Verum quae ſequuntur interrogationes arguunt, verba הֶאָמוּר בֵּית־יַעֲקֹב eſſe apoſtrophen ad Jacobitas, et הֶ praefixum interjectionem, ſive הֵא הַקְּרִיאָה *He exclamationis*, ut Hebraei vocant, ut vertendum ſit: *o dicta*, vel, *quae diceris domus Jacobi!* quaſi dicat: o domus Jacob, quae quidem ſic diceris et dici amas, licet de indole genitoris tui, Jacobi, nihil habeas amplius. Sic Jerem. XLVIII, 11. שִׁמְעוּ־זֹאת בֵּית־יַעֲקֹב הַנִּקְרָאִים בְּשֵׁם יִשְׂרָאֵל *audite hoc, domus Jacobi, qui de nomine Iſraelis appellati eſtis!* Alloquitur autem vates univerſam quidem gentem Jacobo ſive Iſraele ortam, maxime tamen eos, qui in ea eminebant, potentiores et principes, coll. Vs. 8. 9. הֲקָצַר רוּחַ יְהוָה *Nunquid curtatus eſt ſpiritus Domini?* an putatis, Dei poteſtatem ac potentiam diminutam eſſe, ut non liceat ei vos per prophetas ſuos objurgare, et ſcelerum poenas minari? Reprehenſio impiorum illorum, qui Verſu ſuperiore veris Jovae prophetis interdicerent, ne vaticinarentur. *Spiritus Jovae* eſt qui prophetas adflat, vid. infra III, 8. *Veruntamen ego repletus ſum robore* אֶת־רוּחַ יְהוָה *ſpiritu Jovae. Curtari* autem impotentem reddi ſignificat, ut Jeſaj. L, 2. הֲקָצוֹר קָצְרָה יָדִי מִפְּדוּת *num abbreviando abbreviata eſt manus mea, ut non ſit redemtio?* Et LIX, 1. הֵן לֹא־קָצְרָה יַד־יְהוָה מֵהוֹשִׁיעַ *en! non eſt abbreviata manus Jovae, ut non poſſit ſervare.* Arabibus quoque اليد القصري *manus brevis* eſt *impotentia*, quam phraſin exemplis pluribus illu-

illustravit A. Schultens in Notis ad *Excerpta ex Hamza Ispahanensi* (ad calcem *Vitae Saladini* ab ipso edita) p. 6. Huc pertinet, quod Exod. VI, 9. קֹצֶר רוּחַ *brevitas spiritus* est summus angor, ὀλιγοψυχία, ut LXX vertunt. Aliis vero, ut Coccejo, קֹצֶר רוּחַ h. l. est *impatientia, iracundia, animi impotentia*, ut Job. XXI, 4. מַדּוּעַ לֹא־תִקְצַר רוּחִי *quare non abbreviatur spiritus meus?* quare non paullo impatientius dolere liceret? Et Prov. XIV, 9. קְצַר־אַפַּיִם *curtus narium* opponitur τῷ אֶרֶךְ אַפַּיִם *longanimi*, μακροθύμῳ. Ita verba nostra sic vertenda essent: *an impotentior factus est Deus?* num desiit esse longanimis et ignoscens? Quae verba quum sint, e Coccejii sententia, improborum hominum, qui a mendacibus vatibus confirmati essent in sua de Jovae longanimitate et misericordia opinione; hunc sensum habebunt: Deus satis superque μακροθυμεῖ, neque talis, qualem vos quidem cavillamini, qui nonnisi aspera et funesta per prophetas annunciet. Quae quidem interpretatio locum sane habere potest, si verba, quae praecedunt, הֶאָמוּר בֵּית יַעֲקֹב, cum Jarchio et Coccejo vertantur: *quod dicitur in domo Jacobi*, quomodo nostra verba erunt accipienda pro iis, quae in domo Jacobi dicuntur. Verum quum nos verba illa priora pro vatis apostrophe ad Israelitas habeamus, adeoque et verba הֲקָצַר רוּחַ יְהוָה sint vatis ipsius, non improborum, illa vix poterunt aliter, quam a nobis factum est, capi. Cum interpretatione a nobis adscita convenit Chaldaeus: הֲיִתְקְפַד מֵימַר מִן קֳדָם יְיָ *nunquid abbreviatum est verbum a Domino?* scilicet resistendo vatibus a Deo missis, qui redarguerent et minarentur, angustabant quasi spiritum Jovae propheticum. אִם־אֵלֶּה מַעֲלָלָיו *An haec*, talia, hujusmodi sunt *opera ejus?* quae quidem interrogatio, uti ea quae praecessit, a pluribus tribuitur hominibus impiis inter Israelitas, veluti ab Hieronymo, qui quum hebraea sic vertisset: *aut tales sunt cogitationes ejus?* ea sic exponit: „aut hujuscemodi sunt cogitationes ejus, quales in hominibus cernimus, ut antiquam teneat iracundiam, et ad vindictam subito concitetur?" Alii: talem

talem quidem aſperum et inclementem ſe Deus non geſſit unquam, aut geret etiamnum. In hunc modum Cocceius: „Homines hypocritae cum infeſtantur ab hoſtibus, cogitant Deum ſolere miracula facere. Veluti ſi quis diceret: Babylonius capiet urbem, reſponſabatur: templum Domini hic eſt; non haec ſunt facinora ejus, Deus faciet miracula; biennio referentur huc vaſa domus Dei e Babylone, Jerem. XXVIII, 2. 11. Mich. III, 11.“ Sed praeſtat haud dubie, hanc interrogationem quoque prophetae domum Jerobaeam alloquenti tribuere, ut ſenſus ſit, *iſta opera*, facinora mala, quae cum tanto ſtudio patrabant (Vs. 1. 2.), et inprimis reluctationes adverſus Jovae vates (Vs. 6.) nequaquam eſſe opera *ejus*, nempe vel domus Jacobaeae, i. e. quae eam decerent, vel Jovae, i. e. quae ipſi placerent. Aliis *opera Dei* ſunt ſupplicia ab ipſo immittenda, quae vates neget ſua eſſe, quod iis non delectetur. Ita Drusius: „Non ipſe eſt cauſa harum calamitatum, ſed vos et vitia veſtra; nam ubi non eſt culpa, ibi non eſt poena.“ Paulo aliter Grotius: „*Aut tales ſunt cogitationes ejus?* ut nempe exilio veſtro delectetur, neque ullo modo poenitentia ductos velit reſpicere. Quaſi dicat: non ita intelligendae ſunt comminationes prophetarum.“ הֲלוֹא דְבָרַי יֵיטִיבוּ עִם הַיָּשָׁר הוֹלֵךְ *Nonne verba mea bona ſunt cum recte ambulante?* Conqueſti erant, ſermonem propheticum eſſe nimis rigidum. Reſpondet jam Deus, ſermonem ſuum mitem, placidum eſſe, adeoque ſuavem, ſed piis ac bonis; ergo culpam reſidere in ipſis, quod non ageret tam humaniter ut optaſſent. Eadem ſententia Pſ. XVIII, 27. exſtat, ubi poſtquam poeta ſignificaſſet, ſe expertum fuiſſe ſummam Dei bonitatem, qui ſcilicet docilem ſe et morigerum ei praebuerat, ex oppoſito addit, Deum *eſſe perverſum cum perverſo* (וְעִם־עִקֵּשׁ תִּתְפַּתָּל), i. e. ubi videt homines contumaciter reſiſtere, tunc etiam ipſum inducere quodammodo eorum ingenium, et perverſe, i. e. dure cum ipſis agere. יֵיטִיבוּ עִם propr. *bona faciunt cum* etc., i. e. bene ſe habent, bona ſunt, benignitate ſcatent erga etc. Ita Geneſ.

Genes. XXXII, 10. וְאֵיטִיבָה עִמָּךְ *bene tecum agam;* vid. et Vs. 13. הַיָּשָׁר הוֹלֵךְ *qui recte ambulat,* idem qui חָסִיד, *pius,* ut Jesaj. LVII, 2. הוֹלֵךְ נְכֹחוֹ *qui ambulans rectitudinem* s. rectam viam *suam.* Ps. XV, 2. הוֹלֵךְ תָּמִים וּפֹעֵל צֶדֶק *qui integer* (בְּדֶרֶךְ תָּמִים uti est Ps. CI, 2.) *incedit, et aequum facit.* Similis syntaxis Job. XXX, 26. יָרֵחַ יָקָר הוֹלֵךְ *et lunam clare incedentem.* LXX: Οὐχ' οἱ λόγοι αὐτοῦ καλοὶ μετ' αὐτοῦ; καὶ ὀρθοὶ πεπορεύονται; sive pro עִם legerint עִמּוֹ, quod vult Cappellus, sive pro עִם הַיָּשָׁר legerint עִמּוֹ יָשָׁר, quod vult Drusius, qui alteram conjecturam addit, scripsisse eos μετ' αὐτῶν οἱ ὀρθοὶ πεπορεῦσθαι; Utique e דְּבָרַי male fecerunt דְּבָרָיו, λόγους αὐτοῦ, unde ortae Theodoreti et Cyrilli παρερμηνεῖαι de bonis verbis populi in speciem resipiscentis, quae licet recte procederent, Deus culpet tamen dum vere recti ambulant simul decenter. Chaldaeus: הֲלָא כָל פִּתְגָמַי תַקְנִיא דַאֲמָרִית לְאַיְתָאָה אַיְתֵיתִי עַל כָּל דִּמְהַלְּכִין בְּקֻשׁוֹט *nonne omnia verba mea recta erant? quae me adducturum dixeram, adduxi equidem omnibus in veritate ambulantibus.* Hieronymus: „Respondet Dominus: bonus quidem sum, et verba mea sonant clementiam, sed ad eos, qui recto itinere gradiuntur.“ Syrus, qui postrema Versus superioris verba ad nostri initium traxit, integrum Versum ita vertit: ܕܠܐ ܢܕܪܟܟܘܢ ܚܣܕܐ ܕܐܬܐܡܪ ܥܠ ܒܝܬܗ ܕܝܥܩܘܒ ܕܐܪܓܙ ܪܘܚܗ ܕܡܪܝܐ ܒܥܒܕܘܗܝ ܒܗܠܝܢ ܗܐ ܡܠܝ ܡܘܬܪܢ ܠܬܪܝܨܐ ܕܐܙܠܘ ܘܐܫܬܡܠܝܘ *ne assequatur vos opprobrium, quod dictum est de domo Jacobi, quae ad iram concitavit spiritum Domini hujusmodi facinoribus suis. Ecce verba mea profutura sunt rectis, qui profecerunt, et perfectos se reddiderunt.*

8. Quum in Versus superioris fine dixisset, erga pios Dei effata benigna esse; jam pergit: sed Israelitis quo minus laeta promittam facit eorum improbitas, quippe וְאֶתְמוּל עַמִּי לְאוֹיֵב יְקוֹמֵם *heri,* i. e. dudum (ut Jesaj. XXX, 33. כִּי עָרוּךְ מֵאֶתְמוּל *nam paratum est jamdudum,* ab omni aevo

aevo praeterito) *populus meus in hoſtem* ſibi *erigit*, conſtituit me, Deum, quod e ſuffixo ad דְּבָרַי ſub finem Verſus praecedentis ſubaudiendum, i. e. tantum abeſt, ut quadret populo ſuo quod dixi, cum piis me benigne agere, ut potius ſuis ſceleribus, praeſertim raptu et violentia, ut ſequitur, me provocarint, ut hoſtili modo cum iis agam. Sunt, qui אֶתְמוּל עַמִּי hoc ſenſu conjungant: qui *antehac populus meus* erat, quaſi *in hoſtem inſurgit*, provocat iram meam. Hieronymus vertit: *et a contrario populus meus in adverſarium conſurrexit*, quaſi אֶתְמוּל compoſitum ſit ex אֶת et מוּל *contra*, ſenſu quidem minime inepto. Quia tamen alias non reperitur, אֶתְמוּל autem pro אֶתְמוֹל *heri* Jeſ. XXX, 33. exſtat, hoc ſequimur. Eſt autem אתמול ſono vicinum ei quod mox ſequitur, מִמּוּל, cujusmodi voces conjungere Noſter amat. Jam quod dixerat, populum in hoſtem provocare Deum, probat et exemplis illuſtrat, dum rapacitatem eorum graphice depingit: מִמּוּל שַׂלְמָה אֶדֶר תַּפְשִׁיטוּן *e regione*, e propinquo *pallii togam detrahitis*. ,,Notandum," inquit Ludov. de Dieu ad h. l., ,,discrimen inter שַׂלְמָה et אֶדֶר. שַׂלְמָה [alias literis transpoſitis שִׂמְלָה] *Veſtis*, quae in N. T. *ἱμάτιον* dicitur, et pro pallio, ſuprema veſte, uſurpatur, non eſt veſtis fixa, ſive corpori adaptata, ſed laxa et fluida, quam non induunt, ſed corpori injiciunt; ubi ad labores ſe adcingunt, abjiciunt, finito labore reſumunt, dormituros ſe totos ei, etiam caput, involvunt; aeſtate adverſus radios ſolis, hyeme adverſus vim frigoris munimento eſt, et noctu ſtragulae vicem tenet; veſtis quaedam eſt univerſalis, plurimos uſus habens, ac propterea abſolute שַׂלְמָה, *ἱμάτιον*, *veſtis*, appellatur. Talis erat illa שִׂמְלָה, *veſtis*, qua Sem et Japheth tegebant pudenda patris, Geneſ. IX, 23. Talia *ἱμάτια*, quae teſtes Stephanum lapidaturi deponebant ad pedes Saulis, Act. VII, 58. [Cf. not. ad Exod. XII, 34.]. אֶדֶר autem, vel אַדֶּרֶת, eſt *στολή*, *ſtola*, veſtis decora, corpori adaptata, et ad talos usque demiſſa, quae ad lumbos accingebatur, et decorem magnificentiamque viri exhibebat.

bat. מִמּוּל est *a coram, e propinquo, e contiguo* [Cf. Levit. V, 8. *Caput ei intorqueat* מִמּוּל עָרְפּוֹ *a coram cervice*, i. e. ſecundum cervicem]. LXX מוּל vel אֶל מוּל ſaepe per *πλήσιον prope,* non raro per *ἐχόμενον, contigue,* reddunt. Senſus eſſe videtur: vos avaritiae veſtrae usque adeo indulgetis, ut non contenti pallium abstuliſſe, vicinam etiam et contiguam ei togam auferatis, et decore ſuo ſpolietis eos, qui ſecure transeunt, et periculis belli erepti domum revertuntur." Subjicitur enim: מֵעֹבְרִים בֶּטַח *A transeuntibus ſecure,* neque quidquam ſuſpicantibus mali. Exponit, quales illi fuerint, quos veſte exuerunt violenti iſti homines, videlicet innocentes ac tales, qui nunquam crediddiſſent, ab impiis iſtis raptoribus ſe multatum iri: hujusmodi homines opprimere incautos, id ſummae indicium eſt malitiae. Prov. III, 29. *Ne machinare alteri malum,* וְהוּא יוֹשֵׁב לָבֶטַח אִתָּךְ *quum is ſecure tecum habitat.* Addit ad exaggerandam innocentium illorum ſecuritatem: שׁוּבֵי מִלְחָמָה, velut qui poſt fuſum et profligatum hoſtem *revertuntur e bello;* hi enim, quod hoſtem non amplius metuendum habent, ſecure ambulant. Eadem, quae hic, verbi שׁוּב conſtructio cum nomine omiſſa particula מ, Jeſaj. LIX, 20. *Veniet Zioni redemtor* וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע *et convertentibus ſe a praevaricatione in Jacobo.* Aliter Jarchi: „Dum exiſtimabant, ſe transire ſecure, coeperunt eſſe quaſi reverſi e proelio, id eſt ſpoliati veſtibus et alimentis ab hoſtibus. שׁוּבֵי eſt ejusdem formae ut סוּרֵי Jerem. II, 21., i. e. degeneres palmites vitis, et נוּגֵי Zephan. III, 18., i. e. remoti a conventu ſolenni." Sunt, qui hoc Verſu poenam deſcribi exiſtiment, Chaldaeum ſequuti, qui illum hoc modo exponit: מְקַבֵּיל חָבֵיהוֹן עַמִּי לְבַעַל דְּבָבָא מְסִירִין מִקְבְלֵהוֹן עַמְמַיָּא קָיְמִין מַחְסְנִין יַתְהוֹן מָמוֹן יְקַרְהוֹן מִנְּהוֹן נָסְבִין עָדָן בְּאַרְעֲהוֹן לְרוּחְצָן תָּיְבִין בְּהוֹן כִּתְבִירֵי קְרָבָא *propter peccata populi mei inimico traditi ſunt, e regione eorum populi ſtantes poſſident eos, pecuniam eorum pretioſam ab eis tollunt; transeuntes per terram eorum confidenter, convertuntur in eos, quaſi bello*

bello confractos. Quae quomodo e verbis hebraicis elici possint, vix intelligimus. Praeterea ad poenam denunciandam necdum heic progressus est sermo; de injuriis potius, quibus potentiores vexarint inferiores atque tenuiores hic agi suadent quae Versu proximo subjiciuntur de illorum crudelitate in mulieres et infantes.

9. נְשֵׁי עַמִּי *Feminas populi mei*, intellige viduas, et cf. Jesaj. X, 2., ubi vates declamat adversus eos, qui scribenda dictant facinorosa *ad tenuium evertendas causas, ad eripiendum jus inopibus populi* Jovae, לִהְיוֹת אַלְמָנוֹת שְׁלָלָם *ut fiant viduae eorum praeda.* תְּגָרְשׁוּן *Expellitis* rapiendo illarum domos. Ita verbum גֵּרֵשׁ 2 Paral. XX, 11. לְגָרְשֵׁנוּ מִירֻשָּׁתְךָ *ut expellant nos ex hereditate tua*, in quam nos immisisti. Et nomen Ezech. XLV, 9. הָרִימוּ גְּרֻשֹׁתֵיכֶם מֵעַל עַמִּי *auferte expulsiones vestras a meo populo.* מִבֵּית תַּעֲנֻגֶיהָ Unamquamque *e domo deliciarum ejus*, i. e. e carissimis aedibus suis (ut בְּנֵי תַעֲנוּגָיִךְ supra I, 16. *filii tui carissimi*), in quibus viduitatis tristitiam aliquo modo potuisset lenire. מֵעַל עוֹלָלֶיהָ Et *a parvulis ejus*, orphanis viduae infelicis, ut Nah. III, 10. *Captiva abiit in exsilium*, גַּם עוֹלָלֶיהָ יְרֻטְּשׁוּ *ejus quoque impuberes collisi sunt.* תִּקְחוּ *Aufertis* iniquo et violento raptu, de quo verbum לָקַח Genes. XXVII, 36. אֶת־בְּכֹרָתִי לָקָח *meam benedictionem eripuit* mihi. Jes. XLIX, 25. גִּבּוֹר יִקָּח *ferox rapit.* הֲדָרִי *Decus meum*, i. e. ipsis a me datum, quomodo suffixum et capiendum Hos. II, 8. וְלָקַחְתִּי דְגָנִי *auferam frumentum meum*, וְתִירוֹשִׁי *et mustum meum*, coll. Vs. 10. נָתַתִּי לָהּ הַדָּגָן וְהַתִּירוֹשׁ *dedi ei frumentum et mustum.* *Decore* vero a Deo parvulis concesso, הָדָר, quo improbi isti eos spoliarent, libertatem intellige et opes, maxime vero *amictum decentiorem*, quod et praecedens מֵעַל *desuper* arguit, item nexus cum Vs. 8., ubi iidem impii reprehenduntur, quod innocentibus vestes detraherent, et locus parallelus Ezech. XVI, 14. *Eras perfecta* בַּהֲדָרִי אֲשֶׁר־שַׂמְתִּי עָלַיִךְ *per meum decorem, quem tibi apposuissem*, indu-

 citur

citur enim eo loco populus Ifraeliticus fub imagine mulieris a Jova educatae, atque veftitu fplendidiffimo ornatae. לְעוֹלָם *In perpetuum*, ut Exod. XXI, 6. עֲבָדוֹ לְעֹלָם *fervus ejus in perpetuum*, i. e. in totum vitae tempus, ita ut recuperandi fpes omnis praecifa fit. Pendet a verbo תִּקְחוּ *aufertis.* Videtur autem hic refpici ad legem Exod. XXII, 25., qua veftis pignoris loco accepta jubebatur pauperi ante occafum folis reddi; hi numquam reddebant.

10. Ad haec itaque fcelera tanta fequitur fententiae divinae denunciatio: קוּמוּ וּלְכוּ Ergo et vos *furgite* viciffim *et abite* e fedibus veftris, qui alios expuliftis, Vs. 9. Innuit talionis poenam; nam qui expellit, expellitur. Cf. Apoc. XIII, 10. *Εἴ τις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει· εἴ τις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτενεῖ, δεῖ αὐτὸν ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι.* כִּי לֹא־זֹאת הַמְּנוּחָה *Nam non* erit *haec* terra, ficut praefumitis, perennis et firma vobis *requies*, ut Ezech. XXI, 31. זֹאת לֹא־זֹאת *haec* cidaris *non* erit *haec* f. ea, qualis hodie eft. Recte Chaldaeus: אֲרֵי לָא דָא אַרְעָא בֵּית נְיָחָא לְרַשִׁיעַיָּא *neque enim eft haec terra locus quietis impiis.* Terra Cananaea quietae poffeffionis locus promiffa erat populo morigero poft moleftias in deferto exantlatas. Vid. Deut. XII, 9. *Nondum enim veniftis* אֶל־הַמְּנוּחָה *ad quietem et ad hereditatem, quam Jova, Deus tuus, tibi dedit.* Et Vs. 10. *Cum autem trajecto Jordane confederitis in terra, cujus in hereditatem Jova, Deus vefter, vos immittet,* וְהֵנִיחַ לָכֶם מִכָּל־אֹיְבֵיכֶם *et quietem vobis dederit ab omnibus veftris circumquaque hoftibus, atque fecure habitaveritis.* Jof. I, 13. *Jova, Deus vefter,* מֵנִיחַ לָכֶם *quietem vobis conceffit, atque hanc terram vobis dedit.* Pf. XCV, 11. *Nam juravi in ira mea, vos non venturos* אֶל־מְנוּחָתִי *ad requiem meam,* ad locum quietis a me paratum. Caufam tam feverae fententiae ut ne ignorent, denuo inculcat. בַּעֲבוּר טָמְאָה *Propter immunditiem* veftram, qua terram polluiftis; fcelera et flagitia intelligit, quae terram quoque ipfam polluunt, ut Levit. XVIII, 25.

וַתִּטְמָא

וַתִּטְמָא הָאָרֶץ *polluta est terra, et in peccatum ejus animadvertam.* Et Vs. 28. בְּטַמַּאֲכֶם אוֹתָהּ *eo quod vos eam* terram *polluistis.* Jerem. II, 7. וַתְּטַמְּאוּ אֶת־אַרְצִי *et polluistis terram meam.* Ezech. XXXVI, 18. בְגִלּוּלֵיהֶם טִמְּאוּהָ *stercoreis suis* idolis *polluerunt eam.* Pro טִמֵּא in aliis locis verbum הֶחֱנִיף usurpatur. Num. XXXV, 33. וְלֹא תַחֲנִיפוּ אֶת־הָאָרֶץ אֲשֶׁר אַתֶּם בָּהּ *ne terram, in qua eritis, impietis.* Ps. CVI, 38. וַתֶּחֱנַף הָאָרֶץ בַּדָּמִים *sanguine terra incestata est.* טָמְאָה nomen est formae חָכְמָה, hoc solo loco obvium *immunditiem* notans. In codicibus nonnullis et manuscriptis et typis exaratis legitur טָֽמְאָה cum *Metheg*, tertia feminina Praeteriti persona, ut vertendum sit: *propterea quod polluta est* terra. Verum sine Metheg exhibent libri correctiores. Vertimus igitur: *propter immunditiem,* qua polluistis terram, תְּחַבֵּל וְחֶבֶל נִמְרָץ *perdet* vos terra, *et* quidem *perditione forti,* i. e. evomet vos penitus, metaphora sumta a stomacho, rejiciente cibum, quem ferre non potest. Respicit locum Levit. XVIII, 25. *Polluta est terra, et in ejus scelera animadvertam,* וַתָּקִא הָאָרֶץ אֶת־יֹשְׁבֶיהָ *et evomet terra incolas suas.* Verbi חִבֵּל hic adscivimus *corrumpendi, perdendi* significatum, Chaldaeis quidem magis frequentem, nec tamen Hebraeis inusitatum, ut Jes. XXXII, 7. לְחַבֵּל עֲנִיִּים *ad perdendum inopes verbis mendacibus.* Jes. LIV, 16. *Creavi* מַשְׁחִית לְחַבֵּל *destructorem ad perdendum.* Unde nomen חֶבֶל, quod alias *funem* notare constat, h. l. *corruptionis* notione accipimus. Chaldaeus חֲבַל, *funem,* metaphorice *catervae* significatu cepit, quo 1 Sam. X, 5. 10. occurrit, ubi חֶבֶל נְבִיאִים *caterva prophetarum* est. Et Ps. CXIX, 61. חֶבְלֵי רְשָׁעִים *catervae improborum circumdederunt me.* Verbum חַבֵּל vero ille interpres *corrumpendi* significatione sumsit, unde haec prodiit interpretatio: (*Non est haec terra locus quietis impiis*) בְּדִיל טַמְּיוּתָהּ אִנּוּן מְחַבְּלִין בְּדִיל לְסַאֲבוּתָהּ אַתּוּן מִסְתַּיְעִין עֲלַהּ. *ut eam polluant, perdite agunt, ut eam immundam reddant; vos contra eam consociamini!* Postrema verba ad hostes directa videntur. Jarchi non tan-

 tum

tum nomen חֶבֶל cum Chaldaeo *confortii* notione fumit, verum etiam verbo חִבֵּל *confociandi* fignificatum tribuit; fenfum autem facit hunc: quoniam illa (terra) polluta eft, ipfa facit conſortia, et quidem conſortia improborum. Sententia parum apta. Alii cum Salomone Ben Melech חֶבֶל eodem, quo חֵבֶל (cum Zere literae ח ſuppoſito) ſignificatu ſumunt, quod nomen de *doloribus* praeſertim *parturientium* dicitur (vid. Hoſ. XIII, 13. Jeſaj. LXVI, 7.), verbum חִבֵּל vero *parturiendi* notione, ut Cant. VIII, 5. שָׁמָּה חִבְּלַתְךָ אִמֶּךָ *ibi te mater tua peperit*, id autem pro *doloribus angi*, coll. Jeſ. XXVI, 17. *Ut praegnans propinqua partui aegra* תִּזְעַק בַּחֲבָלֶיהָ *clamat prae cruciatibus.* Unde verborum noſtrorum explicatio prodit haec: graviſſimos dolores experietur terra Iſraelitica, ſive populus Iſraeliticus, qui ſaepius ut mulier a prophetis ſiſtitur, unde ſuffixa et verba feminina (vid. Hoſ. II, 21. V, 9. IX, 1.), *et dolorem* quidem *vehementem.* נִמְרָץ *Validum*, *vehemens*, ut 1 Reg. II, 8. קְלָלָה נִמְרֶצֶת *exſecratio vehemens.*

11. לוּ *Quodſi* aut ego, aut alius quisquam eſſet. Haec particula non ſemper Optativum exprimit, ſed *conditionalis* alicubi eſt, ut Ezech. XIV, 15. לוּ־חַיָּה רָעָה אַעֲבִיר בָּאָרֶץ *quando feras malas per terram transire fecero.* אִישׁ הֹלֵךְ רוּחַ *Vir qui ambularet*, ſectaretur (coll. Ezech. XXXIII, 15. הֹלֵךְ צְדָקוֹת *qui juſta ſectatur.* Prov. VI, 12. הוֹלֵךְ עִקְּשׁוּת פֶּה *qui ſectatur perverſitates oris*) *ſpiritum* ſcil. ſuum, ſive proprium, licet divinum ſpiritum mentiatur. Cf. Ezech. XIII, 3. *Vae veſanis vatibus*, אֲשֶׁר הֹלְכִים רוּחָם וּלְבִלְתִּי רָאוּ *qui ſuum ſequuntur ſpiritum, et juxta* id quod *non viderunt*, i. e. quum nullam habuerint viſionem. Hoſ. IX, 7. הַנָּבִיא מְשֻׁגָּע אִישׁ הָרוּחַ *vates veſanus, homo ventoſus.* Cujusmodi homines Ezechiel XIII, 2. vocat נְבִיאֵי מִלִּבָּם *prophetas e corde ſuo*, et prophetiſſas mendaces Vs. 17. הַמִּתְנַבְּאוֹת מִלִּבְּהֶן *quae e corde ſuo vaticinantur.* Jerem. XIV, 4. Jova dicit: *Falſo vaticinantur meo nomine vates, non miſſione, non juſſu, non mandato meo,*

meo, חֲזוֹן שֶׁקֶר וְקֶסֶם וֶאֱלִיל וְתַרְמִית לִבָּם *falſas praeſenſiones, divinationes, futilia animique ſui fallaciam vaticinantes vobis.* Et XXIII, 17. חֲזוֹן לִבָּם יְדַבֵּרוּ לֹא מִפִּי יְהוָה *animi ſui viſa, non meo, Jovae, ore prolata loquuntur:* atque Vs. 26. נִבְּאֵי הַשֶּׁקֶר וּנְבִיאֵי תַּרְמִת לִבָּם *qui mendacia vaticinantur et prophetae* ſunt *fallaciae animi ſui.* Aliis הֹלֵךְ רוּחַ eſt *vadens vento,* qui agitur vertigine et ſpiritu vago, qui animos audientium non paſcit ſolida conſolatione, coll. Hoſ. XII, 2. אֶפְרַיִם רֹעֶה רוּחַ וְרֹדֵף קָדִים *Ephraim ventum paſcit, eurumque ſectatur.* Nos tamen priorem illam explicationem praeferimus. Addit; וְשֶׁקֶר כִּזֵּב *et ſi* ego talis eſſem, qui *mendacium,* fictas et inanes prophetias *mentiretur.* Cf. Ezech. XIII, 19. בְּכַזֶּבְכֶם לְעַמִּי שֹׁמְעֵי כָזָב *dum mentimini populo meo,* meis, *qui audiunt* libenter *mendacium.* Erat populus adeo perverſo judicio, ut mallet mendacio credere, quam veritati, neque quisquam tam abſone prophetabat, cui non fidem haberet, modo jucundus eſſet praeco, et impiae ſecuritatis adjutor. Pro כִּזֵּב habent כָּזָב, *mendacium,* in margine ex aliis libris Biblia Bombergiana Venetiis 1517. in forma maxima, et ibidem 1518. in quaternis edita, nec non Biblia Plantiniana, Antverpiae 1566. in quaternis, et ſic fuit in textu quinti Erfurtenſis codicis a prima manu. Ita וְשֶׁקֶר כָּזָב eſſet aſyndeton. Sed melius fluit oratio ex recepta interpretatione. אַטִּף לְךָ לַיַּיִן וְלַשֵּׁכָר Si, inquam *ſtillarem,* prophetarem (vid. ad Vs. 6.) *de vino et ſicera,* ad compotationes, quas hic populus amat, inſtituendas. De שֵׁכָר vid. not. ad Levit. X, 9. וְהָיָה מַטִּיף הָעָם הַזֶּה *Tum foret* is, quisquis eſſet, ſive ego, ſive alius, *ſtillator* (propheta, Vs. 6.) *hujus populi,* i. e. talis, qualem hic populus optat et amat. Si, inquit, velim inire gratiam apud vos, mihi praedicendum eſſet, fore uberem vini proventum, tum omnes mihi applauderent.

12. A triſtibus jam ſubito tranſit ad laeta, pro more prophetarum, qui comminationes maxime ſeveras dulciſſimis temperare ſolent ſolatiis ac promiſſionibus (neque enim,

enim, ut quidam volunt, minas hisce duobus Verſibus contineri, videbimus ad Vs. 13. ſub fin.). Eſt autem nexus cum iis, quae praecedunt, talis fere concipiendus: ſi quis ventoſus et vanus homo eſſet, qui mentiretur, et multum vini promitteret, huic quantumvis mentienti crederetis potius quam alteri vera dicenti, hoc ſolo nomine, quod laeta praediceret. Sed et ego bona praedicam, et quidem de re omnium maxima, quae eſt hujusmodi: poſtquam vos, inquit Jova, in exſilium, ut ſupra (Vs. 4.) minatus ſum, relegavero, inde colligam. אָסֹף אֶאֱסֹף יַעֲקֹב כֻּלָּךְ *Colligendo colligam* ex omnibus, in quibus disperſus eris, terris, *Jacobe, univerſitatem tuam,* i. e. te totum. Ita Jeſ. XXII, 1. עָלִית כֻּלָּךְ לַגַּגּוֹת *aſcendiſti univerſitas tua*, i. e. tota *in tecta*. Ezech. XXXVI, 10. כָּל־בֵּית יִשְׂרָאֵל כֻּלֹּה *omnis domus Iſrael, univerſitas ejus*, ea tota. קַבֵּץ אֲקַבֵּץ שְׁאֵרִית יִשְׂרָאֵל *colligendo colligam reliquias Iſraelis*, quicquid ſalvum manebit a cladibus bellorum atque exſilii calamitatibus. Ita Jeſaj. X, 20. שְׁאָר יִשְׂרָאֵל וּפְלֵיטַת בֵּית־יַעֲקֹב *reliquum Iſraelis, et quid evaſit domus Jacobi.* Idem, quod Noſter, promittit Jeremias XXIII, 13., iisdem fere verbis uſus: וַאֲנִי אֲקַבֵּץ אֶת־שְׁאֵרִית צֹאנִי *ego vero colligam gregis mei reliquias ex omnibus terris, per quas ego illos disperſi.* יַחַד *Pariter*, i. e. univerſum, ſine discrimine et exceptione. Haec enim eſt vis particulae. Ita Pſ. XXXIII, 15. de Deo: הַיֹּצֵר יַחַד לִבָּם *qui fingit pariter corda eorum* hominum terram incolentium. Hoſ. II, 2. וְנִקְבְּצוּ בְּנֵי־יְהוּדָה וּבְנֵי־יִשְׂרָאֵל יַחְדָּו *et colligentur filii Judae et filii Iſraelis una*, ad unum omnes. Quae hic promittuntur de colligendis reducendisque in patriam tellurem disperſorum Hebraeorum reliquiis, Herm. Witsius in Δεκαφυλῷ, *ſive de decem Tribubus Iſraelis* libro ſingulari, addito ejus *Aegyptiacis* Baſil. 1739. editis p. 273. et 278. impleta exiſtimat reditu illorum e terris Babylonicis, non quaſi ſinguli actu rediiſſent, conſtat enim, *Iſraelitarum* plerosque non rediiſſe, et *Judaeorum* magnam partem manſiſſe Babylone; ſed quod omnibus a Cyro aperta fuerit

fuerit porta, et data redeundi libertas. Rediisse vero cum *Judaeis*, soluta captivitate Babylonica, etiam *Israelitas* de X tribubus (licet fateatur ipse, fuisse paucos, si vel cum popularium suorum universitate, vel cum reducibus e Juda conferantur), inde tamen probare annititur, quod 2 Paral. XXXVI, 23. Esr. I, 3. et VII, 13. redeundi potestas *toti populo Dei*, vel *Israelitico* data; Esr. I, 2. IV, 3. VII, 7. 1 Paral. IX, 2. reduces *Israelitae* vocantur, et Esr. VI, 16. 17. VIII, 35. victimae *pro toto Israele*, pro *numero tribuum Israelis* oblatae. Quibus tamen argumentis Witsium minime, quod vellet, comprobasse, recte C. B. Michaelis monuit. Nam (1) 2 Paral. XXXVI, 21. 22. 23. Esr. I, 1. 3. agitur de populi post septuaginta annorum captivitatem reductione, qualem praedixit Jeremias [XII, 14. 15.]; haec vero non Israelitarum, sed Judaeorum fuit. (2) Neque rem conficit mentio *Israelis* apud Esram. Nam et *Judaei*, seorsim a decem tribubus considerati, per *Israelitas* intelligi possunt, collata nota supra ad I, 15. Adeoque universaliter dictum pro substrata materia restringendum est ad Israelem et populum Dei, in quantum a Babyloniis captivus tenebatur. (3) Fuerint sane inter exsules e Babylonia reduces etiam aliqui de decem tribubus; forte tamen hi ipsi fuerunt non quos olim Assyrii abduxerant, sed qui Judaico regno se quondam adjunxerant adeoque cum Judaeis in exilium Babylonicum commigrarant. 2 Par. XI, 13. 14. 16. XV, 9. (4) Et si vel maxime quidam de decem tribubus per Assyrios abducti cum Judaeis rediissent, tamen hoc tanti non erat, ut amplitudo prophetica de *universo Israele* recolligendo per id impleta dici possit. Quae quum ita sint, Michaelis hujus promissionis eventum inter futuros adhuc reponendum censet; nos vero hoc oraculum referendum arbitramur ad aurei seculi exspectationem, in cujus felicitate praedicanda mirifice sibi placent prophetae. De hujusmodi promissionibus quid nobis videatur, diximus ad Ezech. XXXVI, 38. Sed redeamus ad nostrum locum. Pergit vates, postquam Deum induxisset promittentem, se dis-

disperſos in exteris terris exſules Hebraeos collecturum: אֲשִׂימֶנּוּ כְּצֹאן בָּצְרָה *ponam*, i. e. reddam *eum* (ita שׂוּם Geneſ. XXI, 18. לְגוֹי גָּדוֹל אֲשִׂימֶנּוּ *populum magnum eum reddam*, cf. ibid. Vs. 13. XLVI, 3.) *inſtar ovium Bozrae*, quarum imagine amplificationem Iſraelitarum tam numero, quam rerum omnium affluentia eleganter deſcribit. Ita Jeremias XXXIII, 12. reditum exſulum deſcribens, dicit, fore in terra Judaica tum ab hominibus, tum a pecoribus, deſerta, inque omnibus ejus oppidis ſtationes paſtorum מַרְבִּיצִים צֹאן, *qui recubare faciant oves.* Ezech. XXXVI, 37. Jova Iſraelitas ſeſe aucturum promittit inſtar ovium. Et Vs. 38. addit: *Quaſi oves ſacrae, quaſi oves Hieroſolymae in ejus ſolemnibus, ſic erunt urbes dirutae humanarum ovium plenae.* בָּצְרָה, inquit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLVIII. T. I. p. 609. edit. Lipſ., „fuit urbs Idumaeae vetuſtiſſima, in qua natus eſt Jobab, rex Edom, Geneſ. XXXVI, 33. Paral. I, 44. Idumaeae diſerte hanc urbem adſcribunt prophetae tres, Jeſajas XXXIV, 6. LXIII, 1. Jeremias XLIX, 13. et Amos I, 12. Tamen unus ex hoc numero, Jeremias XLVIII, 24., Boſram cenſet inter Moabitarum urbes. Itaque vel utrique adſcribitur, eo quod in utriusque regionis fuerit confinibus; vel, quod puto verius, gemina fuit Boſra, una Idumaeorum, altera Moabitarum. Nec multum refert, utrum intelligas in his Michae verbis, quia utrique regio fuit valde pecoroſa. De Moabitide res clara eſt ex 2 Reg. III, 4., ubi Meſa, rex Moab, Iſraelitis pro tributo legitur annuatim ſolviſſe agnorum, vel agnatorum arietum ducenta millia. Et Idumaeos quoque pecore abundaſſe, docent haec Jeſajae XXXIV, 6.: *Gladius Domini implebitur ſanguine agnorum et hircorum, adipe renum arietum, quia ſacrificium erit Domino Bozrae, et mactatio magna in terra Edom.*" De hac urbe, qua nunc Edomitae, nunc Moabitae potiti ſunt, vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 23. Appellative בָּצְרָה ſignificat *urbem munitam*, qualis futura aureo ſeculo deſcribitur urbs Dei Jeſ. XXVI, 1. *Urbs eſt*

nobis

nobis fortis, cui pro muris et propugnaculo salus est. LXX verba nostra verterunt ὡς πρόβατα ἐν θλίψει, quod sequuti Syrus et Arabs. Legerunt aliis vocalibus בְּצָרָה. Chaldaeus et Hieronymus vocem hebraeam per חוּטְרָא *caulam, ovile* explicant, significationem nominis מִבְצָר respicientes, quia caula et quasi vallum aut munimentum ovium. Hinc conjunguntur Num. XXXII, 36. עָרֵי מִבְצָר וְגִדְרוֹת צֹאן *urbes munitionis et caulae ovium.* Inde Carthaginis arcem, a Didone conditam, Poeni *Bosram*, et Graeci Βύρσαν appellarunt, barbarum vocabulum more suo emollientes. כְּעֵדֶר בְּתוֹךְ הַדָּבְרוֹ תְּהִימֶנָה *Instar gregis in medio caulae suae* (vid. de hoc nomine not. ad Jes. V, 17.) *tumultuabuntur* urbes Israeliticae, caularum instar futurae; vel potius (praecessit enim כְּצֹאן, tanquam subjectum praedicationis) *ipsi Israelitae*, ovium instar multiplicandi. *Terminatio feminina* respicit simile, sive tropum orationis. Verbi הוּם forma Hiphil praeter hunc locum semel tantum, Ps. LV, 3. legitur, ad quem loc. vid. not. Significatione non a Cal differt; convenit cum cognatis הָמָה et הָמַם, *commotionem cum sono et strepitu*, qualem ingens hominum copia excitat, denotantibus, unde Deuter. VII, 23. מְהוּמָה גְדֹלָה est *magnus tumultus.* מֵאָדָם *Prae hominibus*, tanta erit hominum copia. Recte Chaldaeus: מִסְגֵי אֱנָשָׁא *prae multitudine hominum.* Cf. loca Ezechielis supra laudata.

13. עָלָה *Ascendet* enim imperatoris instar, qui populum diuturna captivitate et servitute pressum educet. Bellica vox est, armatam significans profectionem, quam hostes nequicquam impedire possunt. Ita Exod. I, 10. Aegypti rex de populo Hebraeo in illa terra degente: וְנִלְחַם־בָּנוּ וְעָלָה מִן־הָאָרֶץ *contra nos pugnabit et e terra migrabit* Hos. II, 2. *Constituent sibi caput unum* וְעָלוּ מִן־הָאָרֶץ *et e terra proficiscentur. Praeterita* autem hoc Versu sunt *prophetica*, ut Jes. V, 13. לָכֵן גָּלָה עַמִּי *propterea in exsilium migrabit populus meus.* IX, 2. הִרְבִּיתָ הַגּוֹי *magnum reddes*

reddes populum. הַפֹּרֵץ *Perruptor, δεικτικῶς*, est enim cum ה demonstrativo. Loquitur ergo de certa quadam persona, et antonomastice sic dicta, quae mox vocabitur מַלְכָּם *rex illorum* et יְהוָֹה, ut non sit dubium, Nostrum de Messia cogitasse, seu divino illo heroe, quo auspice, devictis omnibus Judaeorum hostibus, aureum seculum orbem beabit. Is ducet populum suum, et ita quidem, ut sublatis atque perruptis omnibus impedimentis iter pandat. Nam פָּרַץ, *perrupit*, est, repagula, obices, et quicquid profecturum detinere possit, diffringere, ut pervadere possit. Ita Genes. XXXVIII, 29. מַה־פָּרַצְתָּ עָלֶיךָ פָּרֶץ *quare rupisti objectum tibi interstitium?* De aqua dicitur, quae aggerem oppositum perrumpit, 2 Sam. V, 20. פָּרַץ יְהוָֹה אֶת־אֹיְבַי לְפָנַי כְּפֶרֶץ מָיִם *perrupit Jova hostes meos ante me, instar perruptionis aquarum,* sicut aquae, quando cum impetu feruntur, omnia perrumpunt et obruunt. לִפְנֵיהֶם *Ante illos*, primam illorum aciem ducturus, sicut quondam cum ex Aegypto populum educeret, Exod. XII, 12. וַיהוָֹה הֹלֵךְ לִפְנֵיהֶם *et Jova eos praeibat.* Jes. LII, 12. *Non trepide emigrabitis,* כִּי־הֹלֵךְ לִפְנֵיכֶם יְהוָֹה *nam vos Jova praecedet.* Chaldaeus: יִסְּקוּן מְשֵׁזְבִין כַּד בְּקַדְמֵיתָא וְיִסַּק מַלְכְּ מְדַבַּר בְּרֵישֵׁיהוֹן וְיִתְבַר בַּעֲלֵי דְבָבָא דְמְעִיק לְהוֹן *ascendent salvati sicut olim, et ascendet rex ductor a fronte eorum, qui conteret inimicum opprimentem eos.* פָּרְצוּ Itaque *perrumpunt* ipsi quoque, i. e. perruptis omnibus obstaculis suum ducem sequentur strenue, neque quicquam poterit illorum sistere cursum; penetrabunt, quo ducem penetrasse vident. וַיַּעֲבֹרוּ *Et transibunt*, nemine prohibente pervadent. Alias hoc verbum dicitur de flumine, qui superatis suis alveis omnia inundat; ut Jesaj. VIII, 8. וְחָלַף בִּיהוּדָה שָׁטַף וְעָבַר *pertransibit Judam, inundabit et pervadet.* De vi ingente militum Dan. XI, 10. 40. וְשָׁטַף וְעָבַר *inundabit et pervadet.* שַׁעַר *Portam* scil. frangent, portas urbium hostilium perrumpent; nulla erit adeo munita porta, quae ab ingressu eos arcere possit. Id promittitur posteris Abrahami Genes. XXII, 17. וְיִרַשׁ זַרְעֲךָ שַׁעַר אֹיְבָיו *posteri tui portis hostium*

suorum

ſuorum potientur. Quod repetitur XXII, 60. Chaldaeus: וִיכַבֵּישׁ כְּרַכִּין חֲקִיפִין קִרְוֵי עַמְמַיָּא יַחְסְנוּנוּן *atque expugnabit arces munitas, urbes gentium poſſidebunt.* וַיֵּצְאוּ בוֹ *Et* ſicut perruptis repagulis intrabunt, ita *exibunt per eam,* portam, nemine prohibente. מַלְכָּם לִפְנֵיהֶם *Rex eorum ante eos,* videlicet דָּוִד מַלְכָּם *David rex eorum,* Hoſ. III, 5.; cſ. loca ad eum loc. laudata. וַיהוָה בְּרֹאשָׁם *Et Jova in capite,* prima turma *eorum,* Gallice *a leur tête,* idem quod modo לִפְנֵיהֶם *ante eos;* ut 2 Paral. XIII, 12. עִמָּנוּ בָרֹאשׁ הָאֱלֹהִים *nobiscum in capite Deus.* Amos VI, 7. יִגְלוּ בְּרֹאשׁ גֹּלִים *migrabunt in fronte migrantium.* Haud deſunt ex interpretibus, qua Judaeis, qua Chriſtianis, qui contendunt, Deum his duobus Verſibus induci minas ſuas adverſus Iſraelitas perſequentem, et de violenta eorum coarctatione in munitis locis metu hoſtium agentem, quaſi dixiſſet: efficiam ut cogente hoſte congregemini in urbibus veſtris munitis, quas ille obſeſſurus eſt, inprimis ut obſidemini intra Samariam et Hieroſolymam, nam par ſors utrique praedicitur. Per *Jacobum* intelligunt illi interpretes *decem tribus,* per *reliquias Iſraelis* duas tribus reliquas. De *illis* dicere Deum: cogam vos in unum deportandos, non ex parte, ut per Tiglathpileſarem, ſed omnes per Salmanaſſarem. De *his:* in unum conducam, idque per Nebucadnezarem. Ibique pariter ponentur *ut grex in Bozra,* quemadmodum Bozranae oves intra ſepta coguntur. Conferti porro *tumultuabuntur* in anguſtiis illis ob prementem multitudinem ſtrepitum tumultuoſum edituri. Verſum 13. autem ita fere exponunt: *Aſcendet effractor coram ipſis,* i. e. ducentur tumultuarie, et frangendae erunt portae urbium, ut turmatim exeant. Quibus verbis ſignificare volunt prophetam, celeriter omnes abripiendos eſſe in exſilium. Iis vero, quae ſubjiciuntur: *egredientur per portam, et rex ipſorum transibit coram ipſis,* indicari, regem ſuum, quo tantopere ſuperbirent, captivum abductum iri. Verba denique: *Jova erit in capite eorum,* ita intelligunt: Jova inſtabit eorum cervicibus, ut eos opprimat et obruat

obruat penitus; vel: hoſtibus irrumpentibus Jova ipſe dux erit, qui iratus ſuo populo adverſus eum ſit bellaturus. Ita fere Kimchi pater, Theodoretus, Grotius, Lud. de Dieu, alii, qui, quantumvis in ſingulis hujus vaticinii membris in diverſa eant, in eo tamen omnes conſpirant, quod פורענות, ſive *ſupplicii denunciationem* hocce oraculo contineri perhibeant. Illis nuper acceſſit Steudel, V. S. V., qui in *dem Archiv* T. II. p. 408. utroque Verſu 12. 13. hoc denunciari cenſet, fore, Deo ita efficiente, ut Hebraei in urbe ſua ab hoſtibus coarctati pecori tumultuanti et pavide perſtrepenti ſimiles ſiant, hoſtes vero, perfractis moenibus per portas ingrediantur, incolae autem cum rege exire cogantur, quod hoſtibus facile ſit ſucceſſurum, quum Deus ipſe dux eis ſit. In qua interpretatione vix admittendum videtur, quod מַלְכָּם diverſus capitur a יְהוָה. At nos cum Chaldaeo, Jarchio, aliisque veteribus Hebraeis inſignem potius promiſſionem hisce duobus Verſibus agnoſcimus, quibus Meſſiae adventus et temporis iſtius charactere res luculenter deſcribantur. Ita enim ſolent prophetae diriſſimis minis ſubjicere promiſſa et conſolationes. Cujus rei tam frequentia ſunt apud vates Hebraeos exempla, ut neminem id fugere queat, qui animum ſuum ad librorum propheticorum commentationem appellere ſtatuit. Ex innumeris aliis conſideretur nunc modo apud ipſum Micham noſtrum tertii Capitis cum quarto nexus. Quae autem duobus poſtremis Capitis hujus Verſibus leguntur, talia ſunt, ut in comminationibus nunquam ea uſurpata inveniantur. *Congregare reliquias Iſraelis* in alio atque bono ſenſu nusquam ponitur, vid. infra IV, 6. 7. V, 6. 7. Jeſ. X, 20. LIV, 7. Jerem. XXIII, 3. Comparatio porro cum ovibus Bozrae, ubi laeta paſcua ovesque opimae, item cum grege in caula, qua nusquam tutius et placidius quieſcit, minime populum intra moenia coarctatum et obſidendum aut *patria pellendum* innuere poteſt. Cf. loca parallela a nobis ſupra indicata. Noſtrae interpretationi obvertit quidem Steudel l. l., ea adſcita reditum Hebraeorum e terris extremis inſtar trium-

triumphantis exercitus adventum describi, quod nec mori prophetarum, nec historiae sit consentaneum. Sed ducem sese redituris Hebraeis praebiturum esse Jovam, promittitur et Jesaj. LII, 12., ut hic. Et Hoseas XI, 10. 11. praenunciat, Jovam suos, Hebraeos, hostibus terrore percussis, sedibus suis restituturum, quales promissiones non sunt ad factorum veritatem explorandae. In bonam partem duos hosce postremos Versus capit quidem et Hartmannus (in Prolegomenis ad suum in nostrum vatem Commentarium p. 14., et in Commentario ipso ad h. l. p. 96.), sed ita, ut falsorum vatum oracula per mimesin hic referri existimet, quasi hoc velit Noster: quodsi ego mendacium illorum prophetarum instar pro vino aut pro alio potu inebriante laeta promitterem, tum ita dicerem Jovae nomine: *colligam vos Jacobitas* etc. Talibus vero improbissimis planis ut me sociarem, tantum abest, ut potius popularium meorum scelera libere ac intrepide castigem, poenasque quae illis imminent, denunciem Cap. III, 1. seqq. Cui tamen sententiae quo minus adstipulemur, illud nos impedit, quod ea ipsa, quae duobus his Versibus leguntur, ab aliis quoque *veris* prophetis futura praedicuntur, postquam satis poenarum dederit populus, atque a malis impiisque fuerit purgatus, ut locis similibus ad singulas dictiones indicatis ostendimus.

Cap.

Cap. II.

1. *Vae, quorum ſcelus eſt meditatio fraudibus aptum!*
Nocte dolum tacita qui ſecum mente volutant,
Corpora dum caeco requieſcunt ſtrata cubili.
Vix tenebras rebus rediens Aurora removit,
Jam aggrediuntur opus, ſcelus ut nulla mora retardet,
Cujus patrandi non eſt aliena facultas.
2. *Ardor habendi inhians agris domibusque propinquis*
Non dubitat pulſis dominis invadere per vim
Quicquid collibuit, dominumque domumque premendo,
Et vitam infelicis heri ſui villula prodit.
3. *Talibus offenſus ſic ore Jehova profatur:*
Ecce ego grande malum irato cum corde voluto,
Quo gentem hanc mactare paro; neque colla licebit
Impoſito extraxiſſe jugo. Iſta elatio veſtri
Subſidens animi fortunâ fractû ſiniſtrâ
Concidet, et tumidas diſcetis ponere criſtas.
4. *Tunc veſtrum ob meritum ſietis fabula vulgo:*
Triſtia de afflictis reſonabunt cantica rebus.
Vaſtati (dicent) penitus ſumus. Heu populi pars
Commutata mei eſt! adimit mihi qua ratione!
Quando erit, ereptos cum rurſus dividet agros;
Antiquos ad heros aequa ratione reverſos? *)

5. *Cauſa*

---

*) Ut avertat (a nobis) agros noſtros dividit eos (Deus).

5. *Caufa eft dicta, inquam, quare poffeffio nulla*
Detur agri in coetu Domini tibi forte tributi.
6. *Quid juvat incaffum vano infudare labori?*
Non penetrat mentes ftillatio fparfa profanas.
Nulla, ajunt, ignominia, et confufio nulla
Nos premet *) *: et fibi blanditur, fallitque fe ipfam*
7. *Jacobaea domus: Num fpiritus ille Jehovae*
Antiquus brevior jam eft factus, quam fuit olim? **)
Talia num paret ille in nos? num talia patret?
Vera loquor: mea verba pio, et fe calle tenenti
In recto, bona funt, et commoda, proque futura.
8. *At meus in praedam populus furrexit ut hoftis*
Praedator, domino pariter tunicamque togamque
Deripitis, qui fecurus nil tale veretur
Ingrediens, belli ftrepitu procul atque tumultu.
9. *Vos populi uxores antiqua e fede repulfas*
Exigitis noftri, et dulces deflere penates
Cogitis amiffos, tum parvula turba decore
Defpoliata meo bona perdita luget avita.
10. *Surgite, abite procul: non eft locus ifte manendi.*
Vos injufta nimis vita atque impura peremptos
Exitio dabit, ut reftet fpes nulla falutis.
11. *Si popularem auram captans, vulgique favori*
Velificans, loquerer, qua fint vina arte bibenda,
Et genio indulgens quo pacto quis bene vivat,
Et cute curata nitidus vifatur ubique:
Tum vero huic populo vates gratiffimus effem,
Labraque lactucas fimiles tum prorfus haberent.

12. *At*

---

*) Ne (inquiunt improbi veris prophetis) vaticinemini! Vaticinentur (noftri prophetae)! Ne (reponit Deus) vaticinemini (improbis)! fed nec recedat (ab eis) ignominia!

**) O dicta Jacobi domus! eftne contractus Jovae fpiritus (ut non liceat ei quicquid voluerit per fuos miniftros annunciare)?

12. *At te ego collectum omnino servabo, Jacobe! et*
Reliquias vestras, geniti Israele, reducam,
Disponamque simul, quasi grex pastoris ovili
Conclusus tuto latitat, spernitque lupi vim,
Defensus firmae valido munimine caulae;
Turbaque densa virûm strepitus gradiendo ciebit.
13. *Ante ipsos dux tentet ovans, obstacula rumpens*
Omnia; quem porta reclusa pone sequentur,
Cum facta est via vi, glomerati hinc indeque multi.
Anteferet rex ipse gradum, populisque praeibit;
Ipse Jehova illis factus caput agmina ducet.

Cap. III.

Argumentum.

Acriter invehitur propheta in magistratus ac principes, qui judicia pervertunt, et judiciis iniquis pauperes homines callide ac violenter exspoliant (Vs. 1—4.). Neque minus prophetas exagitat, qui nugas suas venales habent, et falsa spe delusum populum in gravissima rerum incommoda conjiciunt (Vs. 5—8.). Ad extremum debitum et procerum iniquitati, et prophetarum fallaci vaticinio supplicium denunciat, et eversae civitatis horribilem speciem graphice describit (Vs. 9—11.).

---

1. וָאֹמַר *Dixi* porro, sive, alio quodam tempore. שִׁמְעוּ־נָא רָאשֵׁי יַעֲקֹב *Audite, quaeso, capita,* i. e. primores *Jacobi!* Eodem significatu ראשׁ legitur Jud. XI, 11., ubi narratur, Gileaditas sibi Jephtam praeposuisse לְראשׁ וּלְקָצִין *caput et judicem;* vid. et ibid. Vss. 8. 9. וּקְצִינֵי בֵּית יִשְׂרָאֵל *Et* vos, *judices,* magistratus, gubernatores *domus Israelis!* De קָצִין vid. not. ad Jesaj. I, 10. *Israele* et *Jacobo* totum illud genus intelligi, quod est ab Israele propagatum, observavimus supra ad I, 5. Alloquitur itaque vates utriusque populi principes et duces, quorum injuria vel inertia aut corrupti sunt mores, aut male vexata et spoliata bonis tenuiorum fortuna. Eadem apostrophe infra Vs. 9. Magistratuum scelera quemadmodum Noster castigat, ita et Amos V, 6. 10—15., Ezechiel XXII, 6., et auctor Psalmi LXXXII. הֲלוֹא לָכֶם לָדַעַת אֶת־הַמִּשְׁפָּט *Nonne vobis*

eſt *ſcire judicium?* nunquid non veſtrarum eſt partium, noſſe quid juſtum ſit et aequum, et ex aequo et juſto publicum exercere judicium? Interrogatio emphatica, qua conſcientiam principum compellat. לָכֶם *Vobis* incumbit, ſeu *veſtrum eſt.* Syrus et Arabs: ܠܐ ܗܘܐ ܠܟܘܢ ܘܳܠܶܐ, أَلَيْسَ يَنْبَغِي لَكُمْ *nonne vobis convenit?* Idem particulae ל uſus 2 Paral. XIII, 5. הֲלֹא לָכֶם לָדַעַת *nonne vos ſcire debetis, Jovam Davidi regnum dediſſe?* XX, 17. לֹא לָכֶם לְהִלָּחֵם בָּזֹאת *non eſt veſtrum hic praeliari.* Prov. XXXI, 4. אַל לַמְלָכִים שְׁתוֹ־יָיִן *non eſt regum,* non convenit regibus, *potare vinum.* לָדַעַת אֶת־הַמִּשְׁפָּט *Noſſe jus,* idemque curare et adminiſtrare. דַּעַת enim non ſolum cognitionem et ſcientiam, verum etiam opus et actionem ſignificat. Ita Jerem. IX, 23. *ſcire* dicitur *Deum* qui illius obſequitur voluntati. מִשְׁפָּט *Jus,* quatenus ad forum ſpectat, ut infra Vs. 9., et Jeſ. I, 17. monentur judices, ut juri exercendo operam dent (דִּרְשׁוּ מִשְׁפָּט), atque viduarum et orphanorum cauſam tueantur. Quum igitur principes et magiſtratus creditum ſibi populum invigilando et legitimis judiciis in officio continere deberent, neque alios continuerunt ab injuria, verum et ipſi per vim et fraudes ab imbelli turba, quae contra majorem potentiam obniti non auderet, facultates et opes extorſerunt.

2. Inſtituit comparationem facti cum jure, quaſi dicat: tantum abeſt, ut debitum veſtrum expleatis, ut potius videamini jus omne penitus ejuraſſe, quippe שֹׂנְאֵי טוֹב וְאֹהֲבֵי רָעָה *odio habentes bonum, et amantes malum* eſtis. טוֹב et רָעָה capiunt nonnulli interpretes de perſonis, ut ſenſus ſit: pro malo contra bonum ſuſcipitur a vobis patrocinium. Verum praeſtat, illa nomina neutraliter capere, ut Amos IV, 14. דִּרְשׁוּ־טוֹב וְאַל־רָע *quaerite bonum, non vero malum.* Et Vs. 15. שִׂנְאוּ־רָע וְאֶהֱבוּ טוֹב *odio malum habete et bonum diligite.* Praeterea noſtro loco quod in textu ſcriptum, רָעָה (in margine enim legitur רָע), manifeſte

feſte eſt *femininum*, et Latino ſermone in *neutro* vertendum. Hoc igitur Noſter dicit: *bonum*, quod amare deberetis, i. e. virtutem et beneficentiam, *odiſtis*, *et malum*, quod odiſſe deberetis, vitium aut vexationem pauperum *amatis*. Plus autem eſt *odio habere bonum*, quam, fugere illud, aut, *amare malum* quam, fugere malum. Id vero jam exaggerat, dum addit: גֹּזְלֵי עוֹרָם מֵעֲלֵיהֶם *rapientes eſtis cutem eorum*, populi mei, Jacobi et domus Iſraelis (Vs. 1. 3.), et in his maxime innocentium pauperumque *a ſuper ipſis*, q. d. cutem ipſis per vim paene detrahentes. Tanta exactionum onerumque vis eſt. Huc pertinet illud *Tiberii* apud Suetonium Cap. 32., qui *Praeſidibus*, *onerandas tributo provincias ſuadentibus reſcripſit*, *boni paſtoris eſſe*, *tondere pecus*, *non deglubere*. Chaldaeus: אָנְסִין נִכְסֵי עַמָּא מִנְהוֹן וּמָמוֹן יַקִּירְהוֹן מִנְּהוֹן נָסְבִין *rapientes opes populi ab eis*, *et divitias illorum pretioſas ab eis auferentes*. Sic Vs. 3. idem. וּשְׁאֵרָם מֵעַל עַצְמוֹתָם *Et carnem illorum ab oſſibus ipſorum*, quos fovere deberetis ac tegere, ſic ſpoliatis violenter et callide, ut non ſolum pellem, ſed etiam ex oſſibus carnem detraxiſſe videamini. Exſucci et exſangues ſunt, opibus ſuis a vobis penitus exhauſtis.

3. וַאֲשֶׁר אָכְלוּ שְׁאֵר עַמִּי *Qui vorant*, inquam, *carnem populi mei*. Repetit membrum poſterius Verſus ſuperioris, ſynonymicis uſus phraſibus, cum ut rei indignitatem exaggeret, tum ut novum quid ſuperaddat. Eadem imago Pſalm. XIV, 4. אֹכְלֵי עַמִּי אָכְלוּ לֶחֶם *comedentes populum meum* quaſi *vorarent panem*. וְעוֹרָם מֵעֲלֵיהֶם הִפְשִׁיטוּ *Et pellem eorum ab ipſis exuunt*, velut pecora a laniis decoriantur. Sic de pelle victimae detrahenda verbum הִפְשִׁיט dicitur Levit. I, 6. Cf. ſupra II, 8. וְאֶת־עַצְמֹתֵיהֶם פִּצֵּחוּ *Et oſſa eorum frangunt*. Forma Piel verbi פִּצַּח hoc ſolo loco occurrit. In Cal eſt *frangere* vel *rumpere jubilum*, ut Jeſaj. XIV, 7. פָּצְחוּ רִנָּה *prorumpunt in jubilum*. Ita verbum הֵרִיעַ *jubilare*, unde תְּרוּעָה *jubilus*, proprie

 fractio-

fractionis notionem habet, coll. Jerem. XV, 12. הֲיָרֹעַ בַּרְזֶל *num frangetur ferrum?* Et Virgilius *Aen.* II, 129. *rumpere vocem* dixit pro *erumpere voce.* Graecis quoque ῥηγνύω et ῥήσσω est *frango, scindo*, itemque *in clamorem erumpere.* Ceterum פָּצַח propria sua significatione convenit cum Arabico فضخ, *contundendo fregit*, praesertim rem concavam, et cum Aethiopico פָּצַח *cuneo fidit.* וּפָרְשׂוּ כַּאֲשֶׁר בַּסִּיר *Et dividunt*, i. e. concidunt in frusta *quasi* frusta *in ollam* essent conjicienda et excoquenda. Graecus Alexandrinus reddidit: καὶ ἐμέρισαν ὡς σάρκας εἰς λέβητα. Pro כַּאֲשֶׁר interpretem legisse כִּשְׁאֵר *sicut caro* conjicit Ludov. Cappellus in *Crit. S.* L. IV. Cap. 7. §. 3. p. 632. edit. Hal. Buxtorfius tamen in *Anticrit.* p. 675. observat, incertum esse, an ita legerint. „Sententia est imperfecta et elliptica, cujus defectum illi suppleverunt. De verbo ad verbum reddendum fuisset καὶ ἐμέρισαν ὡς εἰς λέβητα. Id quum illi durum et obscurum esse cernerent, addiderunt de suo σάρκας, quia illud judicabant hic subintelligi." Idem fecit Chaldaeus: וּמְפַלְּגִין יַתְהוֹן כְּמָא דְּפַלְּגִין אַבְרָא לְגוֹ דוּדָא *dividunt eos tanquam qui concidunt membra in frusta in medium lebetis.* Eadem imagine ollae carnibus ossibusque coquendis repletae utitur Ezechiel XXIV, 4. 5. ad describendam obsidionem et eversionem urbis Hierosolymitanae. Alii nostra verba sic capiunt: *et dividunt tanquam* quod est *in olla* (ita Thren. IV, 4. *Parvuli rogant panem*, פֹּרֵשׂ אֵין לָהֶם *sed nullus* qui *inter eos distribuat*), i. e. facultates et opes aliorum direptas inter se dividunt, ut in pompis, luxu, epulis habeant, quod absumant, velut coqui miseras oves mactant, dilaniant et igni apponunt, ut habeant, quod ipsi et alii comedant. וּכְבָשָׂר בְּתוֹךְ קַלָּחַת *Et sicut carnem* ingerunt *in medium lebetis*, seu, dividunt *carnis instar*, quae est *in medio lebetis.* קַלַּחַת, quod praeter hunc locum semel, 1 Sam. II, 14. occurrit, ubi cum aliis similis significationis nominibus, דּוּד, כִּיּוֹר, פָּרוּר, סִיר, componitur, Ed. Pocockius in *Notis Miscellaneis,* Maimo-

Maimonides *Portae Mosis* a se Oxon. 1655. editae, subjunctis p. 406. confert cum Graeco *χαλκίον*, *aeramentum*, *ahenum*. Affinitatem quidem tam nominis, quam significatus, quae inter Hebraeum קַלַּחַת et Graecum *χαλκίον* intercedit, casu magis, quam certo hominum consilio evenisse existimat; ipsum interim Graecum nomen ipsi e Graecia in Orientem migrasse videtur: apud Arabes enim seriores خلقين pro *aheno* usurpatur, ut a R. Tanchum, qui illud *lebes* explicat, atque in fabularum, quae Locmano adscribuntur, *quinta* legimus خلاقين *ollas*, *τὰ χαλκία*. G. B. Michaelis mavult, *χαλκίον* cum suo primitivo *χαλκός* esse orientalis originis ab Hebraico et Arabico חָלַק, خلق *malleo laevigavit*, *expolivit* (Jes. XLI, 7. *artifex* מַחֲלִיק פַּטִּישׁ *qui expolit malleo*), indeque nostrum קַלַּחַת per metathesin pro חַלְקַת. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2193., est *olla cooperta*, Germanice *Stülpkessel*, collato Aethipico קלח *Kualĕchĕ* (*Kelch*) *calyx floris antequam aperiatur*.

4. אָז *Tunc*, cum supplicii tempus ingruet, cum hostis eorum regionem vastabit, urbes expugnabit, ipsosque captivos abducet, de quo tempore et supra II, 3., יִזְעֲקוּ אֶל־יְהוָה וְלֹא יַעֲנֶה אוֹתָם *clamabunt ad Jovam*, *sed eos non exaudiet*, clamabant pauperes, cum inclementer urgeret potentiorum barbara crudelitas, neque illorum clamor misericordiam exoravit ab immiti pecore. Parem illis Deus referet vicem; neque enim clamantes exaudiet, cum tumultuabuntur ad appulsum hostium, et res tam publica quam privata ad extremum adducetur discrimen. Similiter Zachar. VII, 13. *Quemadmodum quum vocasset* Jova, illi *non audiverunt*, *ita quando* illi *clamaverint*, *ego non exaudiam*, *inquit Jova*. Jerem. XI, 11. *Malum eis inducam*, *quo non exibunt*, וְזָעֲקוּ אֵלַי וְלֹא אֶשְׁמַע אֲלֵיהֶם *et clamabunt ad me*, *ego vero eos non exaudiam*. Job. XXXV, 12. שָׁם יִצְעֲקוּ וְלֹא יַעֲנֶה *tunc clamabunt*, *at non exau-*

exaudiet Deus, *propter faſtum malorum.* Prov. XXI, 13. *Qui obſtruit aurem ad clamorem tenuium,* גַּם־הוּא יִקְרָא וְלֹא יֵעָנֶה *etiam ipſe clamabit nec exaudietur.* Vid. et Hoſ. V, 6. Pſ. XVIII, 42. Jac. II, 13. וְיַסְתֵּר פָּנָיו מֵהֶם *Et abscondet faciem ſuam ab eis,* non amplius reſpiciet eos, non amplius erit eis propitius. Jeſ. VIII, 17. *Ego praeſtolatus ſum Jovam,* הַמַּסְתִּיר פָּנָיו מִבֵּית יַעֲקֹב *qui abscondit faciem ſuam a domo Jacobi.* LIX, 2. *Crimina veſtra vos a Deo veſtro disjungunt,* וְחַטֹּאותֵיכֶם הִסְתִּירוּ פָנִים מִכֶּם מִשְּׁמוֹעַ *et peccata veſtra ſubtrahere faciunt,* ſubtrahunt *vultum* ejus *vobis, quo minus audiat.* Cf. ibid. I, 15. *Cum expanderitis palmas veſtras,* אַעְלִים עֵינַי מִכֶּם *ſubtraham oculos meos; ac quamvis multas faciatis precationes, non audio, quum ſint veſtrae manus plenae ſanguine.* בָּעֵת הַהִיא *In tempore illo,* quo illis accidet calamitas ſupra II, 3. commemorata. Quae adduntur, כַּאֲשֶׁר הֵרֵעוּ מַעַלְלֵיהֶם, nonnulli vertunt: *quia malas fecerunt actiones ſuas,* כַּאֲשֶׁר pro particula cauſali capientes, ut Num. XXVII, 14., ubi Deus dicit de Moſe, eum non ingreſſurum eſſe terram Cananaeam, ſed ad patres ſuos conceſſurum, ut jam conceſſerit Aaron, כַּאֲשֶׁר *quia rebellaſtis contra mandatum meum.* Et 1 Sam. XXVIII, 18. Samuel praedicit Saulo, erepturum ei Deum regnum, כַּאֲשֶׁר *quia non auſcultaſti voci Jovae.* Ita hic LXX: ἀνθ' ὧν ἐπονηρεύσαντο ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτῶν ἐπ' αὐτούς. Sed rectius Hieronymus: *ſicut nequiter egerunt in adinventionibus eorum.* Ita cauſſalis ſignificatio includitur, magis tamen juſtitia talionis in relatione poenae ad culpam conſimilem exprimitur, quaſi diceret: ſicut proceres illi clamantes viduas, pupillos, aliosque ab eis oppreſſos nec audiverunt, nec reſpexerunt, ita indigni ſunt, qui a Deo, cum ejus opem et auxilium implorabunt, exaudiantur. Cf. locum Proverbiorum ſupra allatum.

5. Hactenus perſtrinxerat mores principum, jam invehitur in falſos prophetas, quorum vaticiniis adulatoriis atque

atque fallacibus adscribit Jeremias Thren. II, 14. suae gentis interitum: *Vates tui vana tibi futiliaque praedixerunt, culpam tuam non patefacientes, ut tuam cohiberent captivitatem, sed vana tibi profligataque suis oraculis praedicentes.* Et hos quidem malis jungit principibus ducibusque, quod et nequitiam eorum adprobarent, et collaudarent, et cum illis in commune damnum conspirare viderentur; cf. infra Vs. 12. כֹּה אָמַר יְהוָה עַל־הַנְּבִיאִים *Ita loquitur Jova super*, contra *prophetas*, i. e. נְבִיַּיָּא דְשִׁקְרָא *pseudoprophetas*, ut recte Chaldaeus reddidit. Tales enim erant ex rei veritate, licet *prophetarum* nomen sibi arrogarent. Sunt iidem, quos II, 11. dixerat ad palatum de *vino et sicera* docere. הַמַּתְעִים אֶת־עַמִּי *Qui errare faciunt populum meum*, dum laeta securis pollicentur, infausta contra comminantur aliis, quibus talia non erant comminanda. De hujusmodi vatibus Jesajas III, 12. *Popule mi, ductores tui sunt seductores* (מַתְעִים). Quod ipsum IX, 15. repetit. Et Ezechiel XIII, 10. יַעַן וּבְיַעַן הִטְעוּ אֶת־עַמִּי *propterea quod in errorem seduxerunt populum meum, dicendo pacem fore, quum non sit pax.* Et Vs. 19. *Me profanatis apud meos ob hordei pugillos panisque frusta, necando animas non morituras, et conservando non victuras, dum meis mentimini, auscultantibus mendacium.* הַנֹּשְׁכִים בְּשִׁנֵּיהֶם וְקָרְאוּ שָׁלוֹם *Qui mordent dentibus suis et proclamant pacem*, i. e. qui dum prospera omnia promittunt, et contribules suos securos esse jubent, populum stultum et ipsorum oraculis nimium credulum in illud periculum conjiciunt, quod non putabat cavendum. Alii *mordere* h. l. capiunt pro *comedere*, ut sensus sit: dum eis abunde datur, quo rumen impleant, populo grata praedicunt. Ita Chaldaeus: דְּמַן מוֹכִיל לְהוֹן שֵׁירוּן דִּבְסַר מִתְנַבַּן עֲלוֹהִי שְׁלָמָא *qui offerenti ipsis convivia carnis vaticinantur pacem.* Quae interpretatio aliquam probabilitatem habet ob membrum sequens, quod huic oppositum videtur. Verum obstat, quod נָשַׁךְ nusquam est *escam mandere*, sed omnibus, quibus occurrit locis, *morsum infligere noxium* signi-

ſignificat, et proprie de ſerpentum morſu dicitur, ut Geneſ. XLIX, 17. de ceraſte prope viam, הַנֹּשֵׁךְ עִקְּבֵי־סוּס *qui admordet calcem equi.* Num. XXI, 6. *Miſit Jova ſerpentes ardentes,* וַיְנַשְּׁכוּ אֶת־הָעָם *qui morderent populum.* Et Vs. 8. נָשׁוּךְ eſt is qui horum ſerpentum morſu laeſus erat. Vid. et Amos V, 19. Indicantur igitur noſtro loco הַנֹּשְׁכִים בְּשִׁנֵּיהֶם, *iis qui dentibus mordent,* ejusmodi prophetae, qui inſtar ſerpentum venenatos atque lethales ictus aliis infligunt. Recte Kimchi: „Dum pacem clamant, et populo blandiuntur, perinde faciunt, ac ſi morderent cum dentibus." שָׁלוֹם *Pax,* i. e. proſpera quaeque, ut Ezechielis loco, quem paullo ſuperius adduximus. וַאֲשֶׁר לֹא־יִתֵּן עַל־פִּיהֶם *Et qui non dat pro ore illorum,* quod edant et commiſſentur. Ita פֶּה de *victu* Geneſ. XXV, 28. *Iſaacus amabat Eſavum,* כִּי־צַיִד בְּפִיו *quia ferinum in ore ejus,* quod LXX recte verterunt: ὅτι ἡ θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ. Et Cohel. VI, 7. כָּל־עֲמַל הָאָדָם לְפִיהוּ *omnis labor hominis pro ore,* victu *ſuo.* וְקִדְּשׁוּ עָלָיו מִלְחָמָה *Contra eum ſanctificant bellum,* ei bellum indicunt, contra eum bellum parant aut denunciant. Loquutio inde deſumta, quod omnes fere antiquitatis populi bellum ritibus certis et ceremoniis ſacris auſpicare ſolebant. Eadem phraſi Jerem. VI, 4. utuntur hoſtes Judaeorum ad urbem Hieroſolymitanam oppugnandam ſeſe animantes: קַדְּשׁוּ עָלֶיהָ מִלְחָמָה *ſanctificate,* praeparate *contra eam bellum!* Hinc in univerſum verbum pro *parare* uſurpatum, vid. Joel I, 14. IV, 9.

6. לָכֵן לַיְלָה לָכֶם מֵחָזוֹן *Ideo,* quod tales eſtis, quales Vs. 5. deſcripti, *nox* erit *vobis a viſione,* i. e. tot vobis mala ingruent, et ea erit rerum veſtrarum perturbatio, ut non ſitis amplius viſiones viſuri. לַיְלָה h. l. de nocte rerum adverſarum capiendum. Cf. Amos V, 18. et ad eum loc. not. Particulam מ ante חָזוֹן nonnulli ſumunt cauſaliter: *ob viſionem* (ita LXX: ἐξ ὁράσεως, et Hieronymus, *ex viſione*), i. e. vaticinia veſtra, quibus alios decepiſtis, fient vobis

vobis caufa et origo ingentium malorum. Quia tamen jam praeceffit caufalis particula לָכֵן, praeftat מ hic *privative* capere, q. d. ut *a vifione* defiftere cogamini. Ita Jerem. XLVIII, 2. *Exfcinderis* מִגּוֹי *ne fis* amplius *gens.* 1 Sam. XV, 23. *Reprobabit te* Jova מִמֶּלֶךְ *ut non fis rex.* Cf. Jefaj. VII, 8. Concinit Chaldaeus: בְּכֵן תִּבְהֲתוּן מִלְּאִתְנַבָּאָה *ideo confundemini quo minus prophetetis.* וְחָשְׁכָה לָכֶם מִקְּסֹם *Et tenebrae vobis* erunt, *ne* amplius *divinetis.* מִקְּסֹם Proprie: *a divinatione,* eft enim nomen formae סְגוֹר, יְסוֹד. In libris nonnullis וְחָשְׁכָה cum Metheg fcribitur (וְחָֽשְׁכָה), quomodo erit tertia feminina Praeteriti perfona, imperfonaliter capienda (nam ad לַיְלָה referri non poteft, quum nomen illud mafculinum fit): *obtenebrefcet.* Sed rectius חֲשֵׁכָה arbitramur, ut nomen nomini (לַיְלָה) refpondeat. וּבָאָה הַשֶּׁמֶשׁ עַל־הַנְּבִיאִים *Et occidet fol fuper prophetis* falfis iftis, eos in fpiffa malorum caligine, a qua fubito obruentur, deftituens. Chaldaeus: וְתַחְפֵּי עָקָא כְּקִבְלָא יַת נְבִיֵּי שִׁקְרָא *operietque anguftia velut caligo pfeudoprophetas.* וְקָדַר עֲלֵיהֶם הַיּוֹם *Et ater fiet fuper eis dies,* ficut coelum, cum conglobatis per tempeftatem nubibus gravidum eft, atram diei caliginem inducit. Significat, fortunam eorum prorfus commutandam fore ex profpera in adverfam, et quidem fubito, ipfis faltem non opinantibus, qui fibi, et aliis fortunatum et florentem reipublicae ftatum perfuaderent. Similiter Jeremias XV, 9. בָּא שִׁמְשָׁהּ בְּעֹד יוֹמָם *occidit fol ejus dum* adhuc *eft interdiu.* Et Amos VIII, 9. וְהֵבֵאתִי הַשֶּׁמֶשׁ בַּצָּהֳרָיִם *faciam ut fol occidat in meridie, terramque clara die tenebris obducam.* Cf. not. ad eum loc., et fimiles imagines, quas e poetis Arabicis ad h. l. attulit Hartmannus. Alii hisce verbis denunciari putant falfis vatibus caecitatem et oraculorum defectum. Quem fenfum Rittershufius expreffit.

7. וּבֹשׁוּ *Et* tum quidem *pudefient* (Praeteritum Cal, ut Jefaj. XIX, 9.), turpitudo eorum patefcet, cum alia omnia evenerint, quam ipfi praedixerant. הַחֹזִים *Videntes* fcil.

ſcil. vana, הַחֹזִים שָׁוְא, ut Ezech. XIII, 9. vocantur. וְחָפְרוּ הַקֹּסְמִים *Et pudore ſuffunduntur divini* mendaces, הַקֹּסְמִים כָּזָב, uti laudato Ezechielis loco dicuntur. Chaldaeus: וְיִתְבַּהֲתוּן מִלְּאַלָּפָא *et pudefiant ita ut non doceant.* וְעָטוּ עַל־שָׂפָם כֻּלָּם *Et operient* (propr. *tegmen imponent ſuper*) *myſtacem omnes illi,* ut quos pudebit, qui cognoſci nolent, ac leproſorum inſtar deteſtabiles fient, miſeramque ſuam ſortem lugebunt. Fuit enim hic ritus tam leproſorum (Levit. XIII, 45. *Leproſus veſtimentis diſſolutis eſto, capite retecto,* וְעַל־שָׂפָם יַעְטֶה *oreque velato*), quam lugentium, vid. Ezech. XXIV, 17. et ad eum loc. not. Sic Eſth. VI, 12. Haman domum ſe proripuiſſe dicitur אָבֵל וַחֲפוּי רֹאשׁ *lugens capiteque obvelato.* Hinc caput obvelare eſt pudefactorum, veluti Jerem. XIV, 4. agricolae, carente pluvia ſpe ſua deluſi, בֹּשׁוּ חָפוּ רֹאשָׁם *pudefacti operiunt caput ſuum.* Vid. et ibid. Vs. 3. שָׂפָם proprie *labrum ſuperius* (ut Chaldaicum שְׂפַם, quod a Paraphraſte ſaepius de *limbo,* ſeu *extremitate rei,* Hebraico שָׂפָה, dicitur, vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 2498.), praeſertim *ejus pilos, myſtacem* notat, hic vero per ſynecdochen pro *ore inferiore* uſurpatur. Formatur a שָׂפָה, *labrum,* ut פֶּחָם *princeps,* Neh. V, 14., a פֶּחָה, מַלְכָּם a מֹלֶךְ, *Molochus,* in quibus מ eſt afformativum. כִּי אֵין מַעֲנֵה אֱלֹהִים *Quia non eſt reſponſum Dei,* ſcil. id, quod ipſi dixerant; quod apparebit eos eſſe mendaces et fallaces; hinc pudore ſuffundentur. Prophetae conſulebant Deum nomine populi, unde eis *reſpondere* dicitur, ut Jerem. XLII, 4. כָּל־הַדָּבָר אֲשֶׁר יַעֲנֶה יְהוָה אֶתְכֶם אַגִּיד לָכֶם *Omne verbum quod reſponderit vobis Jova, indicabo vobis.* Hoc vult: effata eorum non erant effata a Jova eis ſuggeſta; id ex eventu patebit. Et quum populus tandem animadvertet, vana eſſe, quae praedixerunt, in ſummum contemtum apud illum venient. Chaldaeus: אֲרֵי לֵית בְּהוֹן רוּחַ נְבוּאָה מִן קֳדָם יְיָ *neque enim in eis eſt ſpiritus prophetiae a facie Domini.* Alii haec verba intelligunt de verorum Jovae oraculorum defectu, de quo Jeremias nomine exſulum queritur Thren. II, 9. נְבִיאֶיהָ לֹא־

לֹא־מְצָאוּ חָזוֹן מֵיְהוָֹה *prophetae ejus*, filiae Zionis, *non nancifcuntur vifionem*, oraculum, *a Jova.* Minatur illum Ezechiel VII, 26. וּבִקְשׁוּ חָזוֹן מִנָּבִיא *requirent a vate oraculum; et facerdotes difciplina fenesque confilio carebunt.* Ita Michas hoc diceret: refponfa Dei finxerunt, quae non dederam; itaque in poenam hujus temeritatis vera quoque refponfa auferam, ita ut tempore calamitofo habituri fint neminem, quem confulant. Quemadmodum queritur poeta Pf. LXXIV, 9. אֵין עוֹד נָבִיא *non jam vates, non jam adeft, qui fciat quousque haec fint duratura.* Sunt enim, qui מַעֲנֵה hic *exaudiendi, precibus annuendi* fignificatu capiant, collato 1 Reg. XVIII, 26. 29., ubi de Baalis facerdotibus narratur, eos ad idolum clamaffe: עֲנֵנוּ וְאֵין קוֹל וְאֵין עֹנֶה *exaudi nos! Sed nulla reddita eft vox, et nemo refpondit.* Tum noftrorum verborum fenfus hic effet: vates illos mendaces pudore obruendos effe, quod eorum precibus non annuat Deus. Nos eum, quem primo indicavimus, fenfum haud dubitamus effe genuinum. Pro מַעֲנֵה (cum *Zere* fub *Nun*), quod eft forma ftatus conftructi nominis מַעֲנֶה, *refponfum*, in codicibus nonnullis legitur מַעֲנֶה, quod qui probant habent pro Participio Hiphil, et Cohel. V, 19. obvio (כִּי הָאֱלֹהִים מַעֲנֶה בְּשִׂמְחַת לִבּוֹ *nam Deus refpondet*, votis annuit, *per gaudium cordis* pii), vertuntque: (pudefient) *eo quod non fit refpondens Deus.* In libris tamen plerisque iisque correctioribus legitur מַעֲנֵה, quod nos quoque fequimur.

8. Falfis iftis vatibus jam Nofter fefe opponit, et teftatur, fe fpiritu divino afflatum loqui intrepide, nec formidare principum improborum tyrannidem, ut mendaces illi prophetae, qui malis affentarentur, atque talia tantum annunciarent, quae populus libenter audiret: וְאוּלָם אָנֹכִי מָלֵאתִי כֹחַ אֶת־רוּחַ יְהוָֹה *veruntamen ego repletus fum virtute, fpiritu* nempe *Jovae*, vi divina afflante plenus fum, non dapibus, ficut illi, adeoque quicquid loquor, non temeraria quadam audacia (ut Efth. VII, 5. *Ubi eft ifte*

iſte אֲשֶׁר מְלָאוֹ לִבּוֹ לַעֲשׂוֹת כֵּן *quem impleverit cor ſuum ad hoc patrandum*, i. e. qui tam audax fuerit?), ſed Jovae impulſu eloquor. Cf. Jerem. VI, 11. וְאֵת חֲמַת יְהוָה מָלֵאתִי *ira Jovae ego plenus ſum.* Dictionem אֶת־רוּחַ יְהוָה nonnulli vertunt: *a ſpiritu Jovae*, quaſi אֵת h. l. idem eſſet quod מֵאֵת, quomodo אֵת Gen. XLIX, 25. capiunt: מֵאֵל אָבִיךָ *a Deo patris tui, qui tibi auxilium tulit*, וְאֵת שַׁדַּי *et ab Omnipotente.* Alii: *cum ſpiritu Jovae.* Quorum neutrum nobis placet, reputantibus quippe, verbum מָלֵא nomini, quod rem aut materiam repletam indicat, modo interventu voculae אֵת, ut allato Jeremiae loco, nec non 1 Reg. VII, 14. Exod. I, 7. al., modo absque eadem jungi, prorſus eodem ſenſu utrimque manente. Sic quum 2 Reg. III, 17. dicitur: וְהַנַּחַל הַהוּא יִמָּלֵא מָיִם, *rivus hic aqua replebitur*, mox Vs. 20, legitur: וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ אֶת־הַמָּיִם *et repleta eſt terra aqua.* Et Ezech. X, 4. וַיִּמָּלֵא הַבַּיִת אֶת־הֶעָנָן *repleta eſt domus nube*; ſed Jeſ. VI, 4. וְהַבַּיִת יִמָּלֵא עָשָׁן *et domus repleta fuit fumo.* Quae duplex verbi conſtructio noſtro loco conjuncta eſt, duobus nominibus, כֹּחַ et רוּחַ יְהוָה, per appoſitionem junctis, ita ut poſterius, explanationis ergo adjectum, oſtendat, cuinam haecce virtus ceu ſuae origini ſit vindicanda. וּמִשְׁפָּט *Et judicio* ſcil. repletus ſum, ad diſceptandum cum populo meo, et exprobrandum ei impietatem ſuam. Sic Ezechiel XX, 4. jubetur ſuis popularibus litem intendere (לִשְׁפּוֹט), eorumque maleſacta arguere. Alii מִשְׁפָּט *juſtitiam, aequitatem* vertunt, quaſi hoc velit vates: juſtitia ſum repletus, ut diſcernerem culpas graviores a levioribus, et pro cujusque modo poenas denunciarem. Sed prior ratio praeſtat. וּגְבוּרָה *Et fortitudine*, conſtantia, ne a mandato divino dimovear cujusque reverentia aut metu. לְהַגִּיד *Ad indicandum* libere et ſine metu. Meticuloſae et adulatoriae diſſimulationi opponitur, ut Job. XXI, 31. מִי־יַגִּיד עַל־פָּנָיו דַּרְכּוֹ *quis indicabit*, indicare audebit, *in faciem ejus viam ſuam* impiam et perditos mores? Cf. not. ad eum loc. לְיַעֲקֹב פִּשְׁעוֹ *Jacobo*, Jacobaeis, *ſcelus ſuum*, crimina ſua? ut ſupra I, 5. Sic Jeſ.

Jeſ. LVIII, 1. vati a Deo injungitur: *Clama gutture effuſe! attolle inſtar tubae tuam vocem*, וְהַגֵּד לְעַמִּי פִּשְׁעָם *et indica populo meo ſcelera ſua, et domui Jacobaeae peccata ſua.*

9. Incipit re ipſa oſtendere propheta quod nuper dixit, ſe repletum eſſe virtute ſpiritus divini, dum in proceres ſanguinarios et iniquos libere invehitur. Utitur in illis alloquendis verbis iisdem, quibus ſupra Vs. 1. uſus erat. הַמְתַעֲבִים מִשְׁפָּט *Qui abominamini judicium* rectum et aequum, quod veſtrum erat, diligere et curare. In iis quae ſubjiciuntur verbis, וְאֵת כָּל־הַיְשָׁרָה יְעַקֵּשׁוּ poſt ו ſubaudiendum eſt אֲשֶׁר, ut ſecunda perſona mutetur in tertiam, qua verbum ponitur, ut vertendum ſit: *et* qui *omne rectum pervertunt*, curvum faciunt, quicquid rectum eſt, bonas cauſſas intricando. Translatum a via ad cauſſam forenſem, ut Jeſaj. LIX, 8. *integritati* in dijudicandis cauſſis opponitur. *Viam pacis neſciunt, nullum jus eſt in eorum callibus*, נְתִיבוֹתֵיהֶם עִקְּשׁוּ לָהֶם *ſemitas ſuas pervertunt ſibi.*

10. בֹּנֶה צִיּוֹן בְּדָמִים וִירוּשָׁלַםִ בְּעַוְלָה Quorum *aedificat* quisque *Zionem ſanguinibus, et Hieroſolymam iniquitate.* Quibus verbis plerique exiſtimant vatem impios illos proceres objurgare, quod domos exſtruerent ex opibus vi et rapinis, atque innocentium damnatione partis. Rectius alii בֹּנֶה ironice capiunt, hoc ſenſu: videmini quidem vobis praeclare Zionem aedificare, i. e. pulchre de ea merere ejusque commoda promovere: ac debebatis quidem; ſed quomodo aedificatis? *ſanguinibus* temere fuſis, injuſtis caedibus ſaeviendo *et iniquitate.* Locus geminus plane Habac. II, 12. הוֹי בֹּנֶה עִיר בְּדָמִים וְכוֹנֵן קִרְיָה בְּעַוְלָה *Vae* illi qui *aedificat civitatem cruoribus, et urbem ſtabilit iniquitate.* Ob eadem crimina Judaicos ſui aevi proceres increpat Ezechiel XXII, 27. *Ejus principes in ea verſantes ſunt quaſi lupi rapientes praedam, ſanguinem fundendo, vitasque perdendo, quaeſtus faciendi gratia.*

11.

11. רָאשֶׁיהָ בְּשֹׁחַד יִשְׁפֹּטוּ *Capita*, principes (ut Vs. 1. 9.) *ejus*, Zionis et Hierofolymae (Vs. 10.), *pro munere judicant*, quibus verbis non tam hoc dicitur, illos non judicare nifi accepto munere, quam hoc potius, pretio illos non aequitate jura defcribere: non ficut cauffae juftitia exigit, fed prout munera dantur. שֹׁחַד conftat effe *munus quod datur ad corrumpendum judicem*. Exod. XXIII, 8. וְשֹׁחַד לֹא תִקָּח כִּי הַשֹּׁחַד יְעַוֵּר פִּקְחִים *neve donum accipito, nam donum caecat etiam perfpicaces, bonorumque virorum orationem pervertit*. Quod ipfum repetitur Deuter. XVI, 19. *Judicium ne corrumpito; perfonarum rationem ne habeto, neve donum accipito* etc. Jef. I, 23. *Principes tui funt malefici et furum focii*, כֻּלּוֹ אֹהֵב שֹׁחַד *omnes donorum cupidi, et mercedibus inhiantes. Pupillis jus non reddunt, viduarum cauffas non admittunt*. Ezech. XXII, 12. שֹׁחַד לָקְחוּ־בָךְ לְמַעַן שְׁפָךְ־דָּם *in te dona accepta funt ob fundendum fanguinem*. Cf. infra VII, 3. וְכֹהֲנֶיהָ בִּמְחִיר יוֹרוּ *et facerdotes ejus pro pretio docent*. Sacerdotum erat docere legem, ut diferte injungitur Aaronis filiis Levit. X, 11. וּלְהוֹרֹת אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *docere Ifraelitas omnia inftituta, quae eis Jova per Mofem eloquutus eft*. Et Deut. XXXIII, 10. Mofes dicit Levitis inter alia: יוֹרוּ מִשְׁפָּטֶיךָ לְיַעֲקֹב וְתוֹרָתְךָ לְיִשְׂרָאֵל *doceant jura tua Jacobaeos, et legem tuam Ifraelitas*. Et Malach. II, 7. *Sacerdotis labra doctrinam cuftodire debent, eftque ab ejus ore petenda lex*. Sed quos Nofter caftigat facerdotes pecunia accepta non quae Deus praefcripferat docebant, verum quae regibus ac populo placerent atque talia, quae lucelli aliquid allatura fperarent. וּנְבִיאֶיהָ בְּכֶסֶף יִקְסֹמוּ *Et prophetae ejus pro argento divinant*, ut quisque nummos liberaliter erogaverit, ita ei ominatur, prophetias, quales quisque amat, venales habent. Apposite utitur verbo קָסַם, cum de falfis prophetis loquitur; nam in vitio poni folet, unde Bileam Jof. XIII, 22. הַקּוֹסֵם *divinator* vocatur. Cf. fupra Vs. 7. et Ezech. XXII, 28., quo loco inde a Vs. 25. uti et Zeph. III, 3. 4., ut noftro loco proceribus improbis junguntur facerdotes

dotes et prophetae tanquam nequitiae focii. וְעַל־יְהוָה יִשָּׁעֵנוּ *Et* tamen *fuper Jova nituntur*, de ejus favore fefe jactant, et optima quaeque fibi ab eo pollicentur. Falfae iftius perfuafionis pertinaciam exprimit interrogatio eorum: לֵאמֹר הֲלוֹא יְהוָה בְּקִרְבֵּנוּ *dicendo: nonne eft Jova in medio noftri?* Nonne apud nos fedem fuam, templum, habet, quod non patietur exfcindi? Ac proinde non eft, quod metuamus: לֹא־תָבוֹא עָלֵינוּ רָעָה *non veniet fuper nos malum*, quod minantur Michas, Jefajas, aliique eis fimiles prophetae. Fiduciam templi Judaeos fecuros feciffe, videmus quoque ex Jerem. VII, 4. *Nolite falfis rebus confidere, dicentes: Jovae templum! Jovae templum!* In ejusmodi prophetas, qui faufta omnia populo promitterent, negarentque fuperventura ei mala, quae minabantur Jovae prophetae, invehitur quoque Jeremias V, 12. feqq. XXIII, 17.

12. לָכֵן בִּגְלַלְכֶם צִיּוֹן שָׂדֶה תֵחָרֵשׁ *Quare propter vos*, judices, facerdotes et prophetae, *Zion ager arabitur*, ita evertetur, ut vix ullum civitatis reftet veftigium, quando pars in arva, pars in rudera, pars in fylvam abibit. Cf. fupra I, 6. Subaudiunt nonnulli ante שָׂדֶה notam fimilitudinis: *ut* ager arabitur. Sine neceffitate; nam revera ager erit, cum arabitur. וִירוּשָׁלַםִ עִיִּין תִּהְיֶה *Et Hierofolyma acervi erit*, redigetur deftructione in acervos lapidum. Ita et Jerem. IX, 10. וְנָתַתִּי יְרוּשָׁלַםִ לְגַלִּים *redigam Hierofolymam in acervos lapidum.* וְהַר הַבַּיִת לְבָמוֹת יָעַר *Et mons domus* fcil. Jovae (ut IV, 1.), i. e. templi (cf. not. ad Jef. II, 2.), erit *in excelfa fylvae.* Tales erit, quales montes in fylvis effe folent, arboribus, feris et virgultis obfitus. Referuntur haec ipfa prophetae noftri verba, et quidem fub ejus nomine, a Jeremia XXVI, 18.

CAP.

Cap. III.

1. *Ergo, inquam, populi primores, eia, Jacobi,*
Ductoresque domus audite, agite, Iſraelis:
Numquid erant veſtrae hae partes, jus reddere ſanctum?
2. *At vobis contra bona ſunt exoſa; malorum*
Vosque exercet amor vetitus; rapitisque cutem ipſam
Detractam miſeris, nudantes carnibus oſſa:
3. *Oſſaque frangentes populi conſumitis illa*
Fruſtulaque injicitis conciſa, coquenda lebete.
4. *Tunc magno Dominum clamore in vota vocabunt;*
Sed fruſtra. Domini clamorem haud audiet auris,
Ac, vultu averſo procul aſpernabitur ipſos,
Affligique malis permittet tempore iniquo.
Nimirum hoc vita meruerunt nequiter acta,
Cum miſeris clauſere aures. Ita talio poſcit.
5. *Ad falſos autem vates ſic Jova profatur*
(Qui populum in laqueos errorum inducere certant,
Qui placati offa, et rodentes panem alienum,
Aurea proclamant jucunda tempora pacis,
Aſſentatores, paraſiti, grata loquentes
Regi epuli, ne fors pereat ſibi ſcilicet offa.
Si quis non vocet atque ori non ingerat eſcam,
Protinus huic belli dicunt incumbere nubem):
6. *Has ob res vobis, quae viſio, nox erit atra,*

Mens

Mens divinaque erit densis obstructa tenebris *);
Vatibus occidet his nitide fax aurea solis,
Atratusque dies caligine lumina merget.
7. *Sic pudor obnubet vultus atque ora videntum,*
Fatidica et risum debebit, ludibrioque
Turba erit, ut velo tegat os vanum atque pudendum.
Nam responsa ipsis Dominus nulla edidit unquam.
8. *Ast ego caelesti sum robore pectora plenus*
Inspirante Deo: hinc manat mihi judiciique
Integritas, et vis animi non fracta periclis,
Quo minus increpitem scelera exprobremque Jacobo;
Israeligenae et quae patravere nefanda,
9. *Auribus haud quidquam tribuens, palpansve potentes.*
Accipite haec animis, primores, eia, Jacobi,
Ductoresque domus audite, agite, Israelis,
Qui jus ceu pestem fugitis, quosque omnia recta
10. *Flectere curva juvat, qui sanguine tincta Sionis*
Moenia construitis, per facta nefaria muros
11. *Erigitis Solymos. Primores munere vendunt*
Jus et judicium; venalia sacra sacerdos
Doctrinamque gerit, pretio illa addicere promptus:
Falsi divinant corrupti munere vates,
Conducti nummis, et grata cuique loquentes,
Nec tamen interea Jovam laudare verentur
Dictorum auctorem. Nonne, ajunt, ipse Jehova
Nos agitat, magno et nobis se numine miscet?
Inde nocere queunt contagia nulla malorum
Vi tutis supera, et coeli adspirante favore.

12. *Vestrâ*

---

*) Quapropter vos noctem absque visis et tenebras absque divinatione habebitis.

12. *Vestrâ igitur culpâ muros populata Sionis*
Hostica vis, arci, velut, agro, inducet aratrum,
Ebria successu et fortuna inflata secunda,
Nil nisi acervus erit lapidum Solyma inclyta, monsque
Quaeque urbes inter nunc toto Oriente superbit,
In quo jam templi stat condita regia moles,
Destructo templo dumis erit horrida sylva.

Cap. IV.

Argumentum.

Aevi aurei felicitatem describit, quo Jovae fanum cetera omnia sanctitate et celebritate superabit, quippe ex quo divina institutio inter omnes exibit populos (Vs. 1. 2.). Altissima per orbem regnabit tranquillitas solo Jova imperante (Vs. 3. 4. 5.). Dispersae in exteris terris reliquiae Israeliticae in patriam tellurem exibunt, in potentem evasurae populum, qui subactis hostibus eorum opes ac divitias Jovae sacrabit (Vs. 6—14.).

---

1. 2. 3. Quum in postremo Capitis superioris Versu *Zioni, urbi Hierosolymitanae* atque *monti templi* excidium propter peccata populi ac procerum inprimis fuisset comminatus, jam in solatium piorum iisdem illis locis bene ominatur; diserte enim nominat *montem domus Domini* Vs. 1. 2., atque *Zionem* et *Hierosolymam* Vs. 2. Ceterum tres priores hujus Capitis Versus leguntur Jesaj. II, 2. 3. 4., ad quem locum de iis satis est disputatum, unde lectores illuc amandamus. A loco Jesajano noster discrepat solo in eo, quod post verba וְהוֹכִיחַ לְגוֹיִם עֲצֻמִים, quae apud Micham Vs. 3. leguntur, in eodem additur עַד־רָחוֹק, quod in Jesaja deest. Potest haec dictio ad *locum* vel ad *tempus* referri. De *tempore* dicitur 2 Sam. VII, 19., ubi Davides, accepto a Deo promisso de throno suo stabili permansuro in aeternum, in haec verba erumpit: *Parum tibi fuit me hucusque adduxisse, nisi etiam servi tui domui prospiceres*

 לְמֵרָחוֹק

לְמֵרָחוֹק *in tempus longinquum.* Et de *tempore* quidem noſtrum עַד־רָחוֹק cepit Chaldaeus, qui verba hebraea ſic explicavit: וְיוֹכַח לְמַלְכִין תַּקִּיפִין עַד עָלְמָא *arguet reges fortes usque in ſeculum*, i. e. perpetuo potentibus praeſidebit. Aptus tamen ſenſus erit quoque, ſi de *locis longinquis* accipias, in quae regnum ſuum Meſſias ſit protenſurus. Et promittit Jova Pſ. II, 8. ſe Meſſiae orbis ſines (אַפְסֵי־אָרֶץ) in poſſeſſionem daturum.

4. וְיָשְׁבוּ אִישׁ תַּחַת גַּפְנוֹ וְתַחַת תְּאֵנָתוֹ *Et habitabunt* ſcil. ſecure (quae vis eſt verbi etiam nude politi, et infra V, 3.) *quisque ſub vite ſua et ſub ficu ſua*, quibus ipſis verbis 1 Reg. V, 5. deſcribitur feliciſſima illa tranquillitas, qua populus fruebatur ſub florentiſſimo Salomonis regno. Loquutio adagialis aliquid habet. Senſus eſt: vites ficusque ſecure colent, nullis hoſtium invaſionibus inquietandi, id quod ſaepius inter aurei ſeculi bona memoratur, ut Jeſaj. XXXII, 18. וְיָשַׁב עַמִּי בִּנְוֵה שָׁלוֹם *habitabit populus meus in manſione pacata, ſedibusque tutis et ſtationibus quietis.* Zach. III, 10. *Illa die vocabitis alius alium ſubter vitem, ſubterque ficum.* וְאֵין מַחֲרִיד *Et non erit qui terreat*, ut Levit. XXVI, 6. Jova piis ſuis cultoribus promittit: *Veſtros fines quiete incoletis*, וְנָתַתִּי שָׁלוֹם בָּאָרֶץ וּשְׁכַבְתֶּם וְאֵין מַחֲרִיד *tantamque pacem in regionem veſtram immittam, ut nihil ſit quod vos cubantes exterreat.* Quum vero quae hic propheta promittit hominibus ſui temporis incredibile videri deberet, confirmat ea Jovae auctoritate: כִּי־פִי יְהוָה צְבָאוֹת דִּבֵּר *nam os Jovae, agminum* Dei, *loquutus eſt.* Ea formula ſolent prophetae ad confirmanda ſua effata ſaepius uti, vid. e. c. Jeſ. I, 20. XL, 5. LVIII, 14. Ceterum יְהוָה צְבָאוֹת ponitur pro יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת, quod plene exſtat Hoſ. XII, 6., cf. not. ad Jeſ. I, 9.

5. כִּי כָּל־הָעַמִּים יֵלְכוּ אִישׁ בְּשֵׁם אֱלֹהָיו וַאֲנַחְנוּ נֵלֵךְ בְּשֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ לְעוֹלָם וָעֶד *Nam omnes populi ambulant in nomine Dei ſui, nos vero ambulamus in nomine Jovae, Dei noſtri, in perpetuum et aeternum*, i. e. quum Jova vobis

vobis ſpem faciat tam praeclarae reſtitutionis, oportet vos bono animo ſtare, et hac promiſſione fretos pergere in vero ejus cultu, utcunque aliae gentes ſuis diis ſerviant, et in ſuis ſuperſtitionibus ſuperbiant. Quum *ambulare* Hebraeis generatim notet actionum ſtudiorumque perpetuam rationem et curſum; *ambulare in nomine Dei alicujus* erit: res ſuas ſub Dei alicujus praeſidio et auſpiciis agere, quem quis patronum ſuum colat, et in eo ſiduciam ponere. Similis phraſis Zach. X, 12. וגברתים ביהוה ובשמו יתהלכו *roborabo eos per Jovam incedentque in nomine ſuo.* Chaldaeus hunc Verſum ſic reddidit: ארי כל עממיא יהכון על די פלחו לטעותהא ואנחנא נתרחץ במימרא דיי אלהנא ולעלמי עלמיא *etenim omnes populi ambulant juxta id quod idola colunt; nos vero conſidimus in verbo Jovae, Dei noſtri, in ſeculum et in ſecula ſeculorum.*

6. ביום ההוא *Die,* tempore *illo,* aevo feliciſſimo, de quo Vs. 1. אספה הצלעה *Colligam claudicantem* unamquamque, i. e. Iſraelitas dolentes et male ſeſe habentes. Metaphora ab ovibus itinere ac aeſtu ſolis defatigatis deſumta, quam illuſtravimus ad Pſ. XXXV, 15., ubi Davides queritur, *inimicos ſuos de ſe laetatos eſſe in claudicatione ſua.* Chaldaeus מטלטליא *translatos,* et Syrus ܡܫܢܝ̈ܐ *remotos* vertit. והנדחה אקבצה *Et dispulſam* a grege vel caula *colligam.* Idem promittit Zephania III, 19. *Illo tempore conficiam omnes tuos oppreſſores,* והושעתי את־הצלעה והנדחה אקבץ *et ſalvabo claudicantem, et dispulſam colligam.* Eadem gregis disperſi ſed a Jova congregandi imagine in promiſſione de reducendis e terris exteris Iſraelitis utitur Ezechiel XXXIV, 15. 16. *Ego oves meas paſcam, ego idem ſtabulabo, inquit Dominus Deus; perditas quaeram,* ואת־הנדחת אשיב *et dispulſam reducam.* Quae conveniunt cum illo Deuter. XXX, 4. *Quodſi ad extremos coeli ſines fueritis diſſipati, inde vos colliget et arceſſet.* ואשר הרעתי *Et quam malo adfeceram,* quos vexaveram et variis malis adflixeram, colligam (quod repetendum ἀπὸ

τοῦ

τοῦ κοινοῦ) et in patriam reducam. Chaldaeus: וְדַאַבְאֵשִׁית לְהוֹן מִן קֳדָם חוֹבֵי עַמִּי *et illos quos malis adfeceram propter peccata populi mei.*

7. וְשַׂמְתִּי אֶת־הַצֹּלֵעָה לִשְׁאֵרִית *Ponam*, reddam, *claudicantem in reliquias*, i. e. curabo, ne tot tantisque malis prorſus conſumatur populus, ſed ut reliquiae aliquae ſuperſint, e quibus nova eaque melior progenies prodeat. וְהַנַּהֲלָאָה לְגוֹי עָצוּם *Et procul dispulſam* reddam *in validum* numero et potentia *populum.* Quod ipſum aevo aureo futurum promittit Jeſajas LX, 22. *Minimus in mille,* וְהַצָּעִיר לְגוֹי עָצוּם *et parvus in populoſam gentem evadet.* הַנַּהֲלָאָה forma Participii, ab הָלְאָה *ultra*, procul a natali ſolo translatam ſignificat, convenit igitur cum הַנִּדָּחָה Verſu 6. Hieronymus: *et eam quae laboraverat,* tanquam eſſet a לָאָה *laboravit.* וּמָלַךְ יְהוָה עֲלֵיהֶם בְּהַר צִיּוֹן *Et regnabit Jova ſuper eos in monte Zion*, hoſtibus populi Hebraei deletis, duce Jova (vid. ſupra II, 13.), is ſolus regnabit, regnique ſedes erit priſca illa arx domus Davidicae in monte Zion. Adhuc quidem, ubi imperium tenuerunt poſteri Davidis, Jovae nomine ac mandato uncti, potuit cenſeri hoc ejus regnum, ſed ab hominibus adminiſtratum; nunc autem Jova ipſe conſpicua forma conſcendet ſolium, ita ut nemo dubitet, ipſum eſſe regem populi ſui. Ita Jeſajas XXIV, 23. *Glorioſe regnabit Jova, agminum Deus, in monte Zione et Hieroſolymis.* XXXIII, 23. *Jova judex noſter, Jova imperator noſter, Jova rex noſter nos conſervabit.* Obad. Vs. 21. *Exſiſtent ſervatores in Zione monte, qui montana Eſaviana judicent, eritque Jovae regnum.* Zach. XIV, 9. *Illa die erit Jova rex in univerſam terram.* Et Daniel VII, 14. mente proſpicit *ſenem dierum*, i. e. Meſſiam, cui tanta poteſtas, dignitas, et regnum datum, ut omnes omnium linguarum populi ac nationes eum colerent, aeterna ac immutabili poteſtate, imperditoque regno praeditum. מֵעַתָּה *A nunc,* quod non de tempore, quo haec praediceret propheta, intelligendum, ſed de illo, cujus mentionem Vs. 6. fecerat. Cf. not. ad Jeſaj. IX, 6.

8. וְאַתָּה

8. וְאַתָּה מִגְדַּל־עֵדֶר *Quod autem te attinet turrim gregis.* Interpretes ſunt haud pauci, quibus et nos antehac adſtipulati ſumus, quibus *Migdal Eder* h. l. eſt nomen proprium viculi in vicinia Ephratae ſive Bethlehemi, uti apparet ex Geneſ. XXXV, 21. Appellative *turrim gregis* ſonat, forſan quod eſſet ad colligendos illic vel tutandos greges. Hieronymus *de locis Hebraicis:* „*Bethlehem,* civitas David, et mille circiter paſſibus procul *turris Ader,* quae interpretatur *turris gregis.*“ Per eum locum vero a Noſtro figurate Bethlehemum ſignificari putant, et per Bethlehemum ſtirpem regiam Davidicam, quae inde ortum habuit, ut idem h. l. dicatur, quod aliis verbis legimus infra V, 1. Sed quum, vere monente Steudelio in *dem Archiv* T. II. p. 429., ad ſignificandam domum regiam minus apte adhibeatur nomen turris urbi patriae progenitoris illius familiae vicinae, nec locus ille recte dici potuerit priſtinum imperium recuperaturum; accedo Aben-Esrae, notanti Zionem ſeu Hieroſolymam h. l. per metaphoram dici *turrim gregis,* quod ad illam, edito in loco ſitam *grex,* i. e. populus Hebraicus, grege ovium haud raro comparatus, tanquam ad caput regni, et ſedem ſacrorum, confluere ſolebat. Quidam מִגְדַּל־עֵדֶר putant fuiſſe eam turrim, quae Hieroſolymae portae gregis impoſita erat, per quam greges intromittebantur in forum pecuarium, de qua Nehem. III, 1., quod minus veriſimile. Additur per aſyndeton: עֹפֶל בַּת־צִיּוֹן *clivus filiae Zion,* ſignificatur mons, cui arx regia Davidica ſuperſtructa erat. Alioquin הָעֹפֶל eſt locus Hieroſolymis, et quidem pars montis Zion orientalis, juxta quam mons Moria; memoratur Nehem. III, 26. 27. 2 Paral. XXVII, 3. XXXIII, 14. De eo tamen hic non videtur cogitandum. Quod autem pro monte arcis regiae *clivi* nomen poſuit, indicare voluit regnum Davidicum prorſus debilitatum et deminutum, quod tamen ita emerſurum promittit, ut priſtinum ſuum ſplendorem iterum nanciſcatur: עָדֶיךָ תֵּאתֶה *ad te veniet* ſcil. מַמְלָכָה *regnum,* quod ex hemiſtichio altero huc aſſumendum.

mendum. Sunt, qui in diſtinctione per Atnachum in propoſitione nondum integra poſitum, emphaſin quandam reperire ſibi videantur, quaſi lectoris animus aliquamdiu ſuſpenſus teneatur, ut ad id quod ſequitur attentior fiat. עָדֶיךָ pro אֵלֶיךָ, ut Job. IV, 5. XXXII, 11. 12. וּבָאָה הַמֶּמְשָׁלָה הָרִאשֹׁנָה *Et veniet dominatus priſtinus*, i. e. adipiſceris florentiſſimam illam dignitatem, qualis celebratur ſub Davide et Salomone. מַמְלֶכֶת לְבַת־יְרוּשָׁלָםִ *Regnum*, inquam, erit *filiae Hieroſolymae*, regni totius capiti, uti ſub priſcis illis regibus. Hieroſolyma recuperabit veterem illam dignitatem, quam perdiderat, et totus populus Iſraele ortus iterum in unum corpus coaleſcet, ne ſint duo membra diviſa. Chaldaeus hunc Verſum ſic reddidit: וְאַתְּ מְשִׁיחָא דְיִשְׂרָאֵל דִּטְמִיר מִן קֳדָם חוֹבֵי כְּנִישְׁתָּא דְצִיּוֹן לָךְ עֲתִידָא מַלְכוּתָא לְמֵיתֵי וְיֵיתֵי שָׁלְטוֹנָא לְמַלְכוּת כְּנִישְׁתָּא דִירוּשְׁלֵם *Tu autem, uncte Iſraelis, qui abſconditus es propter peccata coetus Zion, tibi venturum eſt regnum, ſed et dominatio priſca veniet regno coetus Jeruſalem.*

9. Alloquitur velut praeſens populum ab hoſtibus devictum, rege privatum, et in terras exteras deportatum. וְעַתָּה לָמָּה תָרִיעִי רֵעַ *Nunc quare vociferaris vociferando* ſ. *vociferatione?* quid ita miſere exclamas? הֵרִיעַ, quod generatim notat *vociferari*, *clamare*, pluribus quidem locis *jubilum edere* ſignificat, veluti Jud. XV, 14. Eſr. III, 11.; nonnumquam tamen uſurpatur de *clamore luctus gravitate* et *doloris impatientia expreſſo*, ut Jeſaj. XV, 4., ubi parallelo זָעַק reſpondet. Chaldaeus הָרִיעַ male *aſſociandi* ſignificatu ſumſit, quaſi eſſet רֵעָה (Piel verbi רָעָה), unde רֵעַ *ſocius*, *amicus*. Sic enim noſtra verba reddidit: וּכְעַן לְמָה אַתְּ מִתְחַבְּרָא לְעַמְמַיָּא *nunc autem quare populis adjungeris?* הֲמֶלֶךְ אֵין בָּךְ *Num rex non eſt in te?* an quia rex tibi non eſt? nempe e tua gente. אִם־יוֹעֲצֵךְ אָבַד *An conſiliarius tuus periit?* an quia ſenatores tui perierunt? eſt enim enallage numeri. LXX haud male: ἡ βουλή σου. כִּי־הֶחֱזִיקֵךְ חִיל כַּיּוֹלֵדָה *Quod apprehenderit te dolor ſicut partu-*

parturientem, i. e. gravissimus et acerbissimus. Cf. Jesaj. XIII, 8. Hos. XIII, 13. et ad ea loca not. nec non Jerem. VI, 24. Ceterum hac nostri Capitis particula, quae Versibus 9—14. continetur, Manassis, regis Judae, deportationem in Babyloniam defleri, existimat L. J. C. Justi (*Vermischte Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theolog. Gelehrsamkeit*, P. I. p. 300. seqq.). Hartmannus vero (in Prolegg. ad suum in nostrum prophetam Commentar. p. 16.), threnum de urbe Hierosolymitana a Nebucadnezare destructa hisce Versibus agnoscit ab eo, qui nostrum librum in eam, qua nunc legimus, formam redegit, hoc loco insertum. Nobis tamen illud studium, generalia vatum praesagia ad certos eventus referendi, minime probandum videri, saepius diximus.

10. Ingemisce, inquit, non veto te dolere, causa justa est; sed solatium adfero. חוּלִי וָגֹחִי בַּת־צִיּוֹן כַּיּוֹלֵדָה *Parturi et enitere, filia Zion, ut parturiens*, et talis instar dole et ingemisce. Verba חוּלִי et גֹּחִי per metonymiam caussae pro effectu suspiria et gemitus feminae parturientis indicant. De גּוּחַ vid. not. ad Ps. XXII, 10. כִּי עַתָּה תֵצְאִי מִקִּרְיָה *Quia nunc*, mox, *exibis e civitate*, quam incolis, Hierosolyma, וְשָׁכַנְתְּ בַּשָּׂדֶה *et habitabis in agro*. Solebant veteres, quos captos ex urbe expugnata eduxerant, aliquamdiu in agro detinere sub pellibus, dum reliqua turba captorum advenisset; tum simul omnes abducebantur. וּבָאתְ עַד־בָּבֶל *Et venies* captiva abducta *usque Babyloniam*, quam regionem tanquam ultimam et extremam, quae ipsi cognita esset, Noster commemorat, quemadmodum sub idem tempus Hiskias, rex, Jesajae interroganti undenam legati venerint, quos rex Babyloniae, Merodach Baladan, ad ipsum miserat, respondet (Jesaj. XXXIX, 3.): מֵאֶרֶץ רְחוֹקָה בָּאוּ אֵלַי מִבָּבֶל *e terra procul distante, e Babylonia*. Quamquam, vates inquit, in ultimas terras abduceris, שָׁם תִּנָּצֵלִי tamen *illic eripieris*, שָׁם יִגְאָלֵךְ יְהוָה מִכַּף אֹיְבָיִךְ, *illic te redimet*, s. *vindicabit*,

bit, tanquam suum peculium, *Jova e manu*, potestate *hostium tuorum.*

11. וְעַתָּה נֶאֶסְפוּ עָלַיִךְ גּוֹיִם רַבִּים *Et jam congregabunt se* quidem *contra te gentes multae*, animo penitus te exscindendi. Idem praedicit Zacharias XII, 3. *Illo die efficiam, ut Hierosolyma sit lapis ponderosus omnibus populis, ut quicunque moliti eum fuerint, lacerentur*; וְנֶאֶסְפוּ עָלֶיהָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ *et coibunt adversus eam omnes orbis gentes.* Idem magis exaggerat Ezechiel Capitibus XXXVIII. XXXIX. Cf. quae de hac veterum Hebraeorum opinione monuimus in Commentario in Ezechielem P. II. p. 464. edit. sec. הָאוֹמְרִים תֶּחֱנָף *Qui dicent: polluatur*, ut quae sancta quondam urbs dicta fuit, foeda in posterum et profana sit. וְתַחַז בְּצִיּוֹן עֵינֵינוּ *Et videat* cum voluptate *in Zionem oculus noster uterque*, pollutam laeti inspiciamus. Quasi de femina loquuntur. Sensus est: illudamus gentis Judaicae miseriis. Praesagit mente populorum finitimorum de eversa Hierosolymitana urbe ἐπιχαιρεκακίαν, de qua plures prophetae, qui istis temporibus vixerunt, queruntur, ut Jeremias Thren. I, 20. Obad. Vs. 12. 13. Ezech. XXXV. Verba *videndi* cum ב constructa significare: *aliquid cum voluptate et oblectatione intueri*, observavimus ad Ps. XXII, 18., Commentarii in Psalmos p. 615. edit. sec. Chaldaeus pro בְּצִיּוֹן posuit בְּמַפֹּלֶת צִיּוֹן *in ruinam Zionis.* Observa ternam tribus hisce Versibus (9. 10. 11.) praemisso עַתָּה mali denunciationem, ac ternam pariter adjunctam consolationem; atque tertia quidem illa sequitur Versu 12.

12. וְהֵמָּה לֹא יָדְעוּ מַחְשְׁבוֹת יְהוָה *Verum illi*, qui animo hostili te vastatum venient, *ignorant cogitationes Jovae* arcanas, et ab illorum cogitationibus nimium diversas tendentes ad bonum vestrum, et ad infligendum contra hostibus tuis excidii supplicium. Similiter Jeremias XXIX, 11. *Scio enim, quas de vobis habeam cogitationes, inquit*

inquit Jova; מַחְשְׁבוֹת שָׁלוֹם וְלֹא לְרָעָה *cogitationes salutis et non ad malum* vobis inferendum, *ut exitum spemque dem vobis.* וְלֹא הֵבִינוּ עֲצָתוֹ *Nec intelligunt consilium ejus,* quod eo tendit, ut populus suus per hostes castigatus ad gratiam redeat, illi vero ob truculentiam suam male pereant. כִּי קִבְּצָם כֶּעָמִיר גֹּרְנָה *Nam colliget eos* Jova *sicut manipulum ad aream,* sicut manipuli resectae messis ad aream convehuntur, ut ibi triturentur, sic et populi Hebraici hostes justo tempore frangentur atque conterentur. Cf. Jerem. LI, 33. *Puella Babylon quasi quaedam area est, cujus triturandae tempus est, cui brevi veniet tempus messis.* Similiter Jesaj. XXI, 10. Babylonem Jova ita compellat: מְדֻשָׁתִי וּבֶן־גָּרְנִי *o tritura mea, et fili areae meae,* i. e. sicut frumentum in area triturande.

13. קוּמִי וָדוֹשִׁי בַת־צִיּוֹן *Surge!* agedum *et tritura filia Zion!* Tralatio a bobus frumentum in area triturantibus, de quo more vid. not. ad Deut. XXVI, 4. et quos ibi laudavimus. כִּי קַרְנֵךְ אָשִׂים בַּרְזֶל *Nam cornu tuum faciam ferrum,* ferreum, quo feries hostes. „Vult Cl. Junius," inquit Ludov. de Dieu in *Crit. S.* ad h. l., „cornu hic sumi sicut 1 Sam. II, 1., ubi Anna cornu suum exaltatum esse gloriatur. At isthic loci procul dubio metaphora desumta est a cornibus boum aliorumque animalium, quae in capite eminent, quibusque se tuentur. At hic metaphora triturationis evincit, agi de cornu, quod boves in pedibus habent, quo calcant et triturant. Sic cum tu, filia Zionis, ad triturandas gentes te accinges, sedulo nava operam, reddam enim cornu pedum tuorum instar ferri, ut et fortiter, et diu calcare possis." Nos tamen haud dubitamus, Junii sententiam nostram facere. Nam quum Judaicus populus bovi trituranti comparetur, apte illi non solum ungulae, verum et cornua tribuuntur. Quo pertinet, quod 1 Reg. XXII, 11. pseudovates Zedekias narratur sibi *cornua ferrea* fecisse, quibus Josaphato, regi Israelis, promitteret, se arietaturum esse in Syros ad eorum

inter-

internecionem. Chaldaeus: קוּמִי וְקַטְלִי כְּנִשְׁתָּא דְצִיּוֹן אֲרֵי עַמָּא דִי בִיךְ אֲשַׁוֵּי תַּקִּיפִין כְּבַרְזְלָא *furge et occide, o congregatio Zion, populum enim qui in te eft, reddam fortem ficut ferrum.* וּפַרְסֹתַיִךְ אָשִׂים נְחוּשָׁה *Et ungulas tuas reddam aes,* aeneas. נְחוּשָׁה h. l. eft fubftantivum, ut Jefaj. XLV, 2. *Diffringam* דַּלְתוֹת נְחוּשָׁה *portas aeris,* aeneas. Vid. et Job. XL, 18. וַהֲדִקּוֹת עַמִּים רַבִּים *Et comminues,* velut paleam, extrito frumento, *populos multos.* Similiter Jefaj. XLI, 15. Jova dicit: *Ego ex te traham efficiam, tribulam novam, dentatam, qui montes tritures atque teras, et montes pro paleis habeas.* וְהַחֲרַמְתִּי לַיהוָה בִּצְעָם וְחֵילָם לַאֲדוֹן כָּל-הָאָרֶץ *Et devovebo* mihi *Jovae quaeftum illorum, atque opes eorum* mihi *domino univerfae terrae.* הֶחֱרִים eft *Deo confecrare et totum addicere,* fynonymum quodammodo cum הִקְדִּישׁ, fed multo fortius; ager enim, quem quis voto facraverat, redimi poterat anno Jobilaeo, *devotum* vero (חֵרֶם) redimere non dabatur, vid. Levit. XXVII, 14. feqq. et 28. Ante לַיהוָה fubaudiendum eft לִי, praecedunt enim verba Jovae loquentis in prima perfonae: vel nomen ponitur pro pronomine primae perfonae, ut Deus de fe in tertia perfona loquatur, cujusmodi fubitae perfonarum permutationes apud poetas Hebraeos frequentes occurrunt. LXX: Καὶ ἀναθήσεις τῷ Κυρίῳ τὸ πλῆθος αὐτῶν. Pronunciarunt וְהַחֲרַמְתִּי, *devovebis* fcil. בַּת-צִיּוֹן, Jod in fine fecundae perfonae femininae more Syrorum addito. Eandem fecundam perfonam expreſſerunt Hieronymus et Syrus. Cum eo, quod hic Michas pollicetur, convenit illud Jefajae XXIII, 18. *Erit merx ejus* (Tyri) *et quaeftus negotiationis ejus meretricius facer, Jovae devotum, neque repofitus condetur; fed iis, qui degunt apud Jovam, erit merx ejus, quo habeant, unde et ad fatietatem epulentur, et egregie veftiantur.* Haufta talia inde, quod nonnumquam ex urbibus per חֵרֶם devotis aurum, argentum, aes et ferrum in thefaurum Jovae inferebatur, vid. Jof. VI, 24. In aliis bellis aliquando etiam praecipua praedae pars a du-

a ducibus Deo offerebatur, exempla vid. Num. XXXI, 50. 2 Sam. VIII, 11. 12.

14. Sequitur *quarta*, praemiſſo עַתָּה, mali denunciatio (vid. not. ad Vs. 11. ſub fin.), cui V, 1. ſeqq. itidem conſolatio ſubjungitur. עַתָּה תִּתְגֹּדְדִי *Jam turmatim coi* (cf. Jerem. V, 7. *ad lupanar* יִתְגּוֹדָדוּ *turmatim congregantur*), collectis copiis irrue, hoſtem alloquitur, quem compellat בַּת־גְּדוּד *filia turmae*, i. e. turmatim graſſari ſolita. גְּדוּד dicitur de expeditione turmae militum ad praedandum 2 Sam. III, 22. *Venerunt Davidis ſervi cum Joabo*, מֵהַגְּדוּד *ab incurſione, et multum praedae ſecum duxerunt*. Hieronymus vertit *filiae latronis*, cui interpretationi Aquilam, Symmachum, Theodotionem et editionem quintam conſentire dicit. מָצוֹר שָׂם עָלֵינוּ *Obſidionem ponit* hoſtis *contra nos*, transit a ſecunda perſona ad tertiam. מָצוֹר notat proprie *coarctationem*, hinc *apparatum ad urbem obſidendam*, turres, machinas, vallum, ut Deuter. XX, 20. וּבָנִיתָ מָצוֹר עַל־הָעִיר *et aedificabis obſidionem contra urbem, quam debellatis*. Vid. et Ezechiel IV, 7. Quod autem prima Pluralis perſona utitur (עָלֵינוּ), cauſſa eſt, quod cives Hieroſolymitanos, quibus ſe ipſum adſociat, loquentes inducit. בַּשֵּׁבֶט יַכּוּ עַל־הַלְּחִי אֵת שֹׁפֵט יִשְׂרָאֵל *Virga percutient ſuper maxillam judicem Iſraelis*, i. e. indigniſſimis modis tractabunt ipſum regem Iſraelis, vel, nomine שֹׁפֵט cum Chaldaeo collective ſumto, *judices*, magiſtratus, proceres *Iſraelis*; cf. Hoſ. XIII, 10. et not. ad eum loc. *Percutere aliquem in maxillam* eſt ignominioſe et cum quodam ſingulari contemtu aliquem laedere, veluti vile mancipium, aut alioqui imbellem hominem indignumque in quem gladium ſtringas, ut etiam vulgo talis laeſio accipi ſolet. Sic pſeudopropheta Zedekias contumelioſe percutit verum prophetam, Micham, Jemlae filium, 1 Reg. XXII, 24. Et Jobus XVI, 10. queritur, adverſarios ſuos cum opprobrio percutere maxillam ſuam. Vid. et Pſ. III, 8. Marc. XIV, 65. Joh. XIX, 3. Mittimus eorum conjecturas,

qui

qui quae Nofter hic praefagit ad res in facto pofitas referentes accommodare illa ftudent vel *Hiskiae* regi, contra quem jacta colaphorum inftar Sennacheribi probra leguntur 2 Reg. XVIII, 19. et Jefaj. XXXVI, 37., vel *Zedekiae*, qui urbe a Nebucadnezare expugnata a Chaldaeis in fuga captus, mifer non principum modo, fed filiorum quoque fuorum caedem vidit, ipfe excaecatus poftea et in Babyloniam abductus, vid. 2 Reg. XXV, 5. feqq., vel *toti populo Judaico* a Pompejo M. fubjugato, quae eft J. H. VERSCHUIR opinio expofita in fua *de celebri oraculo Michae* IV, 14. *Disfertatione*, inferta ipfius *Disfertatt. philologico-exegeticis* (Leovard. 1775.) p. 105 — 116., vel denique deftructae a Tito reipublicae Judaicae, quod J. D. MICHAELIS exiftimavit. Sed cf. quae notavimus ad Ezech. XXXVI, 38., et quae L. J. C. JUSTI in libro fupra ad Vs. 9. laudato p. 279. animadvertit. Chaldaeus hunc Verfum ita exponit: כְּעַן תִּסְתַּיעִין בְּמַשְׁרְיָן קַרְתָּא דְצָיְרִין עֲלַהּ בְּצִיר דַהֲווֹ מָחָן בְּחוּטְרָא עַל לִסְּתָא יָת דַיָּנֵי יִשְׂרָאֵל *nunc per turmas confociaberis, civitas, quam obfidione obfidebant illi, qui percutiebant virga fuper maxillam judices Ifraelis.*

CAP.

Cap. IV.

1. *At tandem extremi ſecli volventibus annis,*
Mons, in quo domus eſt ſummi fundata Jehovae,
Firmus erit, longe ante alios excelſior omnes
Deſpectans parvos ſublimi vertice colles.
2. *Huc confluxus erit populi denſiſſimus omnis,*
Huc greſſus tendent gentes ex orbe remoto,
Hortatuque addent animos ſibi mutuo tali:
Eja agite, accelerate gradum! conſcendite montem,
In quo Jova habitat, cui gens eſt ſacra Jacobi.
Eja domum petite, eja, Dei, nos ipſe docebit,
Qua ratione coli velit et fieri ſibi ſacra:
Tritaque erit pedibus ſanctiſſima ſemita noſtris.
Namque Sion fons eſt legis, doctrina Sione
Salvifica exibit, Solymis verbumque Jehovae.
3. *Multos hic populos Judex juſtiſſimus inter*
Auguſta fulgens a majeſtate ſedebit,
Corripiens gentes extremi in finibus orbis,
Ut ſtudiis belli abjectis aſſueſcere pacis
Artibus inde velint, gladium et mutare ligone,
Haſtasque in falces convertere meſſibus aptas.
Nec gens in gentem gladiis armabitur ultra,
Nec diſcet crudas verſare in praelia dextras.
4. *Quisque ſua potius reſidens ſub vite fruetur*
Umbrâ, et ſub ficu, dulciſſimaque otia carpet.
Non turba vago creperi discrimine belli:
Certa fides, quia Jova ſuo ipſe haec ore profatur,
Jova ipſe, armigera qui torquet praelia dextra.

5. Natio

5. *Natio quaeque ſuos colit obſervatque deaſtros,*
Vana ſuperſtitio queis numen finxit ineſſe.
Nos autem Jovam aeternis venerabimur annis,
Aeternis aut ſi quicquam eſt productius annis.
6. *Tunc (dictum hoc Jovae eſt nullo unquam tempore vanum)*
Tunc, inquit, claudam accipiens mecum ipſe fovebo,
Expulſamque mihi renovato foedere jungam,
7. *Solaborque malis afflictam; reliquiasque*
Servabo claudae; in validam disjectaque gentem
Evadet, regnumque Jehova in monte Sione
Ipſos aeternum ſuper exercebit in aevum.
8. *Tuque adeo, o turris gregis, inter nubila condis*
Quae caput, et gnatae clive o excelſe Sionis,
Ad te perveniet certo dominatio princeps
In Solymos, nulloque aevo minuenda poteſtas.
9. *Nunc autem quare abſumis moerore te ipſam?*
Quid ſic vociferans, quid comples planctibus auras?
Num quia rege cares? quia conſiliarius abs te
Exulat, inde gemis, quaſi cui jam pondera ventris
Maturi effundentur in almas luminis oras?
10. *Jam geme parturiens, o ſancti gnata Sionis!*
Jam ſatage atque dole! quia mox procul urbe repulſae
Agreſtis tibi vita feros ducenda apud hoſtes:
Jam Babylon adeunda tibi eſt victore adigente.
Verum ibi libera eris transacto tempore juſto,
Atque ibi vindice te ſervabit numine Jova,
Hoſtili ereptam imperio et crudelibus auſis.
11. *Quamvis hoſtiles glomerentur jam undique turmae,*
Arma in teque ferant tali cum murmure vocum:
Sit maledicta! ipſam vaſtet promiſcua caedes!
Lumina direptae paſcamus clade Sionis.

12. *Atta-*

12. *Attamen haud norunt mentemque animumque Jehovae,*
Confiliumque Dei. Nimirum ut copia frugum
Tanto major erit, quanto uberiore maniplo
Area condenfata aeftivae meffis in hora eft;
Sic victoria erit numerofo major ab hofte.
13. *Surge Sion! fruges tere! cornua ferrea furgent,*
Armabitque pedes, folito chalybe ungula facta,
Multos ut populos frangas minuasque protervos;
Quaeftusque illorum fient anathema Jehovae
Devotum; dominus, terras dans jura per omnes,
In fua opes hoftis cogens aeraria trudet.
14. *At nunc turma coi bellatrix! jungere vires*
Feftina! obfidio noftrae gravis imminet urbi,
Maxillam et baculo contundent Ifraelis
Judici, ut atrox ifta injuria fauciet ipfum.

Cap. V.

ARGUMENTUM.

Promittit e Bethlehemo oriundum ſervatorem divinum, qui populum afflictum et laborantem ab hoſtium vexationibus ac oppreſſione ſit vindicaturus (Vs. 1—5.), illumque talem redditurus, qui alias quidem gentes beet, alias vero ſibi adverſarias perdat (Vs. 6. 7. 8.), quibus exoptatiſſimis temporibus praeſidia omnia inania et nefanda, quibus olim confiſus erat populus, auferantur (Vs. 9—14.).

---

1. וְאַתָּה *Tu vero*, oppoſita ſunt quae jam ſequuntur iis quae ſub finem Capitis ſuperioris denunciata ſunt malis, quaſi dicat: quamvis urbs Hieroſolymitana expugnetur, ipſeque rex indigniſſime tractetur; tamen non deſperandum eſt fidis Jovae cultoribus; liberatorem enim ac dominatorem populo Hebraico Bethlehema ſuo tempore dabit, quem herois divini locum natalem poetice compellat: בֵּית־לֶחֶם *Bethlehem*, in tribu Judae, patria urbs Iſaei exortaeque ab illo familiae Davidicae, 1 Sam. XVII, 12. Illa urbs dicebatur quoque אֶפְרָתָה, ut diſerte dicitur Geneſ. XXXV, 19. XLVIII, 7. 1 Par. IV, 4., unde 1 Sam. XVII, 12. David dicitur filius viri אֶפְרָתִי *Ephratenſis*, מִבֵּית לֶחֶם יְהוּדָה. Addit vero Noſter illud ſynonymum evitandae ambiguitatis cauſa, erat enim et alia Bethlehem in ſorte tribu Sebulon, inter cujus urbes memoratur Joſ. XIX, 15. צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה *parva* quidem nimis es *ut ſis inter chiliadas Judae*, i. e. videris quidem parva adeo urbs, ut praefectum

mil e

mille hominum creare non possis. Populus Hebraicus in suas distributus erat *chiliadas* (sic Jud. VI, 15. Gideon ait: אַלְפִּי הַדַּל בִּמְנַשֶּׁה *mea chilias tenuissima est inter Menassitas*), quarum singulis singuli praeerant duces, שָׂרֵי אֲלָפִים *principes chiliadum* dicti. Exod. XVIII, 21., et רָאשֵׁי אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל *capita chiliadum Israelis* Num. I, 16., unde Matthaeus, qui II, 6. nostrum locum laudat, dicit: ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, intelligendo nimirum principes cum suis chiliadibus. Masculinum צָעִיר, uti et suffixum masculinum in מִמְּךָ, respicit terminationem nominis בֵּית־לֶחֶם, quum alioquin, ut nomen proprium civitatis, significatione sua sit femininum; cf. not. Ezech. XXII, 4. Hos. X, 4. Matthaeus, evangelista, loco laudato verba nostra sensu prorsus contrario refert: Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα. Quam Matthaei et textus Hebraei repugnantiam quidam ita tollendam existimarunt, ut prophetae verba per interrogationem efferantur, quae negationi tantundem valeat: *Tune Bethlehem minime sis in censu familiarum tribus Judae? imo vero ex te originem sumturus est Messias.* Sed Ed. Pocockius in *Notis Miscellaneis* Maimonidis Portae Mosis a se editae additis p. 17. cum R. Tanchum Hierosolymitano (cujus Commentarius in V. T. arabico sermone conscriptus, sed nondum editus, Oxonii asservatur) in voce צָעִיר duos contrarios significatus *parvi* et *magni* agnoscit. Quare postquam doctus ille Hebraeus observasset, a nonnullis exponi prophetae verba, ac si prolata fuissent quasi per contemtum istius urbis ac familiae, quae minor videretur, quam ut imperio in Israelem obtinendo idonea censeretur, sibi tamen rectius videri ait, ut צָעִיר hoc loco exponatur רייסא חאכמא, *primaria, princeps*, ac *judex*, sive *magistratus*, quo significatu eandem vocem aliis etiam locis gaudere vult, veluti Jerem. XLVIII, 4., ubi verba הִשְׁמִיעוּ זְעָקָה צְעִירֶיהָ reddenda putat, non, ut vulgo solent, *audire fecerunt clamorem parvuli ipsius*, sed: *principes et magnates ejus.* Nec non Zachar. XIII, 7. וַהֲשִׁבֹתִי יָדִי עַל־הַצֹּעֲרִים vertit:

convertam manum super illuſtres, principes. „Si libeat," inquit Pocockius," magiſtri hujus ſententiam amplecti, nulla hic inter prophetam et evangeliſtam ſupereſt discrepantia. Certe quae *princeps*, *illuſtris*, et *praefecta* fuerit, οὐδαμῶς ἐλαχίστη, merito appellabitur; nec temere forſan adhibita iſta loquendi forma potius, quam alia quaepiam, quae ſimpliciter *magnum* vel *illuſtrem* denotet, quum ita duplex, quem diximus, nominis צָעִיר intellectus ſubinnuatur, utroque expreſſo, altero licet praelato, idque non prout accidit, ſed certo ac deliberato conſilio factum videatur." Quam ſententiam ut magis commendaret Pocockius plures tam Hebraicas quam Arabicas voces inde a p. 19. attulit, quae contrariis atque inter ſe pugnantibus ſignificationibus gaudent. Sed noſtrum צָעִיר duas contrarias ſignificationes *parvi* et *magni* in ſe junctas habere, mera eſt R. Tanchum conjectura, quae locis a ſe adductis (Jerem. XLVIII, 4. Zach. XIII, 7.) minime firmatur, quum illis uſitata ſignificatio ſatis idonea ſit. Vir quidam doctus, cujus Diſſertatiunculam, qua probare conatur, varios locos, quos Apoſtoli e Prophetis citant, ex Apoſtolorum ſcriptis poſtea in verſionem Graecam illatos eſſe, non (ut vulgo creditur) ab Apoſtolis e verſione Graeca deſumtos, quam Lud. Cappellus Appendici *Criticae Sacrae* inſeruit (T. III. p. 102. edit. Halenſ.), inde, quod apud Matthaeum locus noſter ita ſonat: οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, conjicit, verba Hebraea, quae hodie ita leguntur: צָעִיר לִהְיוֹת, olim ita ſcripta fuiſſe: צָעִיר לֹא הָיִת, id eſt, ἐλαχίστη οὐκ εἶ, quae verba poſtea vitio ſcribae distorta fuerint, tranſpoſita ſcilicet litera ו in medium verbum היות, לו autem hic eſſe *non*, ut non ſolum Syris, ſed Hebraeis quoque, veluti 1 Sam. II, 16. et XX, 2. Verum monet Cappellus (p. 163.) veriſſime, nihil neceſſe eſſe, fingere variam lectionem (eſſeque illam, quam Vir Doctus affert, non parum coactam), quum idem revera ſit apud Micham et Matthaeum ſenſus et mens, licet quoad verba videantur pugnare duo illa loca. „Nam quum Michas dicit, Bethlehem

lehem esse nimis parvam, ut censeatur ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, respicit ad urbis illius statum humilem atque contemtum, qualis fuit tempore prophetae [κώμη, *vicus*, vocatur et ab Joanne, evangelista, VII, 42.], eamque de abjecto illo statu consolatur et evehit promissione gloriosa orituri ex ea Messiae. Matthaeus vero quum negat, Bethlehem esse minimam in illis ἡγεμόσι, respicit ad Christi nativitatem, qua condecoranda erat et illustranda urbs illa, quae quantum ad civiles et politicas praerogativas attinet, erat tum temporis humilis et abjecta. Quare unum idemque dicunt tum Michas, tum Matthaeus, licet pugnantibus in speciem verbis.“ In qua quidem Matthaeum Michae conciliandi ratione nos acquiescendum arbitramur. Dicit igitur vates noster; etsi tu, Bethlehem, parvum sis oppidum, et vix dignum, quod chiliadibus Judae adnumeretur, nihilominus tamen, non obstante tua tenuitate, מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל *ex te mihi egredietur* aliquis *ut* s. *qui sit dominator in Israele.* לִי *Mihi*, i. e. meo bono, inquit propheta, nomine totius populi sui, ut supra IV, 14. עָלֵינוּ, *contra nos*, vid. ibid. not. יֵצֵא *Egredietur*, i. e. nascetur, ut Genes. XVII, 6. וּמְלָכִים מִמְּךָ יֵצֵאוּ *reges ex te nascentur*. Vid. et XXV, 25. et Jesaj. XI, 1. Post יֵצֵא Chaldaeus interpres recte מְשִׁיחָא, *Messias*, posuit. Et Abendana in Additamentis ad *Michlal Jophi* nostrum locum sic exponit: „Etsi tu, Bethlehem, minor sis, quam ut numeranda sis inter chiliadas Judae, tamen ex te mihi egredietur judex (שׁוֹפֵט), qui dominium exerceat in Israele; is vero est rex Messias, e Davidis Bethlehemitae posteris oriundus.“ לִהְיוֹת *Ut sit*, finem notat, ut ἵνα apud Graecos. Idem, quod hic Michas, de Messia praedicit Zacharias (qui eum צֶמַח, *germen*, vocat) VI, 13. וְיָשַׁב וּמָשַׁל עַל־כִּסְאוֹ *sedebit et dominabitur super solio suo.* וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם *Et egressus*, origines *ejus ab olim*, i. e. originem trahet a domo illustri antiquitus. Chaldaeus: דִּי שְׁמֵיהּ אֲמִיר מִלְּקַדְמִין *cujus nomen dictum est ab aeternitate.* מִימֵי עוֹלָם Imo *a diebus aeternitatis*, i. e. priusquam natus fuerit, jam ab aeterno extitit.

exftitit. Indicatur Meffiae divina origo atque natura, qui et ab Jefaja IX, 6. אֲבִי־עַד *pater aeternitatis,* i. e. *aeternus* vocatur; vid. not. ad eum loc. p. 368. edit. fec. Alii fimpliciter hoc dici putant: originem trahit a domo regia Davidica, illuftri antiquitus.

2. לָכֵן *Propterea* igitur, quia hoc confilium Dei, populum Judaicum propter peccata prius caftigare, ac tum demum per Meffiam, Bethlehemae nafciturum, liberare, coll. Vs. 1. cum IV, 14. et iis quae antecedunt. יִתְּנֵם *Tradet* quidem *eos* Jova hoftibus affligendos vexandosque. עַד־עֵת יוֹלֵדָה יָלָדָה *Usque ad tempus parituras,* feu quo *quae paritura eft* Bethlehemae *pepererit* divinum illum heroem (Vs. 1.), qui populum ab hoftibus liberabit. *Virginem* innuit, e qua modo prodigiofo Meffiam nafciturum fperabant iftius aetatis homines; cf. not. ad Jefaj. VII, 14. p. 253. edit. fec., nec non p. 302. feqq. Sunt, qui haec verba de Zione intelligant, cujus ficut dolores comparati funt fupra IV, 9. 10. *parturientis* doloribus, ita hic liberatio ab illis comparetur *partui,* et fenfus fit: dum ea, cujus afflicta nunc falus eft, incolumitatem et falutem confequatur. Quod nobis coactius videtur, quum fuffixum plurale mafculinum, ad eosdem Hebraeos referendum (in יִתְּנֵם), proxime praecedat. Abendana fignificari putat, tempus falutis praeceffuram magnam anguftiam, ita ut Ifrael parturientis inftar futurus fit, quemadmodum Daniel XII, 1. praedicit, tum cum populus Hebraicus liberandus fit, tantam fore temporis difficultatem, quanta nulla unquam poft homines natos ad id temporis fuerit. Sed magis profecto congrua eft vulgo recepta interpretatio, ex qua hoc dicit vates: relinquendos effe Hebraeos hoftibus affligendos dum appariturus fit Meffias (cujus locus natalis ortusque Verfu fuperiore definiuntur); quod aenigmatice, more prophetico, fic exprimit: *donec quae paritura eft pepererit.* Tum vero וְיֶתֶר אֶחָיו יְשׁוּבוּן עַל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *et refiduum fratrum ejus redibunt ad filios Ifrael,* i. e. qui reliqui fuerint

fuerint dispersi in terris exteris Hebraei, redibunt in patriam, atque suis popularibus, sub rege Messia tranquille et pacate ibi degentibus, sese adsociabunt. Suffixum in אֶחָיו non dubium esse potest, ad divinum illum heroa referendum esse, qui Vs. 1. Bethlehemae nasciturus praedicitur. *Residuo* vero *fratrum ejus* significantur Hebraei in exteris terris dispersi, id quod clarissime illud ostendit, quod de eis dicitur, ipsos *redituros esse* (יְשׁוּבוּן) *ad Israelitas*, eos puta, qui in terra Cananaea degunt. Non audiendus R. Abendana, qui per יֶתֶר אֶחָיו tribum Juda et Benjamin, et per בְּנֵי יִשְׂרָאֵל decem tribus intelligendos opinatur. עַל pro אֶל, ut 2 Sam. XV, 4. וְעָלַי יָבֹא *ut ad me veniat omnis homo, cui lis et causa.* 2 Reg. XXV, 20. וַיֹּלֶךְ אֹתָם עַל־מֶלֶךְ בָּבֶל רִבְלָתָה *et deduxit eos ad regem Babelis Riblam.* Simile ei quod hic legitur promissum Jes. XXXV, 10. *Redemti Jovae*, ex hostibus ab eo liberati, *redibunt venientque Sionem ovantes.*

3. וְעָמַד וְרָעָה בְּעֹז יְהוָה *Et stabit et pascet in fortitudine Jovae*, non humana sed divina virtute perpetuo gubernabit Messias Hebraeos, in unius populi corpus coalitos. עָמַד וְרָעָה *Stabit et pascet*, i. e. permanebit pascens, nam *stare* est *permanere*, ut Genes. XLV, 2. וְלֹא־עָמַד אִישׁ אִתּוֹ *nec stetit*, mansit, *cum eo quisquam.* Levit. XIII, 5. *Plaga* עָמַד בְּעֵינָיו *mansit in sua specie.* Alii: *surget et pascet*, ut Jesaj. XLI, 5. וְעָמְדוּ זָרִים וְרָעוּ צֹאנְכֶם *surgent alieni et pascent oves vestras.* Sunt etiam, qui *standi* verbo h. l. sedulitatem, circumspectionem et curam pastoralem significari existiment; nam ut gregem pastor eo magis circumspectet atque custodiat, erectus stare atque illi attendere solet. וְרָעָה *Et pascet*, i. e. reget, gubernabit, vid. not. ad Ezech. XXXIV, 2. Et ibid. Vs. 23. seqq. Messias boni pastoris imagine sistitur. Subaudiendum est e fine Versus superioris בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, *Israelitas.* Chaldaeus: וְיִשְׁלוֹט בְּתֻקְפָּא מִן קֳדָם יְיָ *et dominabitur cum fortitudine a Jova ei tributa.* בִּגְאוֹן שֵׁם יְהוָה אֱלֹהָיו *In excellentia*, majestate, *Jovae*,

Jovae, Dei sui, majestate divina praeditus. שֵׁם יְהוָה *Nomen Jovae,* pro *ipso Jova* frequens Hebraeis, ut Ps. V, 12. *Exsultant in te* אֹהֲבֵי שְׁמֶךָ *diligentes nomen tuum,* i. e. te. Prov. XVIII, 10. *Turris fortis* שֵׁם יְהוָה est *nomen Jovae,* Jova. וְיָשָׁבוּ *Et habitabunt,* reversi secure, *quisque subter vitem suam et subter ficum suam,* ut supra IV, 4. dixerat. Cf. Ezech. XXVIII, 25. 26. Chaldaeus: וִיתֻובוּן מִבֵּינֵי גָלְוָתְהוֹן *revertentur e medio captivitatis suae.* Hieronymus quoque: *et convertentur,* nec non Syrus, quasi וְיָשֻׁבוּ legissent. Buxtorfius tamen in *Anticrit.* p. 723. illos interpretes ita legisse dubitat, quod illi non ad literam, sed ad sensum reddiderint. „Nam regnum illud Messiae tranquillum et pacatum, de quo vaticinatur propheta, verbo וְיָשָׁבוּ *et sedebunt, habitabunt,* scil. tranquille et secure, praesupponit reductionem Israelitarum ex captivitatibus suis, et reductio necessario habitationem illam tranquillam praecedit. Quia ergo circa promissiones de Messia hoc potissimum Judaeos angit, quod sub alienis populis, et in exilio, per universum orbem vivunt, idcirco hanc exprimere maluit paraphrastes Chaldaeus, occasione inde sumta, quod verbum Hebraeum sine punctis scriptum, utroque modo legi possit, et utrumque sensum admittat.“ כִּי־עַתָּה יִגְדַּל עַד־אַפְסֵי־אָרֶץ *Nam nunc magnus, potens erit usque ad terminos terrae,* rationem reddit, cur secure habitaturi sint, ob amplitudinem regni Messiae. Quandoquidem enim universa terra eum ut dominum reverebitur, universos quoque auctoritate continebit, et compescet potentia, ut populum sibi peculiarem nemo cum successu infestaturus sit. עַתָּה *Nunc,* illico postquam reversi fuerint, cf. not. ad IV, 10. Messiae universus orbis terrarum (אַפְסֵי־אָרֶץ ut h. l.) possidendus promittitur et Ps. II, 8.

4. וְהָיָה זֶה שָׁלוֹם *Eritque tunc pax,* tranquillitas et securitas ab hostibus. Status hic temporum florentissimus ac felicissimus erit. זֶה h. l. est temporis nota, subaudito עֵת *tempus,* sive עַתָּה. Ita 1 Reg. XVIII, 24. זֶה יָדַעְתִּי כִּי אִישׁ

אִישׁ אֱלֹהִים אָתָּה *nunc ſcio, te eſſe virum divinum.* Plura alia exempla vocis זֶה ita uſurpatae vid. in Noldii *Concordantt. Particular.* p. 333. no. 10. Sunt qui Kimchium ſequuti vertant: *eritque hic*, Meſſias, *pax*, i. e. pacis auctor, qui pacem nobis ab hoſtibus praeſtabit, tuebitur nos, ſi nos hoſtis invaſerit; coll. Epheſ. II, 14. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν. Et Zachar. IX, 10. dicitur de Meſſia: וְדִבֶּר שָׁלוֹם לַגּוֹיִם *Loquetur pacem gentibus.* אַשּׁוּר כִּי־יָבוֹא בְאַרְצֵנוּ *Aſſyrius cum veniet*, i. e. cum venire voluerit (ut Aben-Eſra exponit), *in terram noſtram*, a quo potentiſſimo hoſte Hebraei tunc temporis reipublicae ſuae interitum timuere, cf. Jeſaj. VIII, 7. 8. וְכִי יִדְרֹךְ בְּאַרְמְנוֹתֵינוּ *et cum calcaverit in palatiis noſtris*, ſi palatia noſtra pervaſerit, ſ. pervadere voluerit. וַהֲקֵמֹנוּ עָלָיו שִׁבְעָה רֹעִים וּשְׁמֹנָה נְסִיכֵי אָדָם *Tum conſtituemus adverſus eum ſeptem paſtores et octo principes hominum*, i. e. opponemus illi duces quamplurimos, ſynecdoche numeri certi pro incerto, et quidem majori, ut Cohel. XI, 2. תֶּן־חֵלֶק לְשִׁבְעָה וְגַם לִשְׁמוֹנָה *da portionem ſeptem* indigentibus, *imo etiam octonis.* Alia ejusmodi numerorum ſynecdoches exempla vid. in not. ad Amos I, 3. Uſurpant etiam *ſeptem* ſimpliciter pro *multis*, ut Jeſaj. IV, 1. *Apprehendent ſeptem*, i. e. plures *mulieres virum unum.* רֹעִים *Paſtores*, i. e. principes, cf. Vs. 3., et Jerem. XXIII, 4., ubi Jova pollicetur, ſe reductis e terris exteris Iſraelitis praepoſiturum *paſtores*, i. e. principes alios melioresque, quam priores (quos Vs. 1. compellaverat), qui eos paſcant (וַהֲקִמֹתִי עֲלֵיהֶם רֹעִים וְרָעוּם). Chaldaeus noſtro loco מַלְכִין *reges* poſuit. Significantur autem paſtores vel duces non ſoli, ſed cum ſuis gregibus vel copiis, quemadmodum Jerem. VI, 3. de hoſtibus Hieroſolymam oppugnantibus dicitur: *Ad eam venient* רֹעִים וְעֶדְרֵיהֶם *paſtores et greges eorum*, i. e. duces hoſtiles cum ſuis copiis. Ceterum pro וַהֲקֵמֹנוּ עָלָיו Chaldaeus poſuit: *conſtituemus* עֲלָנָא *ſuper nos*, ſeptem reges. „Miratur Kimchius, quare עָלָיו transtulerit עֲלָנָא. Dici poteſt, illum ſimpliciter ad ſenſum attendiſſe, non accuratam verborum ratio-

rationem habuisse: *constituemus super nos septem reges,* qui nempe se ei opponant, adversus eum pugnent; non enim nova nec insoiens est ista personarum mutatio apud paraphrastas, vid. e. c. Hos. VI, 5. Vel si quis malit credere, illum, quum non punctato forsan codice usus sit, pro עָלָיו legisse עלנו, deceptum affinitate literarum ו et נ, etiam sic varia lectio evanescit. Neque enim ab hujusmodi lapsibus plane immunes erant Targumistae." Buxtorfii *Anticrit.* p. 740. נְסִיכֵי אָדָם *Unctos hominum*, i. e. principes hominibus vulgaribus praepositos, principes populi. Ita Jos. XIII, 21. נְסִיכֵי סִיחוֹן sunt *principes Sihonis*, et Ezech. XXXII, 30. נְסִיכֵי צָפוֹן *principes septentrionis*. Chaldaeus: רַבְרְבֵי אֱנָשָׁא *principes hominum*. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1647. collato arabico نَسِيكَةٌ *hostia*, nostram phrasin vertere mallet: *octo sacrificia humana*. „Sacrificia humana," inquit, „hic, ubi de bello sermo, erunt *heroes, qui se pro patria devovent*, ac fortiter moriuntur, quales Decii." Quod retulisse sufficiat. Sensus nostri loci haud obscurus esse potest: cum res Hebraeorum in summo videntur esse discrimine, hostesque jam adsunt, opponemus eis copias multas, quas duces fortissimi educent.

5. וְרָעוּ אֶת־אֶרֶץ אַשּׁוּר בַּחֶרֶב *Et pascent* pastores s. duces Vs. 4. memorati, *terram Assur* non pastorali pedo, sed *gladio*, i. e. non solum hostes e patria tellure expellent, verum et in hostilem regionem impressione facta eam depopulabuntur. Id enim est *gladio depascere*, *ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ ποιμαίνειν*, Apoc. II, 27. XII, 5. XIX, 15. Sunt, qui רָעוּ h. l. vertant *conterent*, quasi referendum sit ad רָעַע, quod ex Aramaeismo idem cum רָצַץ *confringere*, cf. not. ad Ps. II, 9. p. 53. Verum *pastorum* mentio Versu superiore suadet, nostrum רָעוּ ad רָעָה referre. Et autem tralatio desumta a pecoribus herbam depascendo consumentibus et vastantibus. Eadem similitudo Jerem. VI, 3. *Venient ad eam*

eam (Zionem) *paſtores cum gregibus, et ad eam per circuitum figent ſua tabernacula,* רָעוּ אִישׁ אֶת־יָדוֹ *et ſuum quisque ſpatium paſcet.* וְאֶת־אֶרֶץ נִמְרוֹד בִּפְתָחֶיהָ *Et terram Nimrod* depaſcent paſtores ſ. principes illi ſuis cum copiis *intra portas ipſius.* אֶרֶץ נִמְרוֹד eſt vel *Babylonia,* in qua regnum Nimrodus inchoavit, uti dicitur Geneſ. X, 10. (וַתְּהִי מַמְלַכְתּוֹ בָּבֶל), vel, per epexegeſin praecedentis, ipſa potius *Aſſyria,* in qua idem ille, prolato dominio, poſtea regnavit, coll. ibid. Vs. 11. 12. בִּפְתָחֶיהָ Aben-Eſra et Kimchi interpretantur *ſtrictis ſuis,* ſcil. חֲרָבוֹת *enſibus,* quemadmodum Pſ. LV, 22. פְּתִחוֹת *ſtricti* enſes ſunt, vid. not. ad eum loc. Ita Aquila, teſte Hieronymo, qui eum ſequutus *lanceas* vertit, et alia vetus Graeca interpretatio, quam Hieronymus *Quintam editionem* vocat: ἐν παραξίφεσιν αὐτῶν. Quod tamen duplici de cauſa admitti non poteſt. Primo, quod חֶרֶב *enſis* feminei generis nomen eſt, noſtra vox vero in maſculino poſita; tum, quod ſuffixum, illa interpretatione adſcita, maſculinum eſſe deberet, quippe ad רֹעִים et נְסִיכֵי אָדָם (Vs. 4.) referendum, ut igitur בְּפִתְחוֹתֵיהֶם ſcribendum fuiſſet. Verum ſuffixum femininum in בִּפְתָחֶיהָ manifeſte reſpicit nomen אֶרֶץ, quod proxime praecedit. פְּתָחֶיהָ autem ſunt *portae ejus,* Jeſ. III, 26. Recte igitur Symmachus et Theodotion verterunt: ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς. Jarchius: בשערי מדינותיה *in portis urbium ejus* terrae, intra ipſas Aſſyriorum urbes, pro quibus et alias שְׁעָרִים ponuntur, veluti Deuter. XII, 17. *Non poteris comedere* בִּשְׁעָרֶיךָ *in portis tuis,* i. e. in urbibus tuis. Vid. et Deut. XIV, 29. Zach. VIII, 16. Chaldaeus: בְּתָקוֹף כְּרַכְּהָא *in fortitudine arcium ejus.* Senſus eſt: ſedem belli praeſtantiſſimi illi duces ex noſtra in hoſtium terram devolvent, ut quum Aſſyrii nos bello oppetierint in terra noſtra, ipſi contra in ſuis finibus debellentur. וְהִצִּיל מֵאַשּׁוּר כִּי־יָבוֹא בְאַרְצֵנוּ *Et* ſic *eripiet,* liberabit nos Meſſias *ab Aſſyrio, ſi venturus ſit in terram noſtram,* vid. Vs. 4.

6. In iis, quae jam ſequuntur, duo promittit vates de futuro ſtatu populi Hebraei: primum, fore, ut Deus

eum

eum tueatur ſine opera et adminiculo hominum, deinde, ipſum etiam vires ſuppeditaturum, ut ſuperior futurus ſit cunctis hoſtibus. Priore loco ut oſtendat conſervationem populi pendere a mera Dei gratia, neque opus habere terrenis ſubſidiis, utitur pulchra ſimilitudine: dicit enim, populum Hebraeum ſimilem fore prato roſcido. וְהָיָה שְׁאֵרִית יַעֲקֹב בְּקֶרֶב עַמִּים רַבִּים כְּטַל מֵאֵת יְהוָה כִּרְבִיבִים עֲלֵי־עֵשֶׂב *Eritque reſiduum Jacobi inter populos multos ſicut ros a Jova, et ſicut guttae imbris ſuper herba*, quae verba non ſunt ita capienda, quaſi populus Hebraeus cum rore imbreque comparetur, ut nonnulli volunt, qui per populum Iſraeliticum alias gentes felices reddendas eſſe hisce verbis praedici opinantur; ſed hoc dicit vates, populi Hebraei eam fore conditionem, quaſi quum verba rore coeleſti irrigata laets vireat. Comparat igitur populum cum herba, quae ſuccum et vigorem a rore aut pluvia trahit. Senſus quidem minime ambiguus eſt: Jova populum ſuum florentem reddet, quemadmodum augeſcit herba, quae tantum coeleſti rore viget, nulla cultura nulloque hominum labore accedente. Quia vero ſupra (III, 12. IV, 9. 10. 11.) univerſam rempublicam Hebraicam ſubvertendam populumque deportandum in terras longe diſſitas minatus fuerat, jam non pronunciat totum populum fore incolumem, ſed שְׁאֵרִית יַעֲקֹב *reſiduum Jacobi* tantum, in illo exitio ſervandum, et e regionibus exteris in ſolum natale reducendum, II, 12. IV, 7. Utcunque igitur, dicit, populus fere totus pereat, erit tamen aliquid reſiduum בְּקֶרֶב עַמִּים רַבִּים *inter populos multos et magnos.* Subeſt antitheſis inter *reliquias* et *populos multos* validosque, q. d. etiamſi populus Jacobo ortus non praevaleat multitudine, imo tanta ſit hoſtium multitudo, ſub qua poſſit videri obruta; Deus tamen faciet, ut augeſcat et propagetur כְּטַל מֵאֵת יְהוָה *ſicut ros a Jova*, i. e. ſicut herba, quae alitur coeleſti rore, ut diximus. Cf. Hoſ. XIV, 6., ubi Deus promittit, *ſe Iſraeli fore ſicut ros*, אֶהְיֶה כַטַּל לְיִשְׂרָאֵל. Poterat ſimpliciter dicere כְּטַל *ſicut ros*, ſed addit מֵאֵת יְהוָה *a Jova*, ut diſcernat hic inter

inter Deum et hominem, ac oſtendat, ſolam Jovae virtutem ſufficere ad ſovendum populi ſui ſtatum, etiamſi nihil adjumenti homines afferant. Quod clarius exprimitur reliqua Verſus parte: כִּרְבִיבִים עֲלֵי עֵשֶׂב אֲשֶׁר לֹא יְקַוֶּה לְאִישׁ וְלֹא יְיַחֵל לִבְנֵי אָדָם *ſicut guttae* imbris *ſuper herbam, quae non exſpectat virum,* quae aliunde, niſi a Deo et ex caelis rigari nequit, *nec ſperat in filios hominis,* nihil exſpectat de humana cultura.

7. Non ſolum tuebitur Deus atque fovebit populum ſuum, verum eum et inſtruet virtute invicta et inexpugnabili, ut ſuperior ſit cunctis hoſtibus. וְהָיָה שְׁאֵרִית יַעֲקֹב בַּגּוֹיִם בְּקֶרֶב עַמִּים רַבִּים כְּאַרְיֵה יַעַר כִּכְפִיר בְּעֶדְרֵי־צֹאן *Eritque reſiduum Jacobi inter gentes, in medio populorum multorum ſicut leo inter beſtias ſylveſtres et ſicut leunculus inter greges ovium,* ſicut leo robuſtus praevalet animalibus reliquis, et leunculus ferociter audet greges ovium invadere, quarum nulla ſtragem edenti reſiſtere poteſt, ita Iſraelitae terrorem incutient hoſtibus ſuis, imo rapient et eos diſſipabunt, ſic ut nemo audeat ſe opponere. אֲשֶׁר אִם־עָבַר וְרָמַס וְטָרַף וְאֵין מַצִּיל *Qui,* leo juvenis, *cum transit,* pervadit greges ovium, *tum proculcat* oves pedibus, *et discerpit, nec eſt, qui eripiat,* qui praedam ei eripere poſſit. Eadem ad Judaici populi robur et potentiam deſcribendam ſimilitudine uti Bileamus Num. XXIII, 24. *En populus, qui tanquam leaena ſurget, et ut leo erigetur. Non cubabit donec comederit praedam, et ſanguinem confoſſorum biberit.*

8. Quod Verſu ſuperiore per ſimilitudinem expreſſerat, jam propriis verbis declarat, apoſtrophe ad populum Iſraeliticum directa, cui victoriam promittit adverſus inimicos. תָּרֹם יָדְךָ עַל־צָרֶיךָ וְכָל־אֹיְבֶיךָ יִכָּרֵתוּ *Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos,* ſuperior iis redderis ut victor, *omnes hoſtes tui exſcindentur.* Quod ipſum promittit alius vates Jeſaj. LX, 12. *Gens et regnum, quae tibi non ſervierint, peribunt, gentesque evertentur.*

9. Omnia

9. Omnia in quibus fiduciam ponere solerent Israelitae, se ademturum eis esse dicit Jova, cum ut sciant, eorum salutem a se solo pendere, nec alii, quam ipsi, victoriam adscribant, tum quod omnia pacata futura sint, ita ut munimentis ceteroque bellico apparatu opus amplius non sit. וְהָיָה בַיּוֹם הַהוּא *Fiet autem illo die*, illis, de quibus inde a Vs. 1. loquutus est, Messiae temporibus. נְאֻם יְהוָֹה *Effatum Jovae*, qui quae promittit certo praestabit, cf. IV, 4. וְהִכְרַתִּי סוּסֶיךָ מִקִּרְבֶּךָ *Exscindam equos tuos e medio tui*, de quorum magno in regno Judaico numero, quum lege Deut. XVII, 16. prohibitus esset, queritur et Jesajas II, 7. וְהַאֲבַדְתִּי מַרְכְּבֹתֶיךָ *Et perdam currus tuos* bellicos. Quod seculo aureo futurum praedicit quoque Zacharias IX, 10. *Exterminabo ex Ephraimitis quadrigas, et ex Hierosolymis equos; et exterminatis bellicis arcubus pronunciabit* Messias *pacem gentibus.*

10. וְהִכְרַתִּי עָרֵי אַרְצֶךָ *Et exscindam urbes terrae tuae*, scil. munitas, ut alterum hemistichium epexegetice declarat. Habitabit populus Hebraeus in pagis, sine vectibus et muris, tutus nihilominus contra hostium molimina futurus. Significat altam et diuturnam pacem, cujus tempore negliguntur moenia, et paulatim collabascunt. וְהָרַסְתִּי כָּל־מִבְצָרֶיךָ *Diruamque*, solo aequabo, *omnia munimenta tua*, quibus amplius non egebis.

11. Alia commemorat, in quibus fiduciam posuerant, artes superstitiosas. וְהִכְרַתִּי כְשָׁפִים מִיָּדֶךָ *Exscindamque incantamenta e manu tua*, i. e. non amplius iis uteris, nec uti aliis permittes. כְּשָׁפִים, quod collato Syriaco ܟܫܦ, Ethpaal ܐܬܟܫܦ *precatus est, obsecravit, rem sacram peregit*, proprie *preces* significarit, in V. T. libris in malam partem de *incantamentis artibusque magicis* (vid. e. c. 2 Reg. IX, 22. Nah. III, 4.), hic vero per synecdochen de ritu superstitioso quolibet dicitur. וּמְעוֹנְנִים לֹא יִהְיוּ־לָךְ *Et fascinatores non* amplius *tibi erunt*. De מְעוֹנְנִים vid. not. ad Jesaj. II, 6.

12.

12. וְהִכְרַתִּי פְסִילֶיךָ וּמַצֵּבוֹתֶיךָ מִקִּרְבֶּךָ *Exscindamque sculptos* deos *tuos* e ligno aut lapide, *et statuas tuas* fusas ex auro et argento *e medio tui*, faciam ut sublatis idolis me unice et sincere colas. וְלֹא־תִשְׁתַּחֲוֶה עוֹד לְמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ *Nec procumbes amplius ad opera manuum tuarum*, non adorabitis porro idola facta manibus artificum, qui inter vos. Eadem Messiae tempore futura praedicit Zacharias XIII, 2. Jovam loquentem inducens: *Exstirpabo e terra nomina simulacrorum, ita ut non memorentur amplius, quin etiam vates impurumque spiritum e terra exterminabo.*

13. וְנָתַשְׁתִּי אֲשֵׁירֶיךָ מִקִּרְבֶּךָ *Et diruam statuas tuas e medio tui.* De אֲשֵׁרִים vid. not. ad Jes. XVII, 8. וְהִשְׁמַדְתִּי עָרֶיךָ *Et perdam urbes tuas*, ne quis locus immunis maneat a ruina, quem idololatriae sordes inquinarint. Chaldaeus vertit: וְאֲשֵׁצֵי בַּעֲלֵי דְבָבָךְ *exscindam hostes tuos.* Sane עָר est *hostis* (i. e. צַר, e permutatione literarum ע et צ Aramaeis usitata) 1 Sam. XXVIII, 16. *Jova te deseruit* וַיְהִי עָרֶךָ *et inimicus tuus factus est.* Vid. et Ps. CXXXIX, 20. et ibid. not. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1969. collato Arabico عروة *arbor perennis, semper virens* nostra verba vertenda vult: *arbores tuas virentes exscindam*, lucos intelligens deastris sacros; vid. Jes. I, 29. et ad eum loc. not. A. J. Arnoldio tamen in *Observatt. ad quaedam Jesajae loca* p. 6. intercedente inter vocabulum Arabicum illud atque Hebraicum עָר generis discrimine ambigua hactenus videtur alterius cum altero collatio. Quare ipsum nostrum עָרִים interpretari mallet ex Arabico غار de *specubus* et *antris subterraneis*, ubi sacra facere diis manibus, nec non oracula captare consueverat prisci aevi superstitio. „His certe *specubus*," inquit, „pariter cum *lucis* primi hemistichio memoratis [ita enim cum pluribus interpretibus intelligit אֲשֵׁרִים], locus peropportunus in oraculo est, quo delenda praedicuntur quaevis turpis idololatriae monumenta." Quum tamen nulla alia V. T. loca exstent, quibus

עָר

עָר *ſpecus* ſignificatum obtineat, videtur uſitata vocabuli notio et hoc loco retinenda.

14. וְעָשִׂיתִי בְּאַף וּבְחֵמָה נָקָם אֶת־הַגּוֹיִם אֲשֶׁר לֹא שָׁמֵעוּ *Ultionem ſumam iracundus et indignatione incenſus de populis, qui non audiverint,* obtemperarint. Idem dicit Jova apud Ezechielem XXV, 17. וְעָשִׂיתִי בָם נְקָמוֹת גְּדֹלוֹת בְּתוֹכְחוֹת חֵמָה *ſumam de eis graves ultiones irata animadverſione, ut intelligant, me eſſe Dominum, quum de eis ultionem ſumſero.* Cf. Ezech. V, 15. Jeſaj. XXXIV, 2. 3. Pronomen relativum אֲשֶׁר plerique interpretes referunt ad proximum nomen גּוֹיִם, ut ſenſus ſit, ultionem ſumam de gentibus, quae non audiverint, i. e. rebelles fuerint in Jovam, ejus potentiam contumaciter ſpreverint. Ita et Chaldaeus: דְּלָא קַבִּילוּ אוּלְפַן אוֹרַיְתָא *quae non ſuſceperunt doctrinam legis.* Poteſt tamen אֲשֶׁר et ad נְקָמוֹת referri: faciam vindictam in gentibus, quam non audiverunt, i. e. modo inaudito et incredibili populos ulciſcar. Ex priore interpretatione indicabitur, non univerſalem fore vindictam, ſed tantum rebellium et refractariorum. Aliis אֲשֶׁר eſt cauſſale: *quod,* propterea quod non obtemperarint Jovae. Cf. Jeſaj. LX, 12. Zachar. XIV, 17. ſeqq.

Cap. V.

1. Ephrataea (Domum panis quam dicit Hebraeus)
Urbs! ſis parva licet, ducibus regnata Jehudae,
Ortum praebebis tamen et cunabula prima
Illi, quem Iſrael dominum regemque futurum
Agnoſcat, gaudens illi ſubmittere colla;
Exortum cujus meminerunt ſecula nulla,
Et qui principio antiquior exſtitit omni.
2. Exiguum ad tempus, matura puerpera foetum
Dum eniti poſſit, linquet ſua ſigna ſequutos
Auxilii viduos: multas mox fratribus addet
Reliquias ſervans priſco Iſraele creatas:
3. Et valido Domini ſubnixus robore ſtabit
Regna tenens paſtor populorum, nomine Jovae
Sublimi excelſoque Dei; ac ſecuri habitabunt
Rege ſub hoc, qui magnus erit, ſub finibus orbis
Extremi terram qua terminat Amphitrite,
4. Ipſius regnum florebit pace ſequeſtra,
Dulcia compoſitique agitabunt otia cives,
Usque adeo, ut, quo non fuerat capitalior hoſtis,
Aſſyrius noſtram cum in terram advenerit hoſpes,
Atque domus quando ſuperarit limina noſtrae,
Accipiat ſeptem paſtores, octo toparchas,
Qui praeſint, nobis hos conſtituentibus, ipſi,
5. Qui terram Aſſyriam gladio penetrante gubernent,
Nimrodique ſolum, qua ſe illius oſtia porgunt.
Eripietque metu Aſſyrio, cum venerit hoſpes
In noſtram regionem, et finibus intulerit ſe
Pacatis, terram pede calcaritque frequente.

6. *Ergo cernere erit, reliquos degente Jacobi*
Condensos inter populos hac crescere lege,
Ut ros in tenera pecori gratissimus herba est,
Coelitus illapsus summo stillante Jehova,
Ut pluvia in campis arentes recreat herbas,
Herbas, neglectasque viris, nullique secandas,
7. *Tum quoque cernere erit, reliquos de gente Jacobi*
Gentibus in mediis, qualis vis fulva leonis,
Inter silvaï grassans armenta leonis,
Aut qualis catulus gregibus se immiscet ovillis,
Omnia dilacerans et calcans omnia vastansque,
Audebit cui nemo gradum contollere contra,
Eripiet nemo, cui rapta ex faucibus altis.
8. *Exaltata manus fractos tua deprimet hostes,*
Osoresque tui internecione peribunt.
9. *Adveniet tempus (sic ore Jehova profatur)*
Quando tui e medio tolletur fortis equi vis,
Disperdamque tuas dextra vibrante quadrigas.
10. *Exscindamque urbes, et munita oppida quaevis,*
11. *Atque arces aequabo solo. Malefactaque cuncta*
Praestigiasque omnes tollam tibi; non erit ultra,
Inspectis possit qui divinare planetis.
12. *Omnia sculptilia evertam, statuasque refringam,*
Ne genua incurves ligno, lapidive metallove
Amplius, in divum fabricavit dextra figuras
Quae tuo, et ars hominis praecepit numen habere.
13. *Lucosque exstirpare tuos, ut caedua fiat*
Sylva, ubi fecisti quondam impia sacra deastris,
Et tua prosternam dejectis oppida murit.
14. *Vindictamque gravi exercebo ego percitus aestu*
Irarum in cunctas, quibus est mens impia, gentes,
Quae legum spernunt praecepta minasque profane.

Cap. VI.

Argumentum.

Jova populum Iſraeliticum ad ſolenne judicium evocat (Vs. 1. 2.), quem commemoratis beneficiis, quae in illum olim large contulerat, ſtuporis et ingratitudinis coarguit (Vs. 3. 4. 5.). Deinde oſtendit, quo praecipue modo offenſum Dei animum placare poſſint (Vs. 6. 7. 8.). Tandem, quum varia commemoraſſet peccata, maxime quae a fraude et avaritia naſcuntur (Vs. 9—12.), grave denunciat ab hoſte victore et barbaro ſupplicium (Vs. 13—16.).

---

1. Ab exoptatis illis temporibus, quae Cap. IV. V. populares ſuos propheta ſperare juſſerat, nunc ad arguendum ſui temporis ſtatum redit. Praefatione autem utitur, ad populum directa, qua refert Jova mandatum de lite populo intendenda, ut attentius ipſe audiatur, quippe cauſam dicturus non effictam a ſe, ſed a Jova ipſo imperatam: שִׁמְעוּ־נָא אֵת אֲשֶׁר־יְהוָה אֹמֵר *Audite! quae dicit Jova* mihi, prophetae. Ita enim vatem alloquutus eſt Jova: קוּם *Surge!* agedum! ſtrenue et intrepido animo quod tibi impero exſequitor. רִיב *Litem inſtitue*, non tuo quidem, ſed meo nomine, coll. Vs. 2., ubi idcirco Jova ipſe litigans inducitur. Scopus vero hujus litigationis eſt, ut cum benignitas Dei in exhibitis beneficiis, tum juſtitia in irrogandis ingrato populo poenis pateſcat, vid. Vs. 5. ſeqq. אֶת־הֶהָרִים plerique interpretes reddunt: *cum montibus;* minus commode, quum ita *montes* ut rei vel accuſandi ſiſtantur,

 qui

qui mox Vs. 2. litis teſtes evocantur. Quem nodum alii ita expediendum cenſent, ut vel alios montes Vs. 2. intelligendi ſint; vel reſpectus tantummodo ſit diverſus, ita ut hic *metonymia* ſit continentis pro contento, i. e. regionis pro incolis, illic vero Vs. 2. ſit *proſopopoeia* ad montes collesque, nullo incolarum reſpectu habita. Sunt, qui *montibus* et *collibus* intelligant proceres, qui reipublicae praeſunt, et ſupra reliquam turbam ſic efferunt caput, ſicut montes et colles e plano tument. Verum tollitur omnis hunc inter et Verſum 2. repugnantia, ſi vertamus *coram montibus*, quomodo אֵת uſurpatur Geneſ. V, 24. וַיִּתְהַלֵּךְ חֲנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים *ambulavit Chanoch coram Deo*, quae phraſis alias, veluti Geneſ. XVII, 1. XXIV, 40. XLVIII, 15. 2 Reg. XX, 1. הִתְהַלֵּךְ לִפְנֵי הָאֱלֹהִים ſonat. Ita et Pſ. CXL, 14. יֵשְׁבוּ יְשָׁרִים אֶת־פָּנֶיךָ *habitabunt recti coram facie tua*. Quodſi igitur verba noſtra, רִיב אֶת־הֶהָרִים, vertamus: *litem inſtitue coram montibus*; belle ea conveniunt iis quae ſubjiciuntur: וְתִשְׁמַעְנָה הַגְּבָעוֹת קוֹלֶךָ *et audiant colles vocem tuam*. Montes intelligit collesque terrae Judaicae, ut Ezech. XXXVI, 1. *Tu, homo vaticinare ad montes Iſraelis, et dicito: montes Iſraelis! audite Jovae ſermonem!* Advocat igitur Noſter montes, ut teſtes ſint et propheticae admonitionis, qua gens illa rebellis ad pietatem et officium vocatur, et Judaici populi ſtuporis et perfidiae, quippe qui norint quidnam a Dei benignitate in populum illum beneficiorum manarit, ac quomodo a populo vecorde et ingrato pro gratiarum actione et obſequio debito relata ſit injuria.

2. Jam propheta incipit quod ipſi mandatum erat exſequi. שִׁמְעוּ הָרִים אֶת־רִיב יְהוָֹה *Audite, montes, litem Jovae!* Ut hic montes teſtes evocantur, ſic alias terra, ut ſupra I, 2. et inſuper coelum Jeſaj. I, 2. Deut. XXXII, 1., et certus lapis Joſ. XXIV, 27. Innuit Noſter, rebus inanimatis plus eſſe mentis et officii, quam Judaeorum genti. De dictionis ריב יהוה ſenſu vid. not. ad Hoſ. IV, 1. וְהָאֵתָנִים

מוֹסְדֵי

מוֹסְדֵי אָרֶץ *Et o fortes* petrae, *fundamenta terrae!* אֵתָנִים propr. *ſtabiles* (coll. arab. أَتَنَ *ſtetit, conſtitit*), *fortes* (cf. Geneſ. XLIX, 24.) h. l. deſignant *petras*, uti et Arabibus أَتَانٌ eſt *petra.* Hinc Jerem. XLIX, 19. נְוֵה אֵיתָן eſt *habitatio petrae.* Chaldaeus עִקְרַיָּא *radices* poſuit. מוֹסְדֵי אָרֶץ *Fundamenta terrae* ſunt *montes* firmiter atque immoti conſiſtentes, quos Arabes رَوَاسِي *firmamenta* (a رَسِي *ſtabilis, immotus ſtetit*) vocant. Veluti Corani Sura XIII, 3. *Ille* (Deus) *eſt, qui extendit terram* وَجَعَلَ فِيهَا رَوَاسِيَ *fecitque in ea ſtabiles* montes. Vid. et Sur. XVI, 15. XXXI, 9. وَأَلْقَى فِي ٱلْأَرْضِ رَوَاسِيَ أَنْ تَمِيدَ بِكُمْ *jecit in terra* montes *ſtabiles, ne moveretur vobiscum.* Cf. Pſ. CIV, 5. יָסַד אֶרֶץ עַל־מְכוֹנֶיהָ *fundavit terram ſuper baſes ſuas, ut nullo commoveatur aevo.* Cauſſam addit poſtulatae attentionis: כִּי רִיב לַיהוָֹה עִם־עַמּוֹ וְעִם־יִשְׂרָאֵל יִתְוַכָּח *nam lis,* contentio, eſt *Jovae cum populo ſuo, et cum Iſraele disceptabit,* quaſi in foro, ſicut facere ſolet, qui alterum, a quo laeſus eſt, in jus ducit, ſuasque contra eum querimonias exponit. Appoſite C. B. Michaelis confert Aethiopicum תַּוַכְּחַ (*Tavakecha*) *rixari, contendere cum aliquo* (vid. Ludolfi *Lexic. Aethiop.* p. 428.). Significat vero forma *Hithpael* hic non tam reciprocam, quam *mutuam* actionem (ut *ſexta* Arabici verbi forma, v. c. تَقَاتَلَ *pugnarunt, contenderunt inter ſe,* تَكَاتَبَ *ſcripſerunt ad invicem*), ut 2 Reg. XIV, 8. 11. נִתְרָאֶה *videamus nos invicem,* et מִתְלַחֲשִׁים *muſſitantes invicem,* 2 Sam. XII, 19.

3. Nunc ſe Deus hominum judicio judicandum ſummittit, et rogat, an aliquid habeant, quod in ipſius natura et

et moribus accusandum putent; an aliquod fuerit tempus, in quo paterni animi providentiam ac studium desiderarint? Blando vero alloquio utitur: עַמִּי *popule mi*, quo et in pudorem dat homines ingratos, dum isto nomine beneficiorum in Israelitas collatorum summam animis illorum insinuat, et culpam eorum auget. Nam quo humanius et quo majore indulgentia cum homine ingrato agis, eo gravius fit ejus crimen. מֶה־עָשִׂיתִי לְךָ *Quid feci tibi?* quidnam habes, in quo me accuses? וּמָה הֶלְאֵתִיךָ *Et quid molestus tibi fui?* quod me tam turpiter deserueris, atque tam graviter offenderis? Simili modo cum populo suo disceptaturus inducitur Jova Jes. XLIII, 26. נִשָּׁפְטָה יָחַד סַפֵּר אַתָּה לְמַעַן תִּצְדָּק *disputemus una; expone quae ad tui defensionem faciant.* Jerem. II, 5. seqq. *Quid culpae vestri majores in me deprehenderunt, ut a me recederent, vanique vana sequerentur?* Cf. et ibid. Vss. 6. 9. 13. עֲנֵה בִי *Responde contra me*, responde, si quid contra me habes. Ita 1 Sam. XII, 3. עֲנוּ בִי *respondete*, testemini *contra me coram Jova, eccui bovem aut asinum eripuerim?* Recte Chaldaeus et Syrus nostro loco: אַסְהֵד בִּי, ܐܣܗܶܕ ܒܝ *testare contra me.* Quasi dicat: adsunt testes (Vs. 2.), jam tu profer in medium tuam causam per singula capita; ego paratus sum ad defensionem.

4. Postquam testatus est Deus, se nulla in re populo fuisse molestum, jam adjungit, quot et quantis beneficiis populum sibi devinxerit. Ita autem, inquit, non immerito ex te quaero, כִּי הֶעֱלִתִיךָ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם *quoniam eduxi te ex Aegypto*, adeoque te non solum non laesi, sed et multis contra magnisque beneficiis te ornavi, e quibus unum tantum, sed maximum adducit, quo efficiebatur, ut Hebraei in libertatem asserti peculiaris reipublicae formam acciperent, unde magnum illud beneficium Israelitis in memoriam revocatur quoque a Jeremia II, 6. et Amoso II, 10. מִבֵּית עֲבָדִים פְּדִיתִיךָ *E domo servorum redemi te*, e pristino, in quo conclusi detenti eratis tanquam mancipia ad ser-

ſerviles operas praeſtandas; ita Aegyptus vocatur quoque Exod. XIII, 3. XX, 2. Cf. Deut. VIII, 8. *Eduxit vos Jova manu valida,* וַיִּפְדְּךָ מִבֵּית עֲבָדִים *redemitque te e domo ſervorum, e poteſtate Pharaonis, regis Aegypti.* Cf. not. ad Amos II, 10. וָאֶשְׁלַח לְפָנֶיךָ *Miſi ante te* tanquam duces, qui te ducerent. Chaldaeus addit: תְּלָתָא נְבִיין *tres prophetas.* אֶת־מֹשֶׁה *Moſen,* tanquam primarium legatum, quippe cui Jova dixit Exod. III, 10. *I! mittam te ad Pharaonem. Educito populum meum, Iſraelitas, ex Aegypto.* Cf. Jeſaj. LXIII, 11. 12. *Recolit priſca Moſis tempora populus ejus: ubi eſt qui illos eduxit ex mari per paſtores ſuarum ovium? ubi eſt, qui inter eos ſuum ſanctum collocavit ſpiritum? qui Moſem dextera ducebat, ſuo nobili brachio?* Chaldaeus addit: לְאַלָּפָא מְסִירַת דִּינִין *ut doceret traditionem judiciorum.* אַהֲרֹן *Aaronem,* collegam et interpretem Moſis ad Pharaonem et populum, Exod. IV, 15. 16. 27. 29. Cf. Pſ. LXXVII, 2. *Duxiſti tanquam oves populum tuum per Moſem et Aaronem.* Chaldaeus Aaronis mentionem factam ideo putat, quod ſacris praeeſſet. Addit enim: לְכַפָּרָה עַל עַמָּא *ut expiaret populum.* וּמִרְיָם *Et Mirjam,* ſ. Mariam, utriusque ſororem, quae et ipſa prophetis erat, ſuoque ſexui poſt transitum maris rubri ſacra praeibat muſica et hymno, Exod. XV, 20. Magna eam fuiſſe auctoritate apud populum, etiam ex Num. XII, 1. 2. colligitur, ubi Aaron et Maria contra Moſen, propter ductam ab eo Aethiopiſſam obloquutos eſſe narratur; et quum Maria lepra adſecta e caſtris excluſa eſſet, populus caſtra non movit ante Mariam admiſſam, ibid. Vs. 15. Chaldaeus: וּמִרְיָם לְאוֹרָאָה לִנְשַׁיָּא *et Mariam ut inſtrueret mulieres.*

5. Commemorat Jova aliqua, quae in longa peregrinatione praeſtiterit ab eo tempore, quo populus ex Aegypto exceſſit, ad illud usque, quo in Cananaeam intulit pedem. עַמִּי זְכָר־נָא מַה־יָּעַץ בָּלָק מֶלֶךְ מוֹאָב *Popule mi, recordare quaeſo, quid conſilii inierit Balacus, rex Moab,* ut te per-

perderet, eo quod vatem mercede conduxit, qui populo Hebraeo male precaretur, Num. XXII, 2. feqq. וּמֶה־עָנָה אֹתוֹ בִּלְעָם בֶּן־בְּעוֹר *Et quid refponderit ei Bileamus, Beori filius*, impeditus quippe Jovae potentia ne ita refponderet, ut Balacus volebat, fed coactus potius, ut populo Hebraeo bene precaretur, vid. Num. XXII, 13. 18. Quae quis in alterum precaretur, five bona, five mala effent, numen rata habere, vetus omnibus paene populis infita opinio erat. Horatius *Epod.* 5, 38.

Diris agam vos: dira deteftatio
Nulla expiatur victimis.

Sic ille apud Homerum Phoenix fe ob patris diras fine prole manfiffe queritur *Iliad.* IX, 453. feqq.

— — — Πατὴρ δ' ἐμὸς, αὐτίκ' ὀϊσθεὶς,
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐριννῦς,
Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν,
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα· θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαρὰς.

Quum igitur tam efficaces crederentur dirae, praefertim fi a vate pronunciatae effent, haud mirum, inter magna in populum Hebraeum a Jova collata beneficia illud referri, quod diras, quibus populum Hebraeum Balaci juffu Bileamus devovere voluerat, non modo averteret Jova, verum et eundem illum vatem cogeret, ut populo optima quaeque precaretur. Ita et Hieronymus: „Quod fi hoc [quod in Verfu fuperiore memoratum] tibi parvum videtur, recordare illius temporis, quando Balac, rex Moab, Balaam divinum adverfum te mercede conduxit, et vide, quomodo contra voluntatem fuam cupiens tibi maledicere hariolus benedixerit." Quod ipfum, ut ingens beneficium, Ifraelitis in memoriam revocat Jofua in ultima ifta concione fua, XXIV, 9. 10. Ante hemiftichii pofterioris verba priora, מִן־הַשִּׁטִּים עַד־הַגִּלְגָּל, repetendum eft e fuperiore membro זְכָר־נָא, et vertendum: *recordare* quae *a Schittim ad Gilgalem* usque in te contulerim beneficia. *Schittim* is ipfe locus erat, in quo populus graviffime in Deum peccaverat,

verat, quia deceptus eo confilio, quod Moabitarum regi praebuit Bileamus, cum feminis Moabiticis fcortatus eft, et illarum fuafu ad impurum fimulacrorum cultum traductus, Num. XXV, 1. *Gilgal* vero ille locus fuit, qui transmiffo Jordane primus occurrit in terra Cananaea, quo populus caftra habuit, donec maxima terrae pars fubacta fuiffet, Jof. IV, 20. V, 9. 10. Quum ergo in Schittim, ante ingreffum in terram Cananaeam, tam gravia populus ille commififfet, dignus erat, quem Jova ad illam fervitutem, et quafi piftrinum (Vs. 4.) iterum compingeret, unde anno jam ante quadragefimo evocarat. At ea fuit in fuos lenitate, ut ad Gilgalem, id eft, in terram promiffam, perduceret, et ut prius mare rubrum aperuit, fic tunc Jordanem, quo tempore ripas aquarum incrementis impleverat, ita divifit, ut populus veftigio ficco fine difficultate transierit, Jof. III, 14—16. Chaldaeus: הֲלָא גְבוּרָן אִתְעֲבִידָא לְכוֹן מִמֵּישַׁר שִׁטִּים עַד בֵּית גִלְגָלָא *nonne fortia* facinora *edita* funt *vobis* (veftri gratia) *a planitie Schittim usque ad domum Gilgal?* Hieronymus: „Hebraei hunc locum, in quo dicitur: *de Settim usque ad Galgal, ut cognofceres juftitias Domini*, ita exponunt: ab eo tempore, quo fornicati eftis in Madian, usque ad tempus, quo Saul apud Galgal unctus eft in regem [1 Sam. XI, 14. 15.], repetite memoria, quae mala operati eftis, et quanta vobis bona fecerim, et meam in vos mifericordiam cognofcetis.“ לְמַעַן דַּעַת צִדְקוֹת יְהוָה *Ut cognofceres beneficia Jovae.* צִדְקוֹת h. l. funt *beneficia*, ut Pf. XXIV, 5., ad quem loc. vid. not. Sic et Dan. IX, 16. צִדְקוֹת dicitur de *mifericordia* Dei peccata remittente. Alii fenfu judiciali capiunt, quafi dicat: recordare iftorum a Jova in te collatorum beneficiorum, ut cognofcas, quam jufta fit Dei caufa, nec quicquam effe, quo jure cum eo expoftules.

6. Jam inducit propheta populum, hoc Dei judicio jufto compunctum, deliberantem fecum, quo facrificii genere, aut quo obfequio iratum fibi Deum conciliet.

בַּמָּה

בַּמֶּה אֲקַדֵּם יְהוָֹה *Cum quo*, quo munere inſtructus, *veniam ante Jovam?* ſupplex coram eo comparebo? Chaldaeus: בְּמַה אֱפְלַח קֳדָם יְיָ *quanam re colam Jovam?* אִכַּף לֵאלָהֵי מָרוֹם Num *incurvabor?* incurvabo me, adorantium ritu, *Deo excelſi?* Cf. Jeſaj. LVIII, 5. *Hoccine eſt jejunium, quod ego approbem? dies, quo ſe ipſum ſubigat homo?* הֲלָכֹף כְּאַגְמֹן רֹאשׁוֹ *ſcilicet ut caput in junci modum incurvet?* Hieronymus noſtra verba ſic vertit: *curvabo genu Deo excelſo?* Chaldaeus: אֶשְׁתַּעְבֵּד לֵאלָהָא דִשְׁכִנְתֵּיהּ בִּשְׁמֵי מְרוֹמָא *ſubmittam me Deo, cujus majeſtas in coelis altis habitat?* מָרוֹם ſynonymum frequentiori שָׁמַיִם, quod ipſum proprie *alta* ſignificat (collato Arabico سَمِيَ *altus fuit*), ut Jeſ. XXXIII, 5. Jova dicitur שֹׁכֵן מָרוֹם *habitans altum*, i. e. coelum. Alii אֱלֹהֵי מָרוֹם *Deus altitudinis*, i. e. altiſſimus, volunt eſſe periphraſin nominis עֶלְיוֹן, cf. not. ad Pſ. XCII, 9. הַאֲקַדְּמֶנּוּ בְעוֹלוֹת בַּעֲגָלִים בְּנֵי שָׁנָה *Num comparebo coram eo cum holocauſtis, cum vitulis anniculis?* offeram ei holocauſta, quae ſint vituli anniculi? quales, ut lectiſſimas victimas, ad holocauſta ipſe requiſivit Deus Levit. IX, 2. 3.

7. הֲיִרְצֶה יְהוָֹה בְּאַלְפֵי אֵילִים *Num delectabitur Jova millibus arietum?* an potius hoſtiarum placabitur multitudine? Sunt, qui haec verba non populi, ſed *prophetae* interrogationem exiſtiment, et eam quidem, quae vehementer neget, quaſi diceret: ſacrificiorum multitudine nequaquam delectatur: abſonum foret, talia vel cogitare de Jova. Cf. Jeſaj. I, 11. et loca in nota ad eum loc. indicata. Sed quum altero noſtri Verſus hemiſtichio aperte populus inducatur, plane ut Verſu ſuperiore; nec hoc hemiſtichium alio modo accipiendum arbitramur. Nunquid placabitur, inquiunt, nobis Deus, ſi arietum millia ei offeramus? In hac vero deliberatione, quam non tam convicti, et a ſua conſcientia exagitati peccatores inſtituunt, quam a ſe conceptam et omnino ſimulatam Michas inducit, aliquid admixtum videtur irriſionis ironicae. Quaſi dicat propheta,

non

non minus stolidos esse Judaeos in adhibendo placationis genere, quam impios in deserenda religione patria et amplexanda peregrina. Aut delectetur, addit, Deus forsan בְּרִבְבוֹת נַחֲלֵי־שָׁמֶן *myriadibus torrentum olei?* oleum intelligit, quod sacrificiis farreis quotidianis affundebatur, Levit. II, 1. 15. Hyperbole hoc loco est, ad significandam tantam olei abundantiam, quantum torrentes secum aquarum evolvunt; qualis Job. XX, 17. נַחֲלֵי דְבַשׁ וְחֶמְאָה *torrentes mellis et lactis.* LXX: ἢ ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων. Pronum est conjicere, pro χιμάρων scribendum esse χειμάῤῥων, quod hebraico נְחָלִים respondet, ipsumque in Theodoreto legitur. At repugnat non solum vetus latina versio, e Graeco facta, et ab Hieronymo h. l. retenta: *aut in multis millibus hircorum pinguium*; verum et Arabica أَوْ بِرِبْوَاتِ تُيُوسٍ سِمَانٍ. In codice Alexandrino pro χιμάρων est ἀρνῶν. Videtur Graecus interpres *torrentes* aut *valles pinguedinis*, seu *pinguium* sumsisse pro stabulis pecorum, pro quibus in vallibus et pascua plena sunt, et opportuna statio. Pascua vero, stabula, et si qua sunt hujus generis, pro *gregibus* sumi difficile non est. Sic sane sumsit Martialis *Epigr.* VIII, 28. *Iberum stabulum* pro Beticis gregibus, quorum lana commendata maxime. הַאֶתֵּן בְּכוֹרִי פִּשְׁעִי *Num dabo primogenitum meum pro scelere meo?* recte Hieronymus vertit, nam ante פִּשְׁעִי est בַּעֲבוּר subaudiendum. Nisi פִּשְׁעִי significet λύτρον *sceleris mei,* quum, uti e proximo חַטַּאת colligere licet, Hebraei piamenta *peccatorum* nomine appellare solerent. Ne primogenitis quidem filiis, ceteris liberis carioribus, si placatum sibi Deum illis reddere possint, se parcituros prae se ferunt. פְּרִי בִטְנִי חַטַּאת נַפְשִׁי Num dabo *fructum ventris mei,* natos meos (ut Deut. VII, 13. XXVIII, 4. Ps. CXXVII, 5.), piaculum pro *peccato animae meae?* חַטַּאת *victima pro peccato,* ut Levit. IV, 3. Non indecens existimabant, si Jovae devoverent liberos, quos ante deastris immolassent; vid. Ezech. XVI, 21. Hos. XIII, 2. et ibi not.

8. Re-

8. Refpondet propheta ad fuperiores interrogationes, docetque in quo maxime fpectari debeat verum placamen: non tam facrificia ab eis exigi, quam bene facta. הִגִּיד לְךָ אָדָם מַה־טּוֹב *Indicavit tibi, o homo!* fcil. Deus, *quid bonum* fit. Poteft et imperfonaliter verti: *indicatum tibi* eft, quafi fit הִגִּיד מַגִּיד לְךָ; cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. LX. et Storrii *Obfervatt.* p. 412. Non eft, inquit propheta, quod quaeratis, quid bonum fit, i. e. quid Deo gratum, et vobis profperum ac falutare; fatis enim a divinae voluntatis interpretibus, prophetis, vobis eft inculcatum. וּמָה־יְהוָה דּוֹרֵשׁ מִמְּךָ כִּי אִם־עֲשׂוֹת מִשְׁפָּט *Et quid Jova requirit a te, nifi judicium facere,* ut jus exerceas? quod tamen non ad judices tantum pertinet, fed latius patet, fignificatque tribuere cuique quod fuum eft, neminem laedere, fefe omnibus praebere aequum et innoxium, ut Jefaj. V, 7. Hof. XII, 7. וְאַהֲבַת חֶסֶד *Et amorem mifericordiae,* f. *benignitatis*, i. e. ut bene aliis faciatis, et aliorum bene merendo levetis miferiam. Ita et Hofeas VI, 6. *Benignitatem* f. pietatem *requiro, non facrificium.* וְהַצְנֵעַ לֶכֶת עִם־אֱלֹהֶיךָ *Et humiliare τὸ ambulare*, humiliter ambulare *coram Deo tuo*, i. e. ut Deo te humiliter fubjicias, eique res tuas committas, et ab eo folo pendeas, atque ex praefcripto ipfius vitam inftituas. Hieronymus: „Verbum *Esne* [הַצְנֵעַ], quod LXX transtulerunt *paratum effe* [ἕτοιμον εἶναι, quibus accedit Syrus, ܕܬܗܘܐ ܡܛܝܒ *ut fis paratus*], et nos diximus: *follicitum ambulare*, Theodotio fignificantius expreffit: *καὶ ἀσφαλίζου τοῦ πορεύεσθαι μετὰ Ἐλωαΐχ*, id eft, *et cave diligenter, ut ambules cum Deo tuo.* Sive, ut Quinta Editio transtulit, *καὶ φροντίζειν*, *agere* fcilicet *follicite*, et hanc habere curam, ut ambules cum Deo tuo.“ Hieronymi interpretationem probat J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2111., qui collato Arabico صنع *fecit*, quod peculiariter *de accurato ftudio, elaborando in re aliqua* ponitur, verba noftra fic vertenda putat: *elaborare eundo cum Deo*, id eft, follicite et caute coram Deo ire,

, omnia ejus praecepta fummo ftudio obfervare, *εὐσεβῶς* um colere. Nos tamen verbum הַצְנֵעַ, praeter hunc um in codice Hebraeo non obvium, Hebraeis potius *mo-ltum, fubmiffum fe gerere*, valuiffe, colligimus e Prov. , 2., ubi זָדוֹן, *fuperbiae*, opponuntur צְנוּעִים *modefti, mani.* Quo pertinet, quod Arabicum صنع in conju-tione tertia *conciliare fibi ftuduit, gratiam paravit,* notat, unde المصانع apud Abulfedam *Annal. Moslemm.* II. p. 42. funt *hofpitia* publica, a مصانعة *humanitate beneficentia* dicta, notante Reiskio ad eum locum. Et تصنّع Sadi in *Guliftan,* f. *Rofario* p. 28. ufurpat de *adu-tione.* Chaldaicum צְנִיעוּת eft *verecundia, modeftia;* vid. ca a Buxtorfio in *Lex. Chald.* p. 1929. allata. עִם h. l. t *coram,* ut Job. IX, 2. וּמַה־יִּצְדַּק אֱנוֹשׁ עִם אֵל *quomodo ftificaret fe homo coram Deo?* Vid. et Pf. LXXVIII, 37. Reg. XV, 14. Chaldaeus: וֶהֱוֵי צְנִיעַ לְהַלָּכָא בְּדַחֲלְתָּא דֶּאֱלָהָךְ *fis humilis ambulando in timore Dei tui.* Idem docet amuel 1 Sam. XV, 22. *Num placent Jovae ita hoftiae et acrificia, quam ejus dicto audientem effe? Obedientia ıelior eft facrificiis, et obtemperatio, adipe arietino.* Cf. t Deut. X, 12. 13.

9. Nullum Judaeis ignorantiae praetextum effe ait propheta, quia promifcue Deus omnes per voluntatis fuae nterpretes, prophetas, eos officii commonefaciat. קוֹל יְהוָה לָעִיר יִקְרָא *Vox Jovae urbi adclamat.* Non fufurrat Deus n aurem unius aut alterius, fed vult audiri ab omnibus vocem fuam. Chaldaeus: קָל נְבִיַּיָּא דַּיְיָ עַל קַרְתָּא מְכַלְּן *prophetae Jovae voce urbem inclamant.* לָעִיר *τῇ πόλει,* five *πρὸς τὴν πόλιν.* Articulo (eft enim contracte pro לְהָעִיר) vel innuitur Hierofolyma, quae *κατ' ἐξοχὴν civitas* dicebatur, quemadmodum Roma *urbs,* vel Samaria, quae regni Ifraelitici caput erat. Quidquid autem metropoli dicitur, ad ceteras quoque urbes pertinere merito creditur. Sunt, qui cum Jofepho Kimchio לָעִיר pro Infinitivo Hiphil verbi

עור

עֵר habeant, ut ſenſus ſit: clamat Deus *ad excitandum* eos, qui ſomno vitiorum oppreſſi ac ſopiti tenentur, ad poenitentiam. וְתוּשִׁיָּה יִרְאֶה שְׁמֶךָ *Et ſapiens videt nomen tuum,* i. e. te curat. Clamant quidem, inquit, prophetae, at ſoli ſapientes, et qui cordatiores ſunt, divina monita curant cordique habent. De תּוּשִׁיָּה *ſapientia, intelligentia,* vid. not. ad Job. V, 12. H. l. ponitur pro אִישׁ תּוּשִׁיָּה *viro ſapientiae,* i. e. intelligente, quemadmodum Pſ. CIX, 4. תְּפִלָּה *preces* pro אִישׁ תְּפִלָּה *viro precum,* precibus dedito, cf. not. ad eum loc. Jungitur vero nomen femineum verbo maſculino יִרְאֶה, quod ſenſus ratio habetur, non grammaticae nominis formae. Sapiens, inquit, ſolus יִרְאֶה שְׁמֶךָ *videt* et intelligit *nomen tuum,* i. e. te. Deum novit, qui ejus praeceptis obtemperat, et ex ejus praeſcripto vivit. *Nomen Dei* pro Deo ipſo, ut ſupra V, 3. Ita Latini, v. c. Vellejus Paterculus L. II. c. 69. *Vatinius,* inquit, *nulli nomini non praeferendus.* Ad quem locum Acidalius annotat: „*Nullum nomen* eſt *nemo.* Sic utique *nomen Romanum* pro Romanis, rem ut pro nomine intelligas.“ Plura vid. in J. A. Danzii *Interprete Ebraeo-Chald.* p. 57. not. edit. Tymp. תּוּשִׁיָּה *ſapientiam* notare obſervat quidem et Jarchi, ſed verba noſtra conciſe expreſſa vult pro eo quod plene eſſet: וְאֶת תּוּשִׁיָּה יִקְרָא נָבִיא אֲשֶׁר יִרְאֶה שְׁמֶךָ et *ſapientiam praedicat propheta, qui videt nomen tuum,* i. e. qui animum advertit, ut intelligat et videat vias tuas. Alii תּוּשִׁיָּה a יֵשׁ *ens, ſubſtantia,* putant *rem ipſam* ſignificare, et in Accuſativo capiendum, ut hoc modo ſit vertendum: *rem ipſam,* id quod res eſt, i. e. veram et ſinceram pietatem, *videt nomen tuum,* tu perſpectam habes; quae verba parentheſi includenda volunt: dubito an bene. Expreſſit tamen Rittershuſius. Eodem illo ſignificatu nomen תּוּשִׁיָּה videtur Steudel in d. *Archiv* T. II. p. 410. capere; ſed ita, ut *rem vaticinio praenunciatam* exitumque vaticinio reſpondentem intelligat, hoc ſenſu: vaticiniorum tuorum exitum ſolet nomen tuum, i. e. ſoles tu videre. Pro יִרְאֶה legitur יִרְאֵי in codicibus quatuor Kennicottianis

(in

(in quorum numero Regiomontanus posterior) et tribus Roſſianis in textu, nec non in tribus aliis Kennicottianis in margine. Idem exhibent raro conſenſu veteres omnes, etſi in ſenſu exprimendo inter ſe diverſi. LXX: *Καὶ σώσει τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομα αὐτοῦ* (לְיִרְאֵי שְׁמוֹ). Hieronymus: *et ſalus erit timentibus nomen tuum.* תּוּשִׁיָּה nonnumquam *auxilium, ſalutem* notare, obſervavimus ad Job. V, 12. Non dubitaremus, Hieronymi interpretationem noſtram facere, ſi לְיִרְאֵי שְׁמֶךָ in codicibus reperiretur. Chaldaeus: וּמַלְפַיָּא דָחֲלִין לִשְׁמָא *et doctores timent nomen Dei.* Jejune. Syrus: ܡܟܪܙ̈ܐ ܡܠܦܢܘܬܐ ܠܕ̈ܚܠܝ ܫܡܗ (vox) *quae praedicat doctrinam timentibus nomen ſuum.* יִרְאֵי pro יִרְאֶה probat T. C. Lilienthal in *Commentat. Crit. de Codd. Regiomontanis* p. 360. „Commodior," inquit, „ſecundum hanc lectionem totius dicti eſſe videtur ſenſus: *vox Jehovae ad urbem clamat, et realitatem timentes nomen tuum* ſcil. diſcent hac ratione, i. e. veram ſapientiam, quae falſis eorum de reconciliatione ſummi Numinis perſuaſionibus Vs. 7. 8. oppoſita eſt." Sed illam *realitatis* notionem, quae nomini תּוּשִׁיָּה tribuitur, commenticiam eſſe, recte monuit J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1167. Nec tamen quam ipſe adfert interpretatio, eo nixa, quod pro יִרְאֶה punctis vocalibus mutatis יֵרָאֶה legendum vult: *ſolatium adparet nomen tuum,* i. e. ipſum nomen tuum ſolatio eſt, aliis facile probetur. Haud minor interpretum diſcrepantia deprehenditur in explicando hemiſtichio altero: שִׁמְעוּ מַטֶּה וּמִי יְעָדָהּ. LXX: *Ἄκουε φυλή, καὶ τίς κοσμήσει πόλιν;* Et, qui eos imitatur, Arabs: اسمع ايّها السبط فانّه يزيّن كثيرًا ليس نار *audi, o tribus! Nam ipſe multum ornat, non ignis.* Quod Hieronymus ita explicat: „Tribus Samaritica vocatur ad audiendum, quae ſe abſcidit a populo Dei. Et dicitur illi: fruſtra fabricaris idola, aureos vitulos artifici componis manu, et ad imitationem

tionem Jerusalem vis aliam metropolim exstruere: quis enim ornare poterit civitatem? Num ignis, qui ardentibus diaboli jaculis succenditur, et domus iniqui etc. (Vs. 10.)?" Graecum interpretem apparet מַטֶּה significatione *tribus, familiae* accepisse, quomodo sane usurpatur Num. II, 5. 7. Jos. XX, 8. de tribubus populi Hebraei, ut synonymum שֵׁבֶט. Verbum יְעָדָהּ vero retulit ad עָדָה *ornavit*, Ezech. XVI, 11. XIII, 40., suffixum femininum vero ad עִיר hemistichio priori expressum. Hieronymus: *audite tribus, et quis approbabit illud?* quasi queratur vates, se ad surdas aures loqui, neminemque e tanto numero suis monitis obtemperare. Verum *approbandi* notio verbo יָעַד ab Hieronymo tributa illi plane est aliena. Syrus: ܫܡܥܝ ܫܒܛܐ ܠܡܢ ܕܡܣܗܕ *audi, o tribus, eum qui contestatur*, i. e. prophetam. Retulit יְעָדָהּ ad עוּד, הֵעִיד *contestari, cohortari.* Chaldaeus: שְׁמַע מַלְכָּא וְשִׁלְטוֹנָא וּשְׁאָר עַמָּא אַרְעָא *audi, rex et princeps, residuusque terrae populus.* מַטֶּה cepit pro *sceptro, rege*, ut Jerem. XLVIII, 17. מַטֵּה־עֹז *baculus* s. *sceptrum roboris* est Moabi regnum validissimum. Pro וּמִי יְעָדָהּ autem conjici possit eum וְעֵדָה *et coetus*, i. e. populus legisse; cf. Exod. XVI, 22. נְשִׂיאֵי עֵדָה *principes coetus*, populi. Jarchi: „Inclinate aurem et *audite virgam* poenae, quae vos castigabit, de qua prophetae vos praemonent, et audite *quis* ille sit, qui *testificetur* de *illa* poena, an potestas penes ipsum existat, id implendi, quod ipse (Deus) decernat." Jarchio adstipulantur Aben-Esra et Kimchi, qui מַטֶּה figurate de *poena* intelligunt, quomodo sane indubitate Jesaj. X, 5. Ezech. VII, 10. sumitur. יָעַד est *constituere, destinare*, ut 2 Sam. XX, 5. מוֹעֵד אֲשֶׁר יְעָדוֹ *tempus quod destinaverat.* Suffixum femininum ad מַטֶּה est referendum, quod licet aliis locis in singulari numero masculinum est, in plurali tamen terminatione feminea (מַטּוֹת) occurrit Num. XVII, 22. 24. Unde Aben-Esra utriusque generis illud autumat, uti nomina plura alia. Alii suffixum femineum referunt ad גְּזֵרָה *decretum*, aut רָעָה *malum*, aut aliud simile, quod

in dictione tropica מַטֶּה latere volunt. Similia exempla vid. in H. B. Starkii *Luce Grammat. Hebr.* p. 484. edit. Bossek. Vel suffixum neutraliter sumi potest: audite et advertite, *quis constituerit illud*, quod per virgam significatur. Quidquid horum sumas, sententia concinna erit: videte, quae mala vos maneant, et a quo.

10. עוֹד הַאִשׁ בֵּית רָשָׁע אֹצְרוֹת רֶשַׁע *Suntne adhuc in domo impii thesauri impietatis?* impie et per nefas parati? Propheta quasi de re prodigiosa interrogat: qui fieri potest, ut adhuc maneant thesauri ex rapinis et sceleribus collecti, quum toties admoniti sitis, et Deus vos quotidie ad resipiscentiam sollicitet? אִשׁ pro יֵשׁ *est*, *exsistit* positum esse, quod cum Chaldaico et Syriaco אִית convenit, quo et h. l. Chaldaeus est usus, recte Jarchi aliique Hebraei interpretes observarunt. Ita et 2 Sam. XIV, 19. *Ita vivat Rex!* אִם־אִשׁ לְהֵמִין וּלְהַשְׂמִיל מִכֹּל אֲשֶׁר־דִּבֶּר אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ *non est ad dextram aut sinistram abeundum ab omni quod dominus meus, rex, dixit*, i. e. plane ita res sese habet, uti rex dixit. Bene ad nostrum locum observat Ludov. de Dieu: „Assentor iis, qui vertunt: *adhucne sunt in domo impii thesauri impietatis?* אִשׁ pro יֵשׁ, Aleph pro Jod, non inepte ponitur, quia quotiescunque Jod sub se habet Chirec, Hebraei ac Syri non pronunciant illud ut Jod consonans, sed ut Aleph: non enim יִשְׂרָאֵל pronunciant *Jisrael*, sed *Israel*, אִשְׂרָאֵל, unde et apud Syros scribitur ܐܝܣܪܐܝܠ אִיסְרָאִיל. Sic Syri suum יְתֵב *sedit* pronunciant ut אִתֵב, quare et in Futuro scribunt נֵאתַב *sedebit* pro נִיתַב. Similiter pro Hebraeorum יֵשׁ, *est, sunt*, Syri dicunt אִית, praeposito Aleph, in cujus Chirec Jod quiescit, at שׁ pro more mutato in ת." Et ipsum הֲיֵשׁ nostro loco exstat in codice Kennicottiano numero 201 signato, antiquissimo, judice Kennicotto, quippe ineunte seculo XII. exarato, et praestantissimo. Ante בֵּית subaudiendum ב *in*, ut Hos. VI, 9. ante דֶּרֶךְ, vid. ibid. not. בְּבֵית legitur in uno codicum Kennicottianorum, nec non in uno de-Rossii a prima manu, et

in alio quodam penes eundem codice ad marginem notatur: ס״א בבית, i. e. in aliis libris legitur בבית. In quinque Kennicotti codicibus atque duobus Roſſianis, item in duobus aliis a prima manu pro אֹצְרוֹת exſtat וְאֹצְרוֹת, quod ipſum et Syrus expreſſit, quod ſi ſequaris vertendum erit: *adhucne exſtat domus impii? exſtantne theſauri impietatis?* Cf. Prov. X, 2. לֹא יוֹעִילוּ אוֹצְרוֹת רֶשַׁע *nihil proſunt inique parta.* LXX: Μὴ πῦρ καὶ οἶκος ἀνόμου θησαυρίζων θησαυροὺς ἀνόμους (pro עוֹד, initio Verſus, legerunt עִיר, quod ad ſuperioris Verſus finem traxerunt). E quibus verbis tolerabilem ſenſum vix exſculpas. Patet tamen, pro הַאִשׁ interpretem הָאֵשׁ legiſſe, uti et Syrus: ܕܬܘܒ ܢܘܪܐ ܒܥܘܠܗ ܘܣܝܡܬܐ *quod iterum ignis in domo impii, et theſauri iniquitatis.* Nec non Hieronymus: *adhuc ignis in domo impii, theſauri iniquitatis.* Theſauros inique partos comparari exiſtimavit igni, qui domos iniquas, multorum ſcelerum officinas, in favillas rediget. הָאֵשׁ exhibet inter codices Roſſianos unus (715, ſeculo XII. exeunte, vel ineunte XIII. exaratus), et in duobus aliis ſeculi XV. eſt הָאִשׁ. J. D. Michaelis in *Bibl. Orient.* T. XX. p. 182. aliter distinctis literis legendum cenſet עוֹדָה אֵשׁ *pertranſit*, i. e. conſumit *ignis aedes injuſtorum.* עוֹדָה ei eſt Participium verbi עָדָה, Chaldaeis *transeundi* ſignificatu uſitatum. Gusſetius in *Commentar. Ling. Hebr.* ſub radice ישה lit. C. D. noſtrum אִשׁ ſtatum conſtructum nominis אֵשׁ *ignis* arbitratur, quemadmodum interdum a בֵּן, *filius*, in ſtatu conſtructo eſt בִּן, et חִין Job. XLI, 4. pro חֵן *gratia.* Hinc totius Verſus ſenſum hunc facit: *Adhuc*, hoc etiam momento, poſt tales admonitiones, *an ignis domus improbae, theſauri iniquitatis, et Epha parca indignationis objectum eſt?* „Per primum illud," inquit, „ignis domus improbae malum intelligi poſſunt fornicationes et adulteria. Haec ſcilicet cauſaliter dicuntur eſſe ignis, Job. XXXI, 12., כִּי אֵשׁ הִיא, et eadem mente comparantur cum igne et pruna exurente Proverb. VI, 26. 27. 28. Vel ſi hoc genere

cri-

criminis reos Iſraelitas cauſaliter ſupponere vereris, ſunto ipſi theſauri male parti, falſaque menſura, ſunto, inquam, ille ignis, quo domus improborum conſumuntur. Et praemittatur ille titulus *ignis* tanquam iis (per nominum appoſitionem) attributus, ut praeparatio ad minas ſubſequentes, easque eleganter ſimul et graviter involvens. Attamen quia 1) punctuatio inſueta eſt, et ideo illam reſtituere fas eſt ſecundum literas; et 2) interrogatio hic non decet, ſed declaratio criminis certi; ideo pro הַאִשׁ malo legere הָאֵשׁ, *adhuc ignis eſt domi* (ב locali ſubaudito de more) *injuſti, theſauri* (ſcil.) *injuſtitiae, et Epha maciei* (h. e. fallendo emacians plebem), *qui indignationem excitat.*" In pluribus codicibus et libris typis exaratis legitur האיש, quod ſequutus Aben-Esra noſtrum Verſum ita exponit: *vir illuſtris* in civitate *adhuc* ſuam retinet impietatem, audita voce admonitionis; ſunt in *domo impii theſauri impietatis.* Cepit אִישׁ de viro illuſtri, ἀντιδιῃρημένως a plebejis, ut Pſ. XLIX, 2. Sed plura Aben-Eſra plane arbitrario textui inſerit. Neque Guſſetii tentamina ſua ſeſe facilitate atque concinnitate commendent. וְאֵיפַת רָזוֹן *Et* eſtne adhuc in domo improbi *Epha maciei*, i. e. menſura nimis macra, juſto minor, ad defraudandum alios, oppoſita אֵיפַת צֶדֶק *Ephae juſtae*, Levit. XIX, 36., aut אֵיפָה שְׁלֵמָה *Ephae integrae*, Deut. XXV, 15. זְעוּמָה *deteſtanda*, quam Deus deteſtatur, ut Prov. XXII, 14. זְעוּם יְהוָה dicitur *cui Deus ſuccenſet.* Chaldaeus: וּמְכִילָן דִשְׁקַר מַיְתִין לוּט *et menſurae iniquitatis adducunt maledictionem.* Cf. Prov. XX, 23. *Jovae inviſa ſunt disparia pondera; fraudulenta trutina res non eſt bona.* Nec non XI, 1. *Fraudulentam trutinam abominatur Jova.*

11. הַאֶזְכֶּה בְּמֹאזְנֵי רֶשַׁע *An purus ero cum bilancibus improbis?* Haec dici plures putant in perſona plurali, hoc ſenſu: quisque veſtrum cogitare deberet apud ſe et expendere: *an purus ero*, utendo *bilancibus improbis?* Quomodo tamen juſto plus textui inſertur. Sed iis quae antecedunt et ſequuntur magis congruit, Deum loquentem

induci, hoc ſenſu: *an purus ero,* i. e. an purum et ſanctum numen eſſe et haberi poſſem, *cum bilancibus improbis,* ſi bilancia fraudulenta adhiberi impunite admitterem? Pro Dei verbis haec habuit et Hieronymus, ſed minus accurate vertit: *numquid juſtificabo* (propr. *puram declarabo*) *ſtateram impiam?* Nam Cal, cujus Futurum eſt אֶזְכֶּה, nusquam transitive ſumitur. Cf. Pſ. LI, 6. לְמַעַן תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ *ut purus ſis cum judicaris.* Nec ſenſum ſatis recte expreſſit Chaldaeus: הֲיִזְכּוּן בְּמוֹזְנָן דִּרְשַׁע *nunquid juſti habebuntur in ſtateris impietatis?* nec Syrus: ܐܝܟܢܐ ܢܙܕܕܩܘܢ ܒܡܣܐܬܐ ܕܥܘܠܐ *quomodo juſtificarentur cum ſtatera iniquitatis?* מֹאזְנֵי רֶשַׁע *Bilances improbae* vocantur, quae alias, ut Hoſ. XII, 8. Amos VIII, 5. מֹאזְנֵי מִרְמָה *bilances fraudulentae,* quia qui eis utitur improbe facit; ut cum mercator alia lance vendit merces, alia emit. וּבְכִיס אַבְנֵי מִרְמָה *Et* an purus ero *cum ſacculo lapidum doli?* crumena, in qua ſunt pondera doloſa, fraudulenta? *Pondera* Hebraei dicuntur *lapides,* talibus enim utebantur in venditione et rerum permutatione, uti apparet e Deut. XXV, 13. לֹא־יִהְיֶה לְךָ בְּכִיסְךָ אֶבֶן וָאָבֶן גְּדוֹלָה וּקְטַנָּה *Ne ſit tibi in ſacculo tuo duplex pondus, magnum et parvum.* Hinc Prov. XXI, 11. אַבְנֵי־כִיס *lapides crumenae* ſunt pondera in crumena adſervari ſolita. Vid. et Prov. XX, 10. Chaldaeus: וּבְכִיס דְּבֵיהּ מַתְקְלִין רַבְרְבִין וְזַעְרְקִין *et cum ſacculo, in quo ſint pondera magna et parva,* magna, ſi ſibi, parva, ſi aliis appendatur. Syrus: ܘܒܟܝܣܐ ܕܡܬܩܠܐ ܕܢܟܠܐ *et cum marſupio ponderum fraudulentorum.*

12. אֲשֶׁר עֲשִׁירֶיהָ מָלְאוּ חָמָס *Quia divites ejus pleni ſunt,* ſcatent, *violentia.* Sunt, qui אֲשֶׁר jungant ſuffixo, ad עֲשִׁירֶיהָ, ut ex idiotismo Hebraeae linguae eique cognatarum vertendum ſit, *cujus divites pleni ſunt violentia.* Verum praeſtat, אֲשֶׁר cauſaliter ſumere pro *quia,* ut Geneſ. XXXI, 49. וְהַמִּצְפָּה אֲשֶׁר אָמַר *et Mizpam* vocavit Laban locum quendam, *quia dixerat: ſpeculetur Jova te inter*

et

et me. Deut. XXIII, 5. וַאֲשֶׁר שָׂכַר עָלֶיךָ אֶת־בִּלְעָם *et quia conduxit contra te Bileamum.* Exempla plura ejusdem ufus vocis אֲשֶׁר vid. in Noldii *Concordantt. Particular.* p. 100. num. 13. Continuat Nofter explicare cauffam, ob quam immittenda Judaeis fit virga Dei, Vs. 9. Hic vero Verfus cum proximo 13. ita cohaeret, ut prior protafin, alter apodofin conftituat. Propheta fignificat, populum ita deditum effe avaritiae et rapinis, ut quicquid coacervarunt opum, hoc totum conflatum fit ex injuftis praedis. עֲשִׁירֶיהָ *Divites ejus*, urbis Hierofolymae, עִיר, Vs. 9., ut ftatim et Vs. 16. יֹשְׁבֶיהָ *incolae ejus.* Alloquitur vero cives Hierofolymae, regni capitis, qui quum aliis exemplo fuo praeire deberent, reliquum populum fceleribus fuperabant. מָלְאוּ חָמָס *Pleni funt*, fcatent *violentia*, fcil. fignificatu activo, quam aliis inferunt, de qua faepe vates queritur, veluti fupra II, 1. 2. 8. 9. III, 2. 3. Alii fub חָמָס intelligunt opes violentia et iniquitate partas, quibus *divites* pleni dicantur, pro *domibus eorum,* figura loquendi neque Latinis inufitata. Ita apud Plautum in *Sticho* Act. V. Sc. 1. Vs. 8. *Cadum modo hinc a me* (i. e. a domo mea) *huc cum vino transferam.* Nec non in *Milite Glor.* Act. II. Sc. III. Vs. 68. *Scin' tu nullum commeatum hinc esse a nobis?* i. e. a domo noftra. Hunc fenfum expreffit Chaldaeus: דְעַתִּירָהָא מָלָן אוֹצְרֵיהוֹן חֲטוֹף *quia divites ejus* (urbis) *replent thefauros fuos rapina.* Syrus autem: ܕܥܬܝܪܘܗܝ ܡܠܝܢ ܥܘܠܐ *quia divites ejus pleni funt oppreffione.* וְיֹשְׁבֶיהָ דִּבְּרוּ־שָׁקֶר *Et incolae ejus loquuntur mendacium,* falfum, nulla apud eos eft finceritas, nulla rectitudo, dediti funt prorfus fraudibus et dolis. יֹשְׁבִים *Incolae* reliqui, praeter עֲשִׁירִים, pauperes; tales enim quia vi nihil poffunt, utuntur dolis ac fraudibus. וּלְשׁוֹנָם רְמִיָּה בְּפִיהֶם *Et lingua eorum* eft lingua *fraudis* (vid. not. ad Pf. CXX, 2.), fraudulenta *in ore eorum.* Vel: *quod ad linguam eorum attinet, fraus* eft *in ore eorum.* Simulatque os aperiunt ftatim produnt fallacias; non eft, quod quisquam ab iftis hominibus exfpectet veritatem vel fidem.

13.

13. Incipit jam declarare, quae ſit *virga* illa, ad cujus annunciationem ſupra Vs. 9. attendi juſſerat. וְגַם אֲנִי הֶחֱלֵיתִי הַכּוֹתֶךָ *Itaque* (pendet enim hic Verſus ab אֲשֶׁר Vs. 12., vid. ad eum not.) *aegritudine afficiam percutiendo te.* וְגַם־אֲנִי *Et etiam ego,* i. e. viciſſim ego te malis afficiam, quemadmodum tu aliis aegritudinem attuliſti fraudando et opprimendo eos. הֶחֱלֵיתִי Coccejus pro הִתְחַלֵּיתִי *infirmavi me* poſitum putat, ut cum voce proxima הַכּוֹתֶךָ vertendum ſit: *fatigatus ſum te percutiendo.* Verum congruus ſenſus erit, ſi verbum illud transitive capias: *infirmabo percutiendo te,* i. e. te feriam ita, ut infirmum, aegrum reddam. Ita Jeſaj. LIII, 10. *Jova eum conterere voluit,* הֶחֱלִי *infirmum reddidit,* ſ. aegritudine affecit. Et Hophal 1 Reg. XXII, 34., ubi Joſaphatus vulneratus dicit: *educ me e caſtro,* כִּי הָחֳלֵיתִי *nam infirmus factus ſum* vulnere. Cf. Piel ejusdem verbi Deut. XXIX, 21. *Cum viderit* אֶת־תַּחֲלֻאֶיהָ *morbos ejus* terrae, incolarum terrae, אֲשֶׁר־חִלָּה יְהוָה בָּהּ *quibus Jova eam infirmam reddidit.* Verbum finitum הֶחֱלֵיתִי regit Infinitivum cum ſuffixo (הַכּוֹתֶךָ), ut Pſ. XXXIII, 3. הֵיטִיבוּ נַגֵּן *benefacite pulſare,* ſ. *pulſando,* i. e. bene pulſate. Plura exempla vid. in Buxtorfii *Theſ. Grammat.* L. II. C. XVI. Reg. I. Utraque quae hic uſurpatur imago exſtat et Jeſaj. I, 5., ubi *percutere* de Deo tanquam actus, *infirmitas* vero vel *morbus* de populo tanquam effectus dicitur. Eſt autem Praeteritum hic pro Futuro, quod docent Futura, quae ſequuntur, et contextus. Plagas enim non praeteritas narrat, ſed futuras comminatur. Chaldaeus: וְאַף אֲנָא אַיְתֵיתִי עֲלָךְ מְרַע וּמְחָא *ego quoque adduxi contra te infirmitatem et plagam.* At LXX: Καὶ ἐγὼ ἄρξομαι τοῦ πατάξαι σε. Hieronymus: *et ego erga cepi percutere te.* Syrus: ܐܦ ܐܢܐ ܐܫܪܐ ܠܡܡܚܝܘܬܟ *ego etiam incipiam percutere te.* Legerunt הַחִלֹּתִי *incepi* (Deuter. II, 31.) pro הֶחֱלֵיתִי, quod repetendum ante alterum hemiſtichium: הַשְׁמֵם עַל־חַטֹּאותֶךָ aegritudine te afficiam *devaſtando,* deſolationem tibi inferendo, *propter peccata tua.* Chaldaeus: אֲצַדְּנָךְ עַל דְּחַטְתָּא *deſtruam te propterea quod peccaſti.*

14.

14. Magis declarat, quodnam sit futurum supplicium quod impiam illam hominum et fraudulentiam avaritiam exspectat. אַתָּה תֹאכַל וְלֹא תִשְׂבָּע *Tu quidem comedes, sed non satiaberis*, aut quia parcus erit cibus, ut famem non solum non expleat, sed potius excitet, aut quia cibo Deus auferet nutriendi atque roborandi facultatem, quemadmodum est inter minas Levit. XXVI, 26. בְּשִׁבְרִי לָכֶם מַטֵּה־לֶחֶם *quum fregero vobis scipionem panis*, alendi facultatem pani ademero, וַאֲכַלְתֶּם וְלֹא תִשְׂבָּעוּ *tum comedetis, non tamen saturabimini.* Eadem leguntur Hos. IV, 10. Hagg. I, 6. וְיֶשְׁחֲךָ בְּקִרְבֶּךָ *Et depressio tua erit in medio tui*, in terra tua, i. e. etiamsi tibi nulli exteri hostes sint, tamen intestinis malis plane conficieris, ut non amplius elate incessurus sit, ut supra II, 3. dicitur. Nomen יֶשַׁח Hebraei plerique cum Kimchio, nec non Hieronymus, qui *humiliatio tua* vertit, referunt ad יָשַׁח, quod ejusdem significationis cum שׁוּחַ, שָׁחָה et שָׁחַח existimant, quae verba *deprimi, humiliari* notare constat. Ita, Kimchio observante in Commentario ad h. l., יֶשְׁחֲךָ erit a יָשַׁח formatum, ut יִשְׁעֲךָ *salus tua*, Ps. LXXXV, 8. In Grammatica vero eidem Kimchio nostra vox est Hiphil verbi שָׁחָה, *deprimet te*, pro וְיַשְׁחֲךָ, uti a פָּרָה est וְיַפְרְךָ *et fructuosum reddat te*, Genes. XXVIII, 3.; sub Jod vero Segol hic positum censet loco τοῦ Patach. Praestat tamen ut nomen capere. Alii *depressione* intelligunt *languorem, morbum.* Ita Chaldaeus: וִיהֵי לָךְ לְמַרַע בִּמְעָךְ *et erit tibi cibus in infirmitatem in visceribus tuis.* Syrus: ܘܡܟܪܘܬܐ ܬܗܘܐ ܒܓܘܟ *et dysenteria erit in medio tui.* Quam utramque interpretationem post C. B. Michaelem ejus filius, J. D. Michaelis, confirmare posse putat harmonico وَسِخَ *spurcum* vel *purulentum esse*, unde وَسَخٌ *sordes.* Et posterior quidem in *Supplemm.* p. 1170. scribit: „Descriptio magnae famis, ubi male sanis cibis, acerbis fructibus, ventrem implent, unde morbi viscerum, dysenteriae.“ Simonis in Lexico nostrum יֶשַׁח literarum trajectione retulit ad

Ara-

Arabicum وحش, quod in quarta conjugatione denotat: *fame exinanitus, famelicus fuit*, in *quinta, inani ventre fuit prae fame;* hinc verti posset: *inania sunt omnia in medio tui*, i. e. in ventre tuo. LXX: *Καὶ σκοτάσει ἐν σοί, caligabit in te*, quasi pro וישחך legissent וְיֶחְשַׁךְ. Sententia minus concinna. וְתַסֵּג וְלֹא תַפְלִיט *Et semovebis quidem*, i. e. conaberis tuos tuaque e periculo salvare, occultando, vel ad tutiora loca ducendo, *nec* tamen *evadere facies*, salvabis ad loca tuta. Verbum נָסַג (cum Samech scriptum) in Hiphil constanter *amovendi, semovendi* significatu usurpatum deprehenditur. Sed הִשִּׂיג (cum Sin scriptum) *apprehendendi* notionem obtinet, quam praeter LXX (qui verterunt: *καὶ ἐκνεύσει, καὶ οὐ μὴ διασωθῇς*, quod Arabs reddidit: وَتُطْرَدُ وَأَنْتَ لَا تَتَخَلَّصُ *et expelleris, et tu non evades*) veteres omnes h. l. exprimunt. Aquila: *καὶ καταλήψῃ, καὶ οὐ μὴ διασωθῇς.* Symmachus: *καὶ ἥξεις, καὶ οὐ μὴ διασωθῇς.* Hieronymus: *et apprehendis et non salvabis.* Chaldaeus: וְתַדְבֵּיק וְלָא תְשֵׁזֵב *et assequeris et non eripies.* Syrus: ܘܬܕܪܟ ܘܠܐ ܬܦܨܐ *et assequeris, sed non servabis.* Porro ותשג cum Sin exhibent quoque Biblia Bombergiana Venetiis annis 1517. fol. et 1518. in quat. edita ad marginem, ut in codicibus nonnullis exstans. Quod si sequaris, sensus hic erit: etiamsi apprehenderis liberos vel cognatos tuos, aut opes tuas ab hostibus direptas, non tamen tibi vindicare poteris. Ita Jarchi: „Apprehendes tu, pater, filium, sed non poteris salvare eum a captivitate." Aben-Esra, et post eum Kimchi, haec verba exponunt de abortientibus mulieribus hoc modo: *apprehendet* uxor semen injectum, *sed non emittet* foetum vivum et incolumem, i. e. concipiet uxor tua, sed non pariet. Et *peperit* sane verbum פִּלֵּט (Piel) denotat Job. XXI, 10., ad quem loc. vid. not. Eam interpretationem probat Grotius, qui observat, solere prae fame aut foedis alimentis abortire mulieres. Sed aegre is sensus e verbis Hebraeis exsculpitur; plana contra sententia est, quam indicavimus: *amovebis*

res

res tuas pretiosas, et propinquos tibi charos a conspectu hostium, *sed non liberabis*, וַאֲשֶׁר תְּפַלֵּט לַחֶרֶב אֶתֵּן, *quod autem liberaveris, gladio tradam*, si quos etiam tuorum liberaveris, non tamen effugient servati ensem hostilem.

15. אַתָּה תִזְרַע וְלֹא תִקְצוֹר *Tu seres, nec tamen metes*, sive ob sterilitatem terrae immittendam, coll. Hagg. I, 6. *seritis multum, et infertis parum*, et Jerem. XII, 13. *quum seminaverint triticum, spinas metent*; sive quod hostes messuri aut vastaturi eam sunt. Ita Virgilius *Ecl.* I, 70. 71.

Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en! queis consevimus agros!

Hausit haec Michas e comminationibus, quae Levit. XXVI, 16. leguntur: *Seminabitis frustra semen vestrum, comedentque illud inimici vestri.* Deut. XXVIII, 33. *Fructum terrae tuae, et omnem laborem tuum absumet populus, quem non novisti.* אַתָּה תִדְרֹךְ־זַיִת *Tu calcabis*, calcando exprimes *olivas*; oleo enim ex olivis premendo aeque quam musto ex uvis, torcularia adhibita, coll. Joel II, 24. Job. XXIV, 11., et Celsii *Hierobot.* P. II. p. 346. sequ. וְלֹא תָסוּךְ שֶׁמֶן *Nec* tamen *unges* te *oleo*, ut Deut. XXVIII, 40. *Oleae erunt tibi in toto termino tuo, sed oleo non unges te, quia* oleas *dejiciet oliva tua.* Olei frequentissimus usus apud veteres, quod adhibebant vel propter luxum, ut in conviviis, vel sanitatis causa, ut in balneis et unguentis medicis, vid. Jesaj. I, 6. et ad eum loc. not. וְתִירוֹשׁ וְלֹא תִשְׁתֶּה־יָּיִן *Et mustum* scil. ex uvis exprimis (quod in praecedente תִדְרֹךְ latet), *sed non bibes vinum.* Chaldaeus: וְתַעֲצַר עֲנָבִין וְלָא תִשְׁתֵּי חֲמַר *et calcabis uvas, sed vinum non bibes.* Syrus: ܘܬܥܨܘܪ ܚܡܪܐ ܘܠܐ ܬܫܬܐ *et vinum exprimes, sed non bibes.* Ita Deut. XXVIII, 39. *Vineas conseres et coles; sed vinum non bibes neque comportabis, quia absument illas vermes.* Unde Amos V, 11. *Vineas desideratissimas consevistis, sed non bibetis vinum earum.*

16. Tot ac tanta mala, inquit Deus, meo populo contingent non tantum ob mores summopere corruptos,

Vs.

Vss. 11. 12. taxatos, verum potiſſimum ideo, quod perfide a me, Deo ſuo, deſciverit ad idola, nec ullo modo ab hac impietate ſe abduci patitur: וְיִשְׁתַּמֵּר חֻקּוֹת עָמְרִי *nam obſervat ſtatuta Omri*, regis Iſraelitici, qui omnibus anteceſſoribus ſuis pejor, et cultus ſuperſtitioſi ſtator inſignis fuit, vid. 1 Reg. XVI, 25. 26. Cf. Hoſ. IV, 10. *Comedentes non ſaturabuntur, ſcortantes non erumpent* in multitudinem, *quia Jovam deſierunt obſervare.* Alii cum antecedentibus haec ita connectunt: tot malis vexati tamen perſeveratis in impio cultu. חֻקּוֹת h. l. ſenſu malo de inſtitutis moribusque pravis atque ſuperſtitioſis dicitur, ut Levit. XX, 23. Jerem. X, 3. יִשְׁתַּמֵּר propr. *obſervanda ſibi ſumſit*, vel *aſſidue obſervat* unusquisque. Hithpael reciprocam notionem habet, ut Pſ. XVIII, 24., etſi paullo alio flexu ac h. l., וָאֶשְׁתַּמֵּר מֵעֲוֹנִי *et cuſtodiebam me a peccato meo*, cavebam mihi a peccatis. Gussetius: „וְיִשְׁתַּמֵּר *excitatio mutua facta fuit ad ſervanda ſtatuta Omri, et opus domus Achab*, ſingulari numero vel ut imperſonale, vel eo more, quo verbi nominibus praemiſſi nec genus nec numerus ſolet attendi. Iſta autem ſignificatio τοῦ Hithpael: *fecit alius alium ſervare ſtatuta*, ſimilis eſt huic 2 Reg. XIV, 8. נִתְרָאֶה פָנִים *faciamus alter alterum conſpicere facies noſtras.*" Storr in *Obſervatt.* p. 382. vertendum cenſet: *obſervantur ſtatuta Omri et opus domus Achabi*, יִשְׁתַּמֵּר poſito pro תִּשְׁתַּמֵּרְנָה, per generis et numeri enallagen, qualis ſupra II, 6. in יִסַּג כְּלִמּוֹת, ad quem loc. vid. not. „Quamquam," inquit Storr, „h. l. verbum ſingulare maſculinum etiam alterius nominis מַעֲשֵׂה, tanquam dignioris numerum et genus ſequi poſſet. Ceterum *ſyriaca* exempla *maſculini ſingularis* ad ſequens nomen *plurale femininum* ſpectantis reperies Marc. XIII, 28. [ܡܐ ܕܪܟܟ ܣܘܟܘܗܝ *quum tener factus eſt rami ejus*, i. e. teneri facti ſunt rami ejus]." LXX: *Καὶ ἀφανισθήσεται νόμιμα λαοῦ μοῦ, καὶ ἐφύλαξας τὰ δικαιώματα Ζαμβρί.* Ita legitur in codice Romano et Alexandrino, eademque accurate expreſſit interpres Arabicus.

cus. Verum duplicem verborum hebraeorum interpretationem graecam in unam coaluiſſe, inde apparet, quod Hieronymus ut Graecae Alexandrinae verſionis verba haec tantum latine adfert: *et diſſipabuntur legitima populi mei,* „pro quo,“ inquit in Commentario, „nos poſuimus propter ſermonis conſequentiam: *et cuſtodiſti praecepta Amri,* licet et in Hebraeo ſcriptum ſit: *et cuſtodita ſunt praecepta Amri et omnia opera domus Achab.* Si enim in Hebraeo ſcriptum eſſet *Ammi* [עמי], recte LXX transtuliſſent *populi mei;* nunc vero quum ſcriptum ſit *Amri* [עמרי], et *Res* litera addita, non *populi* nomen, ſed patrem Achab ſonat, de quo Regum narrat hiſtoria, errorem eſſe, nulli ambiguum eſt.“ Unde colligitur, genuinam τῶν LXX interpretationem his tantum verbis contineri: *καὶ ἀφανισθήσεται νόμιμα λαοῦ μου,* cetera eſſe gloſſema, ſatis vetuſtum tamen, quippe quod non ſolum duo antiquiſſimi codices, Romanus et Alexandrinus, verum et Cyrillus, Theodoretus et Arabicus interpres exhibent. Ceterum Graecus interpres pro וישתמר חקות עמרי mendoſe legit: וישתמד חקות עמי, hebraeum נִשְׁמַר et הִשְׁמִיד graeco *ἀφανίζεσθαι* ſaepius expreſſit; loca dabit Trommius. וְכֹל מַעֲשֵׂה בֵית־אַחְאָב *Et omne opus domus Achabi* obſervat unusquisque veſtrum, quicquid domus Achabi in rebus ad religionem pertinentibus inſtituit. Achabus autem, Omri filius, vitulis aureis non contentus, Baaliticum cultum, inſtigante Jeſabele, addidit, 1 Reg. XV, 30. ſeqq. „*Domum* Achabi,“ inquit Grotius, „recte dicit, quia poſteritas ejus easdem vias inſtitit, ob id per Jehum exciſa.“ וַתֵּלְכוּ בְּמֹעֲצוֹתָם *Et ambulatis in conſiliis eorum,* quid Omri et Achab vobis ſuaſerunt, id feciſtis; ſequuti eſtis conſilia eorum. Sunt, qui hemiſtichium hoc prius in Futuro vertant: *et cuſtodientur ſtatuta Omri,* q. d. nihilominus tamen propter omnes ultiones iſtas non convertemini, nec reſipiſcetis, quin potius per omnia imitabimini impietatem et mores perditos duorum illorum regum Iſraeliticorum, meis praeceptis deſertis. Sed melius fluit oratio, ſi in Praeſenti vertamus, ſequitur enim: לְמַעַן

תתי

תִּתִּי אֹתְךָ לְשַׁמָּה *ut darem te in desolationem*, quibus verbis non hoc vult: *ideo hoc fecisti, ut in desolationem te redigerem;* sed: *ideo in desolationem te redigam, quia hoc fecisti.* לְמַעַן h. l. est τελικὸν, eventum significans, ut Graecum ἵνα, cf. not. ad Amos II, 7. Eo, inquit, rem deduxisti, o stulta et proterva civitas, ut jam statuerim te funditus delere. וְיֹשְׁבֶיהָ לִשְׁרֵקָה *Et ut incolas ejus sibilo* traderem; idque consequutus es, ut te funditus delendam aliis derisui ac sibilo exponerem. Ita 2 Paral. XXIX, 8. וַיִּתְּנֵם לְשַׁמָּה וְלִשְׁרֵקָה *tradidit eos desolationi ac sibilo.* Sibilare enim gestus est irridentium et subsannantium. Thren. II, 15. *Plaudunt super te manus suas omnes viatores,* שָׁרְקוּ *sibilant et movent caput contra filiam Jerusalem.* יֹשְׁבֶיהָ *Incolas ejus*, scil. urbis, עִיר, Vs. 9., cf. Vs. 12. Debebat scribi יֹשְׁבַיִךְ, quum praecesserit אֹתְךָ, sed nil frequentius tali personae mutatione apud prophetas. וְחֶרְפַּת עַמִּי תִּשָּׂאוּ *Et* ut *probrum populi mei portetis*, i. e. quo probro antea vos, divites, populi mei pauperes affecistis (Vs. 11. 12.), eodem afficient vos gentes barbarae; poenam probri, quod intulistis populo meo, luetis. Alii *probrum populi mei* interpretantur: quod meis comminatus sum, si desciverint ab obedientia mea, quales minae habentur 1 Reg. IX, 8. 9. LXX: Καὶ ὀνείδη λαῶν λήψεσθε. Quasi pro עַמִּי legissent עַמִּים; nisi forsan עַמִּי pro Plurali ceperint, uti 2 Sam. XXII, 44. Ps. CXLIV, 2. Thren. III, 14. usurpatur.

Cap.

Cap. VI.

1. *Jam porro auſcultate ſupremi edicta Jehovae.*
Surge, age, judicio contendeque montibus iſtis,
Atque tua hi colles percepta voce ſtupeſcant.
2. *Huc agite, o montes, vocemque audite Jehovae!*
Audite, o terrae firmiſſima fundamenta!
Cum populo electo contentio magna Jehovae eſt
Suſcepta; Iſraele ſatis lis incidit ingens.
3. *Quid tibi, quid, mea gens, feci? qua in parte moleſtus,*
Quaeſo, fuit tibi? Dic, ſi quidem potes, ede, profare.
4. *Mi popule, ipſe tibi in mentem revocare memento,*
Quo pacto Phariis quondam te eduxerim ab oris
Imperio ereptum crudeli regis iniqui,
Cum preſſus gemeres prope ſuccumbendo labori:
Amramides te dux praemiſſus ut iverit ante,
Sacrificusque Aaron, comitante ſorore Maria.
5. *Nonne recordaris, quidnam Moabitidos orae*
Regulus adverſum te ſit molitus, et aegra
Conſilii quidnam Balaacus mente agitarit?
Tum quid Beorides Bileam reſponderit ipſi,
Ad maledicendum conductus, ſed benedicens,
Patribus ac ſeris bona fata nepotibus optans?
Haec, et plura, inquam, memori cum ventre volutans,
Deſcendensque in te, et perpendens facta Jehovae
Ab Sittim ad Gilgal, gratum os in talia ſolvas

6. *Verba:*

6. *Verba: Quid, ah, dignum Domino potero ipſe referre?*
Tantis pro meritis aequales reddere grates
Non opis eſt noſtrae. Genua incurvabone coram
Coelipotente Deo? Num victima multa per aras
Sternetur mactata mihi, exurendaque flammis?
Anniculosne feram vitulos, placare Jehovam
7. *Queis poſſim? Arietibus millenis credere fas eſt,*
Aut oleo pingui, ſummum gaudere Jehovam,
Cujus myriades laeto torrente redundant?
Pro ſcelere anne meo mihi concidet hoſtia natus,
Qui primus de matre cadens dulciſſima patris
Nomina mi impoſuit? Num ventris fructus eam vim
Obtinet, ut numen peccanti reddat amicum?
8. *Significabo tibi, quae veri ſumma boni ſit,*
Quisquis es, o homo, et abs te quidnam Jova requirat.
Nil aliud quam juſtitiam colere, et benefactis
Inter mortales certare, merendoque multos
Devincire ſibi, famamque extendere in aevum,
Ante Dei vultum vitaeque ſtudere modeſtae,
Solicite cautum, pes ne tibi lubricus erret:
Hae tibi erunt artes placandi rite Jehovam.
9. *Urbem vox Domini gravis increpat (ipſe tueris*
Lumine, quod res eſt, acri)). Haec audite, tribules,*
Quae loquar, et memori mea verba reponite corde!
10. *Ergone adhuc domus injuſti lucro improbo abundat,*
Et male parta tenet? theſaurosque impia condit
Sacrilegos? an adhuc fallax menſura minorque
Juſto eſt, defraudansque emptorem hunc concitat ira?
11. *Anne probare aliquis me credat pondus iniquum,*
In loculis quod quis claudit male fidus opertis,
Fallacesque libras, ne plenas fraude bilances?

12. *Hisce*

---

*) *Ratio nomen tuum videbit*, i. e. ſoli ſapientes te tuasque adhortationes curant.

12. *Hisce modis patrant locupletes plurima iniqua,*
Atque habitatores urbis falſa usque loquuntur,
Ut quorum ori inſit mala lingua et fraudibus apta.
13. *Ergo ego te plagis meritis mulctabo, tuisque*
Peccatis dignas appendere cogito poenas,
Teque dabo exitio, veluti tua facta merentur.
14. *Multus in ore cibus tibi ſit licet, haud ſatiabit*
Te tamen, atque fames epulis cruciabit in ipſis,
Deficientque tibi viduati robore nervi.
Ut ſatagas ſervare, tamen quicquam eripiendi
Vicino interitu ſatagendi erit ulla facultas.
Si quid ſervabis quoque, id hoſticus hauriet enſis.
15. *Semina, ſparſa ſolo, ſpem fruſtrabuntur inanem,*
Nec tibi meſſis erit durum ſolata laborum.
Collectas olea quamquam calcabis olivas,
Attamen haud expreſſo oleo tua membra perunges.
Praela quidem deſudabunt tibi dulcia muſta,
Hauſta tamen non exhilarabunt vina colonum.
16. *Nam praecepta Amri extiterunt tibi regula vitae,*
Exemplarque domus quicquid male fecit Achabi
Praebuit ut ſequerere, et conſilium ipſius omne,
Impiaque ipſius pietas fuit unica norma.
Inde adeo mihi te ſtat perdere deſolatam,
Atque habitatores vulgaris fabula fient,
Et deriſui erunt, populus quos ſibilet, omnes,
Opprobriumque mei populi portabitis inde.

CAP.

Cap. VII.

ARGUMENTUM.

Dolet queriturque propheta, quod nullum ex longo ſtudio atque opera fructum retulerit, quum ſuorum contribulium mores ita ſint corrupti, ut non vindicet ab injuria aut publicum nomen, quale habent magiſtratus et principes, aut familiae ſanguisque communio (Vſs. 1—6.). Quumque in hominibus nihil eſſe videat, aut conſtans, aut fidele, a Deo ſolo ſperandum eſſe dicit, quod ex voto aut uſu futurum ſit (Vs. 7.). Deinde regno hoſtili talem praedicit ignominiam et cladem, qualem ipſa prius Judaeis intulerat, hos autem erigit ſpe ſtatus futuri felicioris, quem promittit propinquum (Vſs. 8—12.), populusque deſiderat precibus (Vs. 14.). Repetit Jova promiſſionem de populo Hebraeo non ſolum reducendo, ſed ceteris omnibus populis illuſtriorem quoque faciendo (Vſs. 15—17.). Commendat ad extremum Dei clementiam oratque, ut quae benigne promiſit olim Abrahamo, antiquisque Iſraelitici generis parentibus, id in eorum poſteris fideliter impleat (Vſs. 18—20.).

---

1. אַלְלַי לִי כִּי הָיִיתִי כְּאָסְפֵּי־קַיִץ כְּעֹלְלֹת בָּצִיר *Vae mihi! quia fui ſicut collectiones aeſtatis, et ſicut racemi vindemiae.* Quibus verbis quidam exiſtimant lugeri calamitatem, qua Deus ultus fuerat populi ſcelera; quaſi propheta, deplorans patriae ſuae deſolationem ſub perſona populi Iſraelitici diceret: heu me miſerum, qui redactus ſum ad paucum numerum, velut fructus illi, qui remanent in arboribus poſt collectionem fructuum. Verum Verſus pro-

proximus docet, vatem hic potius de pravitate populi verba facere, quam de poena jam inflicta. Dolet igitur, populum post tot prophetarum cohortationes et minas, tam esse corruptum, ut nihil in eo invenire queat, quod sit ad votum, neque ullus appareat tam sedulae ac constantis operae fructus. Accidit, inquit, mihi, quod viatori, qui fruges post messem, aut uvas post absolutam vindemiam quaerit; sed aut nullos plane fructus reperit, aut sane paucissimos. Ita ego bonos quaero, sed nullos invenio. Recte Jarchi: „Propheta super se ipso lamentatur (dicens): heu mihi, quod constitutus sum propheta tali tempore, quo homines non sunt justi in hac generatione.“ Sequutus est Chaldaeum, qui nostra verba ita exponit: אֲמַר נְבִיָּא וַי לִי אֲרֵי הֲוֵיתִי כְּמֵסַף טָבַיָּא בְּעִדָּן דַּאֲבַדוּ חֲסִידַיָּא מִן אַרְעָא הָא כִּסְיוּפֵי קַיְטָא לְעוֹלְלָן בָּתַר קְטוּף *dixit propheta: vae mihi! quia sum quando deficiunt tempore, quo perierunt pii de terra, ecce! sicut fructus extremi* (i. e. relicti) *aestatis, sicut racemi post vindemiam.* אַלְלַי *Vae mihi!* particula lamentantis, praeter hunc locum tantummodo Job. X, 15. obvia, i. q. אוי לי Jesaj. XXIV, 16. q. d. ah me miserum et infelicem! Confer Aethiopium אַל *vae*, et אַל לִת *vae mihi!* Moses Kimchi, Davidis frater, nostrum אַלְלַי recte refert ad אָלַל *ululavit*, ejusdem significationis cum אֱלָה Joel I, 8. et יָלַל, Aleph et Jod permutatis; cf. not. supra VI, 10. ad הַאִשׁ, quod pro יֵשׁ positum. Caussam, cur dolendum sibi sit, subjungit, quod sibi videatur esse כְּאָסְפֵי־קַיִץ *sicut collectiones aestatis*, i. e. tanquam cum frugibus aestivis demessis et collectis, paucae tantummodo spicae relictae a messoribus fuerint. Innuit ergo, se relictum inter paucos et raros bonos. אָסְפֵי Jarchi observat non esse Participium aut Infinitivum, ut יוֹשֵׁב aut אָמַר, sed nomen, ut Jesaj. XXXIII, 4. אֹסֶף הֶחָסִיל *collectio bruchi.* קַיִץ *Aestas*, pro fructibus aestivis, ut Jes. XVI, 9. Amos VIII, 1. 2., ubi vid. not. Ita Martialis *autumnum* posuit pro autumnalibus frugibus *Epigr.* L. XII, 57.

Nec in Falerno monte major autumnus.

Jarchi intelligit סִיופֵי תְאֵנִים *extremos fructus ficuum*, qui post collectionem remanent; et sane de *ficubus* nostrum קַיִץ usurpatur 2 Sam. XVI, 1. Jerem. XL, 10. כְּעֹלְלֹת בָּצִיר *Sicut* in *racemationibus vindemiae*, post vindemiam. Intelliguntur racemi, qui a vinitore peracta vindemia relinquuntur, aut quia illius oculos effugerunt, aut quia contemti sunt, quia nondum illis advenerat tempestiva maturitas. אֵין־אֶשְׁכּוֹל לֶאֱכוֹל *Non est botrus ad comedendum*, quemadmodum si quis vineam ingrediatur spoliatam fructibus, non invenit botrum, qui esui sit idoneus, quia si quid reliquum est in vitibus, illud immaturum est, et peracerbum gustu; sic propheta in Judaeorum populo nihil invenit, ex quo voluptatem illam caperet, quam vinitor ab uvis maturis. Chaldaeus: לֵית גְבַר דְּבֵיהּ עוֹבְדִין טָבִין *non est quisquam in quo opera bona sint.* בִּכּוּרָה אִוְּתָה נַפְשִׁי *Ficum praecocem desiderat anima mea*, sed frustra. Hieronymus: „Praedicta captivitate et decem tribuum et duarum (Verbum enim Domini factum est ad Michaeam Morasthiten super Samariam et Jerusalem) plangit propheta, quod nullus e populo justus inveniatur in terra, qui possit irae Dei resistere, et medium se quasi murum opponere. Frustra, inquit, loquutus sum; frustra volui jam vindemiatae et perditae civitatis quasi extremos racemos requirere; et quum non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus, quas Hebraei *Bechchora* vocant, id est, *grossos ficorum*, in cibo sumere, quasi dicat: non inveniens panem prae famis magnitudine, quisquilias et furfures requisivi." Male vero Hieronymus בִּכּוּרָה interpretatur *grossos ficuum*, de quibus Macrobius *Saturn.* II, 16. *Grossi appellantur fici, qui non maturescunt, hos Graeci dicunt* ὀλύνθους. Sed vox hebraea potius significat *ficum praecocem* ante aestatem maturescentem, cum nondum est καιρὸς σύκων, (Matth. XXI, 19.), quae eo gratiores esuque suaviores, quo rariores adhuc pro tempore sunt, vid. not. ad Jes. XXVIII, 4., ubi dicitur: כְּבִכּוּרָה בְּטֶרֶם קַיִץ *ut praecox* ficus, *quum nondum est aestas, quem ubi videt quispiam dum adhuc est in*

manu

manu ſua deglutit. Jerem. XXIV, 2. *Calathus unus erat ficuum valde bonarum,* כְּתְאֵנֵי הַבַּכֻּרוֹת *quales ſunt praecoces ficuum.* Lucilius apud Nonium 4, 124.

Sicuti cum primus ficus propala recentis
Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos.

Tales ficus (de quibus vid. Shaw *Itinerar.* p. 296. vers. germ.) Hiſpanis vocantur *albacoras,* voce Arabica hebraicae cognata, nam بُكُور eſt *palma praecox, nec non fructus omnisque alia res cito ad maturitatem pertingens.* Noſtri loci ſenſus igitur eſt hic: deſidero in populo meo virum aliquem probum ea aviditate, qua quis ficus deſiderat praecoces, id eſt, vehementer. Recte Chaldaeus: לְטָבַיָּא חֲמַדַת נַפְשִׁי *bonos appetit anima mea.*

2. Quae allegorice dicta fuerant Vs. 1. nunc verbis propriis declarantur. אָבַד חָסִיד מִן־הָאָרֶץ *Periit pius e terra* Iſraelitica; pius in terra plane non reperitur. וְיָשָׁר בָּאָדָם אָיִן *Et* qui *rectus* ſit *inter homines nullus* eſt. Adeo cuncta, inquit, inter iſtos homines video corrupta, ut difficile ſit, ullum in iis deprehendere juſtum et pium. כֻּלָּם לְדָמִים יֶאֱרֹבוּ *Omnes illi ſanguinibus inſidiantur,* alii aliis inſidiantur, ut eos perdant, eorumque bona ad ſe rapiant. Chaldaeus: כּוּלְּהוֹן לְמִשְׁפַּךְ דַּם זַכַּי כָּמְנִין *omnes parant inſidias ſanguinis juſti effundendi cauſa.* Syrus: ܟܠܗܘܢ ܟܡܝܢܐ ܟܡܢܝܢ *omnes ſtruunt inſidias.* LXX: Πάντες εἰς αἵματα δικάζονται, quod Arabicus interpres haud male reddidit: جُمِيعُهُمْ عَلِي اَلدِّمَاءِ يَقْضُونَ *omnes ad caedem condemnant.* אִישׁ אֶת־אָחִיהוּ יָצוּדוּ חֵרֶם *Unus alterum venantur* tanquam *reti,* ſicut auceps inſidiari ſolet aviculae, jacto jam reti ut eam decipiat, ſic hi peſſimi miras artes et dolos excogitant, quibus alios perdant. חֵרֶם quidam interpretes, ſubaudito ל ex לְדָמִים, vertunt *ad necem,* q. d. ut faciant eum *anathema,* ut Levit. XVII, 28.

Ita Hieronymus: *vir fratrem ſuum ad mortem venatur.* Chaldaeus: גְּבַר יַת אֲחוּהִי מְסָרִין לִגְמִירָא *vir fratrem ſuum tradunt conſumtioni.* Syrus: ܘܓܒܪ ܠܐܚܘܗܝ ܨܝܕܝܢ ܠܐܒܕܢܐ *et vir fratrem ſuum venantur ad interitum.* Verum ob *venandi* verbum (צוּד) malumus חֵרֶם *retis* ſignificatu capere, quo et Ezech. XXVI, 5. Habac. I, 15 — 17. uſurpatur. Ita ב ante nomen erit ſubaudiendum. LXX: Ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ ἐκθλίβουσιν ἐκθλιβῇ.

3. עַל־הָרַע כַּפַּיִם לְהֵיטִיב הַשַּׂר שֹׁאֵל *Super malefacere* ſ. *praeter malefacere,* i. e. praeterea quod malefaciunt *manibus egregie faciendo, princeps poſcit,* i. e. praeterea quod alios vi aperta opprimunt, ut ſcelera addant ſceleribus, turpibus quoque largitionibus corrupti jus pervertunt. Ita nos hunc locum interpretamur cum Kimchio, qui ſcite obſervat, Infinitivum לְהֵיטִיב ſenſum intendere, et ſignificare *cumulare, adaugere,* ut 1 Sam. XX, 13. Jon. IV, 4., pro quibus locis rectius Deut. IX, 21. 2 Reg. XI, 18. poſuiſſet; vid. not. ad indicatum Jonae locum. Storrius quoque in *Obſervatt.* p. 313. לְהֵיטִיב h. l. vim adverbii obtinere putat, propr. *bene faciendo,* i. e. probe, et verba noſtra ſic interpretatur: *ad malefaciendum manus ſunt, tendunt probe,* i. e. ad malum *vehementer* intentae ſunt manus, *probe* decipiunt et auferunt. Ceterum in hoc loco interpretando veteres et recentiores vehementer inter ſe discrepant. LXX: Ἐπὶ τὸ κακὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἑτοιμάζουσιν, ὁ ἄρχων αἰτεῖ. Cepit interpres לְהֵיטִיב ſignificatione Syriaci ܛܝܒ *parare,* uti et Syrus: ܐܝܕܝܗܘܢ ܡܛܝܒܢ ܠܒܝܫܬܐ ܘܠܐ ܡܛܐܒܝܢ ܦܠܚܘܬܐ ܫܐܠ ܗܒ *manus eorum paratae,* promtae ſunt, *ad malum, nec benefaciunt; princeps poſtulat* (dicens): *affer!* עַל cepit pro אֶל vel ſimplici ל *ad.* Verba ܘܠܐ ܡܛܐܒܝܢ videntur vel interpretis ipſius vel alius cujusdam additamentum eſſe, conjicientis, pro לְהֵיטִיב legendum eſſe לֹא הֵיטִיב. Quod ipſum Chaldaeus inter-

interpres expreſſit: מְבָאֲשִׁין בִּידֵיהוֹן וְלָא מוֹטִיבִין שִׁלְטוֹנָא שָׁאֵל *mala operantur ſuis manibus, nec benefaciunt; dominator poſcit.* Hieronymus: *malum manuum ſuarum dicunt bonum.* Jarchi: „Pro mercede improbitatis manuum veſtrarum vos ſperatis, quod benefacturus ſit vobis (Deus)." Id Rittershuſius ſequutus eſt. R. quidam Marinus, ab Aben-Eſra commemoratus, ל ante הֵיטִיב *pro, loco* (תַּחַת) capiendum cenſet, ut Geneſ. XI, 3. וַתְּהִי לָהֶם הַלְּבֵנָה לְאָבֶן *erat eis later pro lapide.* Ita vertendum eſſet: *ſuper* ſ. *praeter malefacere manuum pro benefacere princeps poſcit* munera, i. e. proceres, qui aliis benefacere deberent, non ſolum id minime faciunt, verum etiam praeter alia ſcelera quibus manus eorum contaminatae ſunt, eo impudentiae procedunt, ut pro jure dicundo munera poſcant. Abarbenel: „Ad bonum et recte faciendum malum quod in manibus eorum eſt, veluti caedes, violentiam, rapinas, cum clamat oppreſſus, aut direptus, aut occiſi cognatus in loco judicii, princeps poſcit munus, q. d. capiunt munera et pervertunt jus." Capit עַל־הָרַע pro לְהָרַע, ut Drusius, qui ſimiliter ſenſum hunc facit: *malefacere,* i. e. malefacta *manuum ut bona faciat,* i. e. ut cauſam malam tueatur in judicio, petit munera. Verum ita plane otioſum eſſet עַל, quod mihi non perſuadeo. Ludov. de Dieu: „*Contra malum manus* ſunt *ad benefaciendum; princeps interrogat, et judex de retributione,* i. e. turpiter manibus abutuntur; quum enim datae ſint, ut adverſus malum benefacerent, videntur non in alium uſum eas nacti, quam ut munera caperent." Coccejus: „*Super malo* ſunt *manus ad bonum faciendum,* i. e. fingunt et plasmant malum ut bonum videatur." Quarum explicationum quum nulla Grammaticae aut Syntaxi Hebraeae repugnet, eligenda ex iis erit ea, quae toti orationis tenori optime conveniat; talem autem arbitramur eam, quam ſupra primo loco poſuimus. הַשַּׂר שֹׁאֵל *Princeps poſcit* ſcil. שֹׁחַד, *munus* quo corrumpatur, quod Jarchi ſupplet, vel שִׁלּוּם, *retributionem,* e verbis proximis, וְהַשֹּׁפֵט בַּשִּׁלּוּם *et judex pro remuneratione* ſcil. יִשְׁפֹּט,

יִשְׁפֹּט, jus dicit, quod e Participio eſt repetendum. Cf. ſupra III, 11. רָאשֶׁיהָ בְּשֹׁחַד יִשְׁפֹּטוּ *proceres ejus* urbis *pro munere judicant.* Chaldaeus: וְרַבְּנָא אָמַר עֲבִיד לִי וְאֶשַׁלֵּם לָךְ *judex dicit: fac pro me, ut retribuam tibi.* Quam interpretationem ſequutus Jarchi noſtra verba ſic explicat: „Qui dijudicat cauſam etiam ipſe pro retributione dicit alii judici, collegae ſuo, quando ipſe raptor eſt reus in judicio: retribue mihi gratiam in alio judicio, et ego te abſolvam in hoc (judicio, ſive in hac cauſa)." Hieronymus: „*Et judex in reddendo eſt,* ſic alium judicans quomodo ipſe ab alio judicatur, ut praeſtent ſceleribus ſuis mutuum favorem, et in alterius crimine ſe defendant." וְהַגָּדוֹל דֹּבֵר הַוַּת נַפְשׁוֹ הוּא *Et magnum* quod attinet, *loquitur cupiditatem animae ſuae ille,* i. e. proceres pro lubitu ſuo judicant. Alii: *magnus eloquitur pravitatem animae ſuae,* q. d. jam nihil eſt metus vel pudoris, quod retineat divites ab inferenda injuria, ſciunt enim negotium ſibi eſſe cum mercenariis judicibus, quos facile corrumpant; audent ergo *loqui pravitatem animae ſuae,* nequitiam, quam apud ſe conceperunt, non diſſimulant ſua ſcelera, quemadmodum ubi viget legum metus, ubi judicia recte exercentur. Ita הוּא *ipſe* erit emphaticum, non exſpectat dum alii exprobrent ſi quid deliquid, ſed impudenter audet gloriari in ſuis ſceleribus, quia certa eſt impunitas, quum os concludere poſſit judicibus. Sane הַוָּה *pravitatis, nequitiae,* ſignificationem obtinere non eſt dubium, vid. Pſ. V, 10. et ad eum loc. not. Hic tamen prima et propria ſua ſignificatione, *cupidinis* (coll. Arab. هَوِيَ *concupivit, deſideravit,* unde هَوًى *cupido*), capiendum, ut Prov. X, 3. XI, 6., quam veteres omnes exprimunt. LXX: Καταθύμιον ψυχῆς αὐτοῦ ἐστιν. Hieronymus: *et magnus loquutus eſt deſiderium animae ſuae.* Syrus: ܘܪܒܐ ܡܠܠ ܨܒܝܢܐ ܕܢܦܫܗ *et magnus loquutus voluntatem animae ſuae.* Chaldaeus: וְרַבָּא מְמַלֵּל תַּחְמוּדֵי נַפְשֵׁיהּ *et magnus loquitur deſideria animae ſuae.* Quod clarius exponit Jarchi: „Rex aut princeps loquitur

in

in judicio id quod animus ejus vult." Vel arctius connectendum eſt hoc hemiſtichium cum praecedente, hoc ſenſu: ſtatuit judex reddere, quod gratum eſt principi, aut ab eo definitum, quia vir ille magnus atque potentior ſuam illi voluntatem expreſſit. וַיְעַבְּתוּהָ *Et contorquent*, pervertunt *eam*, voluntatem ſuam, הַוַּת נַפְשׁוֹ, quod praeceſſit. Chaldaeus: וַי עֲלֵיהוֹן עַל דְּקַלְקְלוּהָא *vae iis, quia depravarunt eam.* Vel ſuffixum femininum ad יְעַבְּתוּ neutraliter eſt capiendum, ut ex ſermonis contextu aliquid intelligendum ſit accommodatum; veluti cauſa quae disceptatur in judiciis, quam illi corruptionibus atque technis ſuis quovis modo pervertunt et confuſam reddunt. Alii *contorquent eam*, ſic interpretantur: roborant, firmant eam, nequitiam animae ſuae, velut lorum aut reſtem ex multiplici filo contextum. Similiter Jarchi: „Faciunt illud (*deſiderium animae ſuae*) implicationem peccati inter tres illos (principem, judicem et magnatem), tanquam funes (עֲבֹתִים) plauſtri." Ita et Kimchi: „Inter tres illos roborant perverſitatem judicii corruptionibus." Conſpirant inter ſe et gubernatores et judices, et qui volunt ſibi acquirere peccandi licentiam; confirmantque hoc modo pravitatem, ut tyrannidem ea occupet.

4. טוֹבָם כְּחֵדֶק יָשָׁר מִמְּסוּכָה *Bonus eorum inſtar ſpinae* eſt, *rectus vepreto* pejor. Confirmat quod Vs. 2. dixerat, adeo refertam eſſe terram quovis ſcelerum genere, ut qui optimi reputantur ſint tamen ſicut ſpinae et vepres, id eſt, acerrimi ad pungendum aliosque laedendum; quaſi diceret: optimus inter eos eſt latro, rectiſſimus inter eos eſt praedo. Si vero tales ſunt, qui pro optimis habentur, quid de reliquo vulgo ſtatuendum erit? חֵדֶק eſſe quandam *melongenae ſpinoſae* ſpeciem, ſeu *ſolanum pomiferum* ſpinoſum, collato Arabico حَدَقٌ oſtendit Celsius *Hierobot.* P. II. p. 42. ſeqq. Significatur vero hac ſimilitudine morum aſperitas et rapacitas, quemadmodum Olympio in

in Plauti *Caſina* Act. III. Scen. 6. init. coquos *ſentes* vocat:

Quia quod tetigere illico rapiunt; ſi eas ereptum,
illico ſcindunt.

יָשָׁר מִמְּסוּכָה *Rectus*, qui rectus inter eos habetur, *prae ſepe ſpinoſa* ſcil. pejor eſt. Cf. שׂוּךְ Hoſ. II, 8. Arabum شُوكَ *pungere, ſpinoſum eſſe*, et in II. *ſpinis munivit, obſepſit.* Chaldaeus: טָבָא דִבְהוֹן קָשֵׁי לְמִפַּק מִן יְדֵיהּ כַּד מִן חִדְקָא וּדְקַשִּׁיט בְּהוֹן מְסִיוּגַת סְיָג בִּישׁ *bonum quod attinet qui inter eos eſt, durum* ſ. ita difficile eſt *exire e manu ſua tanquam e ſpina, et rectus qui inter eos* exiſtit *ſepe ſpinoſa pejor eſt.* Quam paraphraſin Jarchi ita illuſtrat: *aeque difficulter quidquam exit e* manu ejus, atque ſpinae exeunt lanis implexae. Hieronymus: „Qui enim optimus inter eos eſt, quaſi paliurus pungens et retinens, vulnerans appropinquantem ſibi et adunco dente comprehendens; et qui rectus fuerit inventus, quaſi ſpina de ſepe, ut ibi inveniatur dolor, ubi putabatur auxilium.“ LXX Verſus praecedentis verbum poſtremum ad hujus Verſus initium trahentes ita vertunt: *καὶ ἐξελοῦμαι τὰ ἀγαθὰ αὐτῶν ὡς σὴς ἐκτρώγων.* Quae verba Hieronymus ſic reddidit: *et auferam bona eorum quaſi tinea comedens.* Arabicus vero interpres hoc modo: فَأَرْذُلُ خَيْرَاتِهِمْ مِثْلَ سُوسٍ يَأْكُلُ *exſecror bona eorum ut tineam devorantem.* Sed pro فَأَرْذُلُ non dubito legendum eſſe فَأَزْدَالُ *auferam,* Futur. Conjug. VIII. verbi زال *dimoveo.* Ceterum pro כחרק Graecum interpretem legiſſe כהרקב, quod alias *ſicut tinea* reddidit, conjicit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. C. XXV. T. III. p. 518. edit. Lipſ. Alexandrinum imitatur Syrus: ܘܐܣܠܝܘ ܛܒܘܬܗܘܢ ܐܝܟ ܐܘܪܦܠܐ ܕܐܟܠܗ ܣܣܐ *abominantur probitatem ſuam ſicut pannum tinea corraſum.* Jam ad populum ipſum ſermonem convertit: יוֹם מְצַפֶּיךָ פְּקֻדָּתְךָ בָאָה *dies*

dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua venit, adeſt jam tempus a prophetis dudum praedictum, quo veſtra ſcelera Deus ulciſcetur. Prophetae ſaepius comparantur ſpeculatoribus militaribus, qui futura tanquam e ſpecula praevident, populoque fideliter annunciant, atque de imminente periculo admonent, vid. Jeſaj. LVI, 10. Jerem. VI, 17. Ezech. III, 17. XXXIII, 2. 7., et ad haec loca not. *Dies ſpeculatorum* ſ. *prophetarum populi Judaici* vero erit dies ab eis praenunciatus. Alii *ſpeculatoribus* populi cum Kimchio intelligunt h. l. falſos prophetas, qui ſuis blanditiis et vanis felicium temporum promiſſionibus populum deceperant. Tum יוֹם erit *dies ſupplicii*, ut Obad. Vs. 12. יוֹם אָחִיךָ, ubi vid. not. Chaldaeus: יוֹם סְבוּרָךְ לְטָב עִדָּן סְעוֹרַת בִּישְׁתָּךְ מְטָת *dies, qua bonum exſpectabas, tempus viſitationis malitiae tuae pervenit.* Hinc Jarchi: „Eo die, quo bonum vobis eventurum exſpectaſtis, veniet poena veſtra.“ פְּקֻדָּתְךָ *Viſitatio tua*, iniquitatis tuae, animadverſio in ſcelera tua. Ita Hoſ. IX, 7. בָּאוּ יְמֵי הַפְּקֻדָּה בָּאוּ יְמֵי הַשִּׁלֻּם *veniunt dies animadverſionis, veniunt dies retributionis.* LXX verba hebraea inde a יָשָׁר usque ad בָּאָה ſic vertunt: *καὶ βαδίζων ἐπὶ κανόνος ἐν ἡμέρᾳ σκοπιᾶς· οὐαὶ οὐαὶ αἱ ἐκδικήσεις σου ἥκασι.* Pro *σκοπιᾶς*, quo interpres hebraeum מְצַפֶּיךָ reddidit, Arabicus interpres in ſuo Graeco codice male legit *σκοτίας*, vertit enim فِي يَوْمِ ٱلظُّلْمَةِ *in die tenebrae.* Syrus verba יָשָׁר מִמְּסוּכָה plane non expreſſit, reliqua vero hoc modo reddidit: ܝܘܡܐ ܕܣ̈ܟܘܝܟ ܘܕܦܘܪܩܢܟ ܐܬܐ *dies ſpeculatorum tuorum et ſalutis tuae venit.* Pro פקדתך videtur oculi errore פרקנך legiſſe, et verbum פָּרַק *liberandi* notione in codice Hebraeo occurrit Thren. V, 8. Pſalm. CXXXV, 24. Hoc vero loco prorſus alienum eſſe, unusquisque ipſe intelliget. Addit vates: עַתָּה תִהְיֶה מְבוּכָתָם *nunc erit perplexitas, ſ. confuſio eorum*, i. e. brevi adeo perplexi erunt, adeo involventur malorum varietate et magnitudine, ut quo ſe vertant neſciant, neque ſe ex iis ullo

ullo modo extricare poterunt. Verbum בּוּךְ Arabibus quoque *confuſum turbatumque eſſe*, et in Conjug. VII. *turbata mente et perturbatis rationibus eſſe* ſignificat. Hinc Eſth. III, 15. וְהָעִיר שׁוּשָׁן נָבוֹכָה *et urbs Suſan erat perplexa*, inops conſilii. Suffixum ad מְבוּכָתָם referendum ad proceres, judices, magnates, qui Verſu ſuperiore memorantur. LXX: *Νῦν ἔσονται κλαυθμοὶ αὐτῶν.* Quibuscum conſentit Syrus: ܡܟܝܠ ܢܗܘܐ ܟܠܗ ܒܟܝܬܗܘܢ *mox erit luctus eorum.* Retulerunt מְבוּכָתָם ad בָּכָה *flevit.*

5. Pergit propheta in deſcribenda ſumma popularium ſuorum perverſitate; adeo, inquit, cuncta occupavit perfidia, ut nusquam tuta fides ſit, et unusquisque cautiſſimus eſſe debeat, niſi vel a cognatis, parentibus, filiis, conjuge et amicis prodi velit. אַל־תַּאֲמִינוּ בְרֵעַ *Ne credite in amicum*, ne creditis amico, אַל־תִּבְטְחוּ בְּאַלּוּף *ne fidite familiari*, eſt enim ab אָלַף *adſueſcere* Prov. XXII, 25., talis cui quis conſuetudine penitus adſuevit, ut Prov. XVI, 28. XVII, 9., ubi LXX recte reddiderunt *φίλον*. Sed perperam h. l. *καὶ μὴ ἐλπίζετε ἐπὶ ἡγουμένοις.* Sane אַלּוּף locis nonnullis, veluti Geneſ. XXXVI, 15. ſeqq. Exod. XV, 15., de *ducibus* Edomitarum dicitur, ab אֶלֶף *mille*, q. d. mille hominum praefectus; id vero huic loco minime congruit. מִשֹּׁכֶבֶת חֵיקֶךָ *A cubante in ſinu tuo*, i. e. cariſſima tua conjuge, אֵשֶׁת חֵיקֶךָ, *muliere ſinus tui*, ut Deut. XIII, 7. XXVIII, 54. vocatur. Unde *γυνὴ τοῦ κόλπου* Siracħ. IX, 1., אִישׁ חֵיק *vir ſinus*, maritus, Deuter. XXVIII, 56. שְׁמֹר פִּתְחֵי־פִיךָ *Cuſtodi oſtia oris tui*, ne quid temere effutiant, quod alium ſcire nolis, vel quod tibi periculum creare poſſit; proditura enim te eſt. *Oſtia* tribuit ori, quippe quod ſenſa animi, januae inſtar, vel aperit, vel claudit. Eadem imago Pſ. CXLI, 3. *Adpone, Jova, cuſtodiam ori meo,* נִצְּרָה עַל־דַּל שְׂפָתָי *cuſtodiam, inquam, oſtio labiorum meorum.* LXX: *Ἀπὸ τῆς συγκοίτου σου φυλάξαι, τοῦ ἀναθέσθαι αὐτῇ τι.* Arabs: تحفظ من امرأتك أن
لا

لَا تُظْهِرْ لَهَا شَيْئًا *cave ab uxore tua, ne ei quid aperias.* Chaldaeus: מֵאִתַּת קְיָמָךְ טַר מִלֵּי פוּמָךְ *ab uxore foederis tui observa verba oris tui.*

6. כִּי־בֵן מְנַבֵּל אָב *Nam filius deturpat,* contumelia afficit *patrem.* LXX: *Διότι υἱὸς ἀτιμάζει πατέρα.* Syrus: ܡܛܠ ܕܒܪܐ ܡܨܥܪ ܠܐܒܘܗܝ *nam filius convitiatur patri suo.* בַּת קָמָה בְאִמָּהּ *Filia insurgit* irreverenter *in,* contra *matrem suam,* quam vereri deberet. Chaldaeus: בְּרַתָּא מְנַצְיָא עִם אִמָּהּ *filia rixatur cum matre sua.* כַּלָּה בַּחֲמֹתָהּ *Nurus in socrum suam* scil. קָמָה *insurgit.* Chaldaeus: כַּלְּתָא מְקִילָא בַּחֲמָתָהּ *nurus contemnit socrum suam.* אֹיְבֵי אִישׁ אַנְשֵׁי בֵיתוֹ *Inimici viri* cujusque *sunt domestici ejus,* adeo cuncta diffidiis oppleta sunt. Iisdem plane coloribus ferream aetatem pingit OVIDIUS *Metamorph.* I, 144. seqq.

Vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;
Luridi terribiles miscent aconita novercae,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

7. Ego vero, inquit propheta in persona eorum inter suos populares, qui a Jovae cultu non defecerunt, in hoc deplorato reipublicae statu rerumque omnium perturbatione oculos habeo conversos in Deum, in quo uno spem et fiduciam pono, nihil dubitans, quin mihi opem laturus et ex his malis suo tempore me sit liberaturus. וַאֲנִי בַּיהוָה אֲצַפֶּה *Ego vero ad Jovam speculor,* tanquam in specula constitutus observo unde auxilium mihi a te veniat, sicut qui ab hostibus obsidentur e turribus continuo prospiciunt, promissasque suppetias exspectant. Verum אֲצַפֶּה ope particulae ב nomini יְהוָה jungitur, ut Ps. LXVI, 7. עֵינָיו בַּגּוֹיִם תִּצְפֶּינָה *oculi sui gentes speculantur.* Alii constructionem putant quam dicunt *praegnantem,* quasi diceret: speculor *fretus in Jova* ejusque benignitate et fide. אוֹחִילָה לֵאלֹהֵי יִשְׁעִי

יִשְׁעִי *Exſpecto* cum ſpe certa fore ut meae ſalutis rationem habeat, *Deum ſalutis meae*, qui mihi ſalutem, ut antea ſaepe, ita nunc quoque praeſtabit. יִשְׁמָעֵנִי אֱלֹהָי *Audiet me Deus meus*, recte Chaldaeus: יְקַבֵּל צְלוֹתִי אֱלָהִי *ſuſcipiet preces meas Deus meus.*

8. Continuat vates loqui in perſona melioris partis populi Hebraei ab hoſtibus devicti et oppreſſi. אַל־תִּשְׂמְחִי אֹיַבְתִּי לִי כִּי נָפַלְתִּי קָמְתִּי *Ne gaudeas de me*, de infortunio meo, o tu, quae *inimica mihi* es! *quod* ſ. *licet ceciderim*, tamen *reſurgam*. לִי pro בַּעֲבוּרִי *propter me*, propter calamitatem meam. *Cadere* in calamitates incidere, et *ſurgere* ex iis emergere, notum. Recte Syrus: ܬܘܒ ܩܡܬ ܐܢܐ *iterum reſurgo.* כִּי־אֵשֵׁב בַּחֹשֶׁךְ *Cum* vel *licet ſedeam in tenebris* malorum et calamitatum, velut in tenebroſo carcere, cf. Jeſ. XLVII, 5. XLIX, 9. יְהוָה אוֹר לִי Tamen *Jova lux mihi* eſt, praeſtat mihi lucem in tenebris, i. e. ſalutem in adverſis. Cf. Pſ. XXVII, 1. XCVII, 11. CXII, 4.

9. Pergit propheta ſub populi, ſive capitis regni, Hieroſolymae, nomine loqui, unde Chaldaeus huic Verſui recte praemittit: אֲמַרַת יְרוּשְׁלֵם *dixit Hieroſolyma.* Occurrit autem hoſtium exprobrationi, cur igitur Deus, in quo confidat (Vs. 8.), populum tam graviter ſinat adſligi? Quibus reſpondet, verum quidem eſſe, ſe multa pati, patienter tamen ſe iſta ferre, cum quod peccatis ſuis utique illa meruerit, tum quod ſciat, perpetua non fore, ſed ad tempus tantummodo. זַעַף יְהוָה אֶשָּׂא כִּי חָטָאתִי לוֹ *Iram Jovae*, poenas ab eo mihi irato inflictas, *feram*, ſufferam patienter, *quia peccavi in eum*, quia commerui. עַד אֲשֶׁר יָרִיב רִיבִי *Donec litiget litem meam*, cauſam meam agat contra hoſtes. Ita Pſ. XLIII, 1. *Judica me*, *Deus*, וְרִיבָה רִיבִי מִגּוֹי לֹא־חָסִיד *et age cauſam meam contra populum immiſericordem.* וְעָשָׂה מִשְׁפָּטִי *Et fecerit judicium meum*, i. e. jus mihi reddiderit, ut judex juſtus, aut vindicaverit me ultusque fuerit ſumto ſupplicio de hoſtibus meis. Chaldaeus:

daeus: וְיִתְפְּרַע עוּלְבָּנִי *et ulciſcatur contumeliam meam.* Ita Pſ. IX, 4. 5. *Celebrabo te, quum retroverſi hoſtes mei per te lapſi perierint.* כִּי עָשִׂיתָ מִשְׁפָּטִי וְדִינִי *Nam tu cauſam litemque meam agis.* יוֹצִיאֵנִי לָאוֹר Donec *educat me ad lucem* e tenebris malorum, in quibus jam verſor. אֶרְאֶה בְּצִדְקָתוֹ *Videbo juſtitiam ſuam,* fruar adhuc beneficiis juſtitia ſua in me redundandis, qua populum ſuum poenitentem ſalvat, feroces vero ac inſolentes adverſarios perdit. Verbum רָאָה cum ב conſtructum ſignificare *aſpicere cum voluptate* rem aliquam, ea frui, oſtendimus ad Pſ. XXII, 18.

10. וְתֵרֶא אֹיַבְתִּי וּתְכַסֶּהָ בוּשָׁה *Videbit hoc,* cum me reſtituet Deus, *inimica mea, et operiet eam pudor,* cum haec audierit, undique pudore obtegetur, ut homo veſte tegitur. Cf. not. ad Obad. Vs. 10. הָאֹמְרָה אֵלַי *Illa* ipſa, *quae* jam *dicit ad me* inſolenter: אַיּוֹ יְהוָה אֱלֹהָיִךְ *ubi eſt ille* ſcil. *Jova Deus tuus?* de quo adeo gloriabaris, quemque dicebas Deum *tuum,* in oppoſitione cum ad nos, tum ad Deos noſtros. In אַיּוֹ eſt pleonasmus ſuffixi, ut Exod. II, 6. *Aperiebat arcam,* וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *et vidit eum* ſcil. *puerum.* Ita Joel II, 17. precatur Jovam, ne ſuum populum probro addicat, ita ut inter gentes quaeratur: אַיֵּה אֱלֹהֵיהֶם *ubi eſt Deus eorum?* Ita et Pſaltes XLII, 4. *Lacrymis paſcor dies noctesque, dum hoc mihi quotidie objicitur:* אַיֵּה אֱלֹהֶיךָ *ubi eſt Deus tuus?* Similia loca vid. Pſ. LXXIX, 10. CXV, 2. עֵינַי תִּרְאֶינָּה בָּהּ *Oculi mei adſpicient eam,* inimicam meam intereuntem cum voluptate; ita enim verbum רָאָה cum ב conſtructum capiendum eſt, vid. not. ad אֶרְאֶה בְּצִדְקָתוֹ Vs. 9. Alii: *videbunt in ea oculi mei* quae diu optavi, interitum ejus. Chaldaeus: עֵינַי יֶחֶזְיָן בְּמַפַּלְתְּהוֹן *oculi mei videbunt ruinam eorum.* עַתָּה תִּהְיֶה לְמִרְמָס כְּטִיט חוּצוֹת *Jamjam,* mox *fiet inimica mea in conculcationem ut lutum platearum,* teretur pedibus victoris. Eadem imago Jeſ. X, 6. Zach. X, 5.

11. יוֹם לִבְנוֹת גְּדֵרָיִךְ *Dies ad reaedificandum macerias tuas* inſtat ſ. venit. Populum Hebraeum ſub imagine

urbis

urbis Hierofolymitanae alloquitur, ac promiffionibus hisce folatur. גְּדֵרָיִךְ *Macerias tuas, μεlωσις*, pro: *muros tuos;* nam גָּדֵר proprie horti aut vineae feptum ex lapidibus. Chaldaeus: בְּעִדָּנָא הַהִיא יִתְבַּנְיָן כְּנִישָׁתָא דְיִשְׂרָאֵל *illo tempore aedificabuntur*, reftaurabuntur *coetus Ifraelis.* Locus parallelus Amos IX, 11. *Erigam tugurium Davidis collapfum, obfepiamque macerie rupturas eorum.* A vero fenfu toto coelo aberrarunt LXX: Ἡμέρα ἀλοιφῆς πλίνθου, ἐξάλειψίς σου ἡ ἡμέρα ἐκείνη, quae verba Arabicus interpres recte fic reddidit: يَوْمٌ تُكَلِّسِينَ اللَّبِنَ ذٰلِكَ الْيَوْمُ مَمْحُوكِ *dies quo lateres calce linies, idem* erit *dies deletionis tuae.* לְבֵנוֹת Graecus interpres fumfit pro plurali nominis לְבֵנָה, vid. e. c. Genef. XI, 7. Exod. V, 18. Jef. IX, 9. Pro גְּדֵרָיִךְ vero videtur גרדיך legiffe, a גָּרַד *radere, abradere*, cujus verbi forma Hithpael exftat Jobi II, 8. Hieronymus: „Quod dicitur juxta Septuaginta, *dies liturae lateris, deletio tua,* non ad Jerufalem, ut juxta Hebraicum expofuimus, fed adhuc ad Babylonem dici intelligamus, quod et ipfa delenda fit, et in morem lateris conculcanda.“ Die illo, inquit vates, quo res tuae inftaurabuntur, יוֹם הַהוּא יִרְחַק־חֹק *eodem die longe discedet ftatutum* fcil. hoftis, i. e. non amplius obnoxius eris tyrannidi hoftium. Chaldaeus: בְּעִדָּנָא הַהִיא יִתְבַּטְלָן גְּזֵירַת עַמְמַיָּא *tempore illo irrita fient decreta gentium.* Senfu plane diverfo noftrum comma capit Jarchi: „Refpiciunt haec,“ inquit, „ad illud Vs. 10. הָאֹמְרָה אֵלַי *quae dicit mihi*, i. e. praeterea illa dicit mihi: dies aedificandi macerias tuas, quem tu exfpectas, dies, inquam ille, elongabit ftatutum fuum, et tempus fuum producet, nec unquam veniet.“ Sane de *tempore ftatuto*, et quidem vitae humanae, dicitur חֹק Job. XIV, 5. Verum concinnior eft fenfus a Chaldaeo expreffus. Ludov. de Dieu noftrum Verfum hoc modo vertit: *Die* quo *oportebit aedificare macerias tuas, die illo longe emanabit decretum.* „Idem,“ inquit, „mihi hic eft חֹק, quod paffim Rabbinis גְּזֵרָה *decretum, decifio* in malam partem, pro perfequutione et affli-

afflictione. Senſum eſſe puto: idem dies, quo macerias tuas reſtaurare oportebit, erit dies, quo in longum ſe diffundet afflictio in inimicam tuam decreta, de qua Verſu praecedenti dictum fuit. לִבְנוֹת pro *oportet aedificare*, Hebraismus ut Pſ. XXXII, 9. *Fraeno et habena os ejus* לִבְלוֹם *coërcendum eſt*, coërcere oportet.“ Alii: *elongabit ſe*, aberit *decretum* Dei de infligendis tibi malis; deſinet te Deus male habere.

12. Urbis Hieroſolymitanae reſtauratae tantam fore dignitatem promittit, ut futura ſit quaſi orbis caput; acquiret ſibi novum et inſolitum ſplendorem, ut undique illuc populi confluant. יוֹם הוּא וְעָדֶיךָ יָבוֹא לְמִנִּי אַשּׁוּר וְעָרֵי מָצוֹר *Die illo ad te venient ex Aſſyria urbibusque Aegypti.* Dictio Hebraea h. l. paulo inſolentior, quae planior talis erat: בַּיּוֹם הַהוּא עָדֶיךָ יָבֹאוּ מֵאַשּׁוּר וְעָרֵי מָצוֹר *die illo*, quo muri tui, o Hieroſolyma, reſurrexerint, Vs. 11. Paulo aliter Lud. de Dieu: „Obſervandum, non dici hic יוֹם הַהוּא, ut Verſu praecedente, ſed יוֹם הוּא, quo reſponderi puto ad quaeſtionem, quis eſt ille dies, quo et maceriae meae reſtaurabuntur, et decretum in hoſtes meos longe exibit? Reſponſio: יוֹם הוּא *dies eſt*, וְעָדֶיךָ יָבוֹא *quum ad te veniet*, ſubaudi, quisque, id eſt, imperſonaliter: *quum ad te venietur.* Quodſi יוֹם הוּא velimus idem eſſe quod הַהוּא, Vau ante וְעָדֶיךָ non erit copulativum, nec tempus denotabit; ſed tantum conſequutionem, et Latine redundabit, plane ut Geneſ. XXII, 3. *Die tertio* וַיִּשָּׂא אַבְרָהָם אֶת עֵינָיו *elevavit Abrahamus oculos ſuos.* Vid. et Geneſ. III, 5. Sic hoc loco: *die illo ad te veniet* quisque, vel venietur. Quodſi in hisce locis Vau omnino reddendum ſit, non poſſit aptius quam per latinum *tum.*“ יָבוֹא ſcil. בָּא *veniens*, ſ. אִישׁ *aliquis, quicunque*, i. e. venietur; vid. de hoc tertiae perſonae uſu imperſonali N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. LX. לְמִנִּי pro ſimplici מִן, ut לְמִן Jerem. VII, 7. לְמִן עוֹלָם וְעַד־עוֹלָם *a ſeculo usque in ſeculum.* 2 Par. XV, 13. לְמִן קָטֹן וְעַד־גָּדוֹל *a parvo ad magnum.* מָצוֹר, quod alias *munitionem*, vel *ob-*

obsidionem notat, hoc loco, ubi Assyriae opponitur, pro Aegypti nomine capiendum est, ut 2 Reg. XIX, 24. *Siccabo planta pedum meorum* כֹּל יְאֹרֵי מָצוֹר *omnes fluvios Aegypti.* Et Jes. XIX, 6. וְחָרְבוּ יְאֹרֵי מָצוֹר *et siccabuntur fluvii Aegypti,* ubi Kimchi recte observat, מָצוֹר esse idem quod מִצְרַיִם. Bochartus *Phaleg.* L. IV. Cap. 24. p. 293. nomen מָצוֹר, id est, *muniti loci,* Aegypto inditum inde putat, quod nulla regio sit naturali situ tutior. Ὀχυρότητι δὲ φυσικῇ, inquit Diodorus, L. I. p. 18., *οὐκ ὀλίγῳ δοκεῖ προέχειν τῶν εἰς βασιλείαν ἀφορισμένων τόπων, munimento naturali non parum videtur antestare locis* reliquis *in regnum distinctis.* Ab occasu enim desertum habet inaccessum, a meridie Nili cataractas et montes Aethiopiae, ab ortu item eremum, et paludem Sirbonidis, ab aquilone mare prope importuosum. Bocharto adstipulatur P. E. Jablonskius in *Opuscul.* T. I. p. 219., ita tamen, ut nomine Hebraeo Delta potissimum designetur, s. illa Aegypti pars, quam Nilus totus alluit et circumdat, quam Aegyptios sermone suo Πτίμυρις vocasse, auctor est Ephorus apud Stephanum Byzantinum in voce Δέλτα. Vocem Πτίμυρις autem Jablonskius eandem existimat cum Aegyptiaca seu Coptica ΠΤΙΜΟΥΡ, *cingens cingulo,* qua proprie appellatum existimat Nilum, qui flumine suo, tanquam muro, Delta circumdat, tum vero nomen illud per metonymiam etiam inditum esse terrae, quae a Nilo circumvallata et quasi munita est, ut igitur significatione fere cum מָצוֹר conveniat. וּלְמִנִּי מָצוֹר וְעַד־נָהָר *Et* e terris *inde ab Aegypto usque ad fluvium,* i. e. Euphratem (פְּרָת, ut recte Chaldaeus posuit, cf. not. ad Jesaj. VII, 20.), quem Assyrii accolunt, coll. Jerem. II, 18. וּמַה־לָּךְ לְדֶרֶךְ אַשּׁוּר לִשְׁתּוֹת מֵי נָהָר *Quid tibi itio est in Assyriam, ut bibas fluminis aquas?* וְיָם מִיָּם *Et ad mare a mari,* ab uno ad alterum; gentes inter remotissima et opposita prorsus maria ac montes positae ad te venient. Sunt, qui existiment, describi hisce verbis terminos terrae Hebraeorum, ut verba ita sint intelligenda: *ad mare* occidentale, magnum *a mari* altero orientali

s. mor-

ſ. mortuo, *et a monte* Libano *usque ad montem* Sinai, coll. Joſ. I, 4. Joel IV, 20. Sed prior ratio praeſtat, quum verbis hisce וְיָם מִיָּם וְהַר הָהָר haud dubie orbis terrarum fines deſcribantur ex veterum notionibus, *a mari* quidem *ad mare*, i. e. ab oriente ad occaſum, cf. Amos VIII, 12. et ibi not. Ita Homerus, Strabone obſervante, *Geograph.* L. I. Cap. 1. *τοὺς δὲ πρὸς ταῖς ἀνατολαῖς καὶ δύσεσιν αἰνιττόμενος ἐκ τοῦ τῷ ὠκεανῷ κλύζεσθαι eos qui ad ortum et occaſum ſolis habitant*, per ambages deſcribens, *innuit eos oceano allui.* Verbis autem poſtremis וְהַר הָהָר (pro וּמֵהַר עַד הָהָר, ſunt enim particulae ex antecedentibus ſubaudiendae) *et a monte* uno usque ad *montem* oppoſitum, orbis terrarum fines a ſeptentrione ad auſtrum deſcribi haud dubitamus. Videntur enim Hebraei opinati eſſe, terminari terram utraque illa coeli plaga montibus, quemadmodum priſci Graeci et Latini ultimis ſeptentrionem verſus terrae oris Rhipaeum montem, auſtrum verſus Atlantem poſuerunt. Et de illo quidem Pomponius Mela *de ſitu orbis* L. I. extremo: *Ultra ſurgit mons Rhipaeus, ultraque eum jacet ora, quae ſpectat Oceanum.* Virgilius *Georg.* I, 240.:

Mundus ad Rhipaeas arduus arces conſurgit.

De Atlante vero ad auſtrum coelum fulciente idem Virgilius *Aeneid.* IV, 246.:

Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit.

Montem conventus deorum in extremis ſeptentrionis Hebraeos exiſtimaſſe, vidimus ad Jeſ. XIV, 13. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 154. Senſu hoc noſtrum oraculum non differt ab illo ſupra IV, 1. 2. Jeſ. LX, 5. de populis undique ad Hieroſolymam confluentibus. Chaldaeus noſtrum Verſum capit de reverſuris undique exſulibus in patriam terram. בְּעִדָּנָא הָהִיא יִתְכַּנְשׁוּן גַּלְוָתָא דְמִן אַתּוּר וְקִרְוֵי תוּקְפָּא וּדְמִין חוּרְמִינֵי רַבְּתָא וְקִרְוֵי צִירָא וְעַד פְּרָת וְיַמָּא מֵעַרְבָאָה וְטוּרֵי טוּרָא *Illo tempore congregabuntur deportationes*, i. e. deportati Hebraei *ex Aſſyria et civitatibus*

 for-

fortibus, ex Armenia etiam grandi et civitatibus munitis, et usque ad Euphratem et montana montis. Hebraeum לְמִנִּי, initio fecundi Verfus noftri hemiftichii, interpres fumfit pro nomine proprio מִנִּי, quo *Armenia* indicari exiftimatur Jerem. LI, 27.; vid. et not. ad Pf. XLV, 9. Recte vero obfervat J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1524., Chaldaeum male h. l. interpretatum effe, et tempori, quo Michas vixit, parum apte. „Late dominabantur a feptentrione Affyrii, nec Ifraelitarum fines, Affyriorum magno diremti imperio, Armeniam attingebant.“ De reditu Hebraeorum deportatorum e terris exteris hunc Verfum intelligit quoque Hieronymus: „Eft fenfus,“ inquit, „nequaquam Babyloniorum imperio fubjacebis; in die illa qua aedificabuntur maceriae tuae, venient ad te de Affur et de civitatibus munitis; a civitatibus, inquam, munitis usque ad Jordanem, per quem et ante transivit populus, et a mari rubro et cunctis gentibus usque ad mare mortuum, quod vicinum eft terrae tuae, et ad montem Sion, de montibus Perfarum atque Medorum, in quos translati prius fuerant.“ Confentit in rei fumma Syrus: ܝܘܡܐ ܗܘ ܕܙܒܢܟܝ ܢܐܬܐ ܡܢ ܐܬܘܪ ܘܡܢ
ܡܕܝܢܬܐ ܥܫܝܢܬܐ ܘܡܢ ܨܘܪ ܘܥܕܡܐ ܠܢܗܪܐ ܘܡܢ ܝܡܐ
ܘܥܕܡܐ ܠܝܡܐ ܘܥܕܡܐ ܠܗܘܪ ܛܘܪܐ *dies eft, quo tempus tuum veniat* (redeundi) *ex Affyria, et ex urbibus munitis, a Tyro ad flumen usque, et a mari usque ad mare, et usque ad montem Hor.* Pro מָצוֹר in fecundo hemiftichio legit מִצּוֹר *a Tyro*, quemadmodum Graecus Alexandrinus interpres, qui ceterum comminationem in Babylonem, Verfu praecedente, ex fua fententia, inchoatam, hoc commate continuari opinatus eft: *Καὶ αἱ πόλεις σου ἥξουσιν εἰς ὁμαλισμὸν, καὶ εἰς διαμερισμὸν Ἀσσυρίων, καὶ αἱ πόλεις σου αἱ ὀχυραὶ εἰς διαμερισμὸν ἀπὸ Τύρου ἕως τοῦ ποταμοῦ Συρίας, καὶ ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης, καὶ ἀπὸ τοῦ ὄρους ἕως τοῦ ὄρους.* Pro וְעָדֶיךָ legit ועריך, vocem לְמִנִּי autem retulit ad מָנָה *numeravit*, quod *dividendi* fignificatu fumfit.

ſumſit. Arabicus interpres pro ἕως τοῦ ποταμοῦ Συρίας in Graeco ſuo codice videtur ἕως τοῦ ὄρους Συρίας legiſſe, vertit enim: إِلَى جَبَلِ سُورِيَّا *usque ad montem Syriae*, quo forſan Libanum montem intellexit. A codice Romano tamen Συρίας abeſt, nec legit Hieronymus, qui Graeci interpretis mentem ita declarat: „*Et civitates tuae venient in* concluſionem, ſive in *diviſionem*, Aſſyriis te impugnantibus (ſiquidem Babylon Chaldaeorum fuit civitas, non Aſſyriorum). *Et urbes tuae munitae erunt in diviſionem* hoſtilis exercitus, *a Tyro usque ad fluvium* Tigrim, quo circuiris, *et a mari* magno *usque ad mare* rubrum, quod ex latere pergentibus Indiam tangit regiones tuas. *Et de monte usque ad montem*, de montibus ſcilicet Judaeae usque ad montes Mediae atque Perſarum, tota Meſopotamia et univerſa regio, quae nunc a te tenetur in medio, adverſariorum imperio ſubjugabitur. Ubi Septuaginta interpretati ſunt *de Tyro*, ſciamus, in Hebraico ſcriptum eſſe *Maſor*, quod verbum, ſi in praepoſitionem *Ma*, et nomen *Sor* dividatur, *de Tyro* intelligatur, ſin autem unus ſermo ſit, *munitionem* ſonat. Denique omnes περιοχήν, καὶ περίφραγμα, καὶ πολιορκίαν, non de Tyro, ut LXX, ſed *munitionem* et *ambitum muratae urbis* transtulerunt."

13. Quemadmodum alias ſaepe promiſſionibus prophetae minas immiſcere ſolent, ita et Noſter, poſtquam loquutus eſſet de reſtitutione terrae et futura ejus dignitate, ut depellat impios a vana ſua, qua turgebant, confidentia, atque ne irrita fore exiſtimarent, quae ſupra VI, 13. ſeqq. comminatus fuerat, ut iſtas minas confirmet, jam addit: וְהָיְתָה הָאָרֶץ לִשְׁמָמָה עַל יֹשְׁבֶיהָ Jam tamen *erit haec terra in devaſtationem propter incolas ejus*, i. e. prius tamen, quam impleantur magnificae iſtae promiſſiones de inſtauranda urbe Hieroſolymitana, et adducendis in ſinum ejus variis gentibus, incolis hujus terrae promeritae poenae erunt luendae, tota eorum regio ab hoſtibus vaſtabitur.

הָאָרֶץ *Haec terra* scil. Israelitica, praepositum enim est *He* articuli δεικτικῶς sumendum. עַל יֹשְׁבֶיהָ *Propter incolas ejus* impios, cf. Jes. XXIV, 5. *Contaminata est haec terra sub habitatoribus suis, quia transgrediuntur leges, mutant decretum, irritum faciunt foedus perpetuum.* מִפְּרִי מַעַלְלֵיהֶם *Ob fructum facinorum suorum,* ut prout sementem fecerint ita metant. *Fructus* hic est *praemium*, ut Ps. LVIII, 12. אַךְ־פְּרִי לַצַּדִּיק *certe fructus est justo*, pio certa sunt praemia sua. Jes. III, 10. *Pii* פְּרִי מַעַלְלֵיהֶם יֹאכֵלוּ *fructum factorum suorum comedent,* benefactorum suorum praemia ferent. Parum commode nonnulli interpretes hoc Versu terrae hostilis devastationem denunciari existiment.

14. Postquam repetiisset vates comminationem de terra Israelitica vastanda Vs. 13., convertit se ad preces et vota, velit suum populum Jova in veterem libertatem ac dignitatem vindicare: רְעֵה עַמְּךָ בְשִׁבְטֶךָ צֹאן נַחֲלָתֶךָ *pasce populum tuum pedo tuo, gregem hereditatis tuae*, rege populum tuum, quem tanquam jure hereditario possidendum tibi asseruisti. Reges pastoribus conferri, notum (cf. not. ad V, 3.), hinc *pascere* pro gubernare, cf. Ezech. XXXIV, 13. Ps. XXIII, 1. Locus huic parallelus Ps. XCV, 7. *Nam ille est Deus noster, et nos* sumus *populus pascui sui et grex manus suae*; cf. not. ad eum loc. שֹׁכְנִי לְבָדָד *Habitantem* s. habitaturum *seorsim*, i. e. qui non amplius inter alios populos dispersus sit et cum iis commixtus, sed e terris exteris collectus a reliquorum populorum communione segregatus habitet, inque patria tellure sub rege Jova rempublicam constituat peculiarem, quae non ex alieno arbitrio pendeat. Hoc sensu Bileamus in vaticinio, quo, licet invitus, populo Hebraico fausta quaeque ominatur, inter alia Num. XXIII, 9. (al. 13.) haec dicit: *Quum e summitate rupium illum* (populum) *adspicio, et e collibus contemplor illum,* הֶן־עָם לְבָדָד יִשְׁכֹּן וּבַגּוֹיִם לֹא יִתְחַשָּׁב *en populus*, qui *solus habitat, et* aliis *gentibus se ipsum non annumerat*, i. e. religione, legibus et institutis vitae ab omni-

omnibus aliis ſegregatus eſt. Ad quem ipſum Bileamitici vaticinii locum reſpexiſſe hic Micham, veriſimile facit illud, quod Noſter ſupra VI, 5. inter beneficia a Jova in populum Hebraicum olim collata diſerte hoc memorat, quod Bileamus populo illi bene precari vi divina coactus fuerit. Alii interpretes noſtro לְבָדָד *ſecuritatem* innui exiſtimant, nam ſecuritatis eſt, habitare ſolum, nec cinctum eſſe vicinis, a quibus hoſtile quid metuendum ſit. Ita Jerem. XLIX, 31. *Surgite, aſcendite ad gentem tranquillam, habitantem ſecure, cui non ſunt valvae neque vectes,* בָּדָד יִשְׁכֹּנוּ *ſoli habitant.* Et Deuter. XXXIII, 28. וַיִּשְׁכֹּן יִשְׂרָאֵל בֶּטַח בָּדָד *habitet Iſrael ſecure ſeorſim,* non commixtus Cananaeis, inter quos ſecure vivere non poſſit. Alii noſtrum locum ſic intelligunt: *paſce,* cura *populum tuum, qui* jam *ſolus* lugens *habitat,* ut Jerem. XV, 17. מִפְּנֵי יָדְךָ בָּדָד יָשַׁבְתִּי *propter manum tuam,* quae nobis graviter incumbit, *ſolitarius ſedeo,* lugens populi mei calamitatem. Thren. III, 28. יֵשֵׁב בָּדָד וְיִדֹּם *ſedet ſolus et ſilet, quum* Deus *ei impoſuerit* jugum. Sunt denique, qui *populo ſeorſim habitante* intelligant *deſertum,* omni auxilio deſtitutum, vel inter hoſtes et beſtias derelictum, coll. Jeſ. XXVII, 10. כִּי עִיר בְּצוּרָה בָּדָד *nam civitas munita* erit *ſolitaria, caula disjecta et dereſicta velut deſertum.* Verum non de ſtatu praeſente miſero populi Hebraei prophetam h. l. loqui, ſed de futuro felici, quem optat, omnis orationis tenor et hemiſtichii poſterioris parallelismus oſtendit. De שֹׁכְנִי cum Jod paragogico vid. not. ad Obad. Vs. 3. Pergit vates: יַעַר בְּתוֹךְ כַּרְמֶל (paſce gregem tuum) in *ſylva in medio Carmeli,* ſubaudito ב ante יַעַר, vel, repetito שֹׁכְנִי, *habitantem,* incolentem *ſylvam Carmeli,* ut pendeat יַעַר a verbo שָׁכַן, quod apud Hebraeos cum Accuſativo non minus, quam cum praefixo ב jungitur, vid. Proverb. II, 21. X, 30. Quum vates Jovam paſtori, populum gregi comparaſſet, in hac ſimilitudine perſiſtens, orat, velit Deus ſuum gregem in paſcuis optimis paſcere, qualia ſunt agri ſaltuoſi et irrigui. Virgilius *Georg.* II, 195. ſeqq.

Si

Sin armenta magis ſtudium vitulosque tueri,
Aut foetus ovium, aut urentes culta capellas;
Saltus, et ſaturi petito longinqua Tarenti.

Et *Georg.* III, 322. ſeqq.

At vero Zephyris quum laeta vocantibus aeſtas
In ſaltus utrumque gregem atque in paſcua mittet.

De Carmele paſcuis praeſtantiſſimis nobilitato vid. not. ad Amos I, 2. Kimchius ſubaudita ante בְּתוֹךְ ſimilitudinis particula כ, noſtra verba hoc ſenſu capit: paſce gregem tuum incolentem *ſylvam, quaſi in medio Carmeli*, i. e. ut in ſylvoſis atque incultis locis aeque tuto et tranquille degant, quam in excultis arvis, nullas ferarum vel latronum incurſiones metuentes; collato Ezech. XXXIV, 25. *Pangens eis foedus pacis faciam ut ceſſent beſtiae malae e terra, ut habitent in deſerto ſecure, et dormiant in ſylvis.* Chaldaeus: דַּהֲווֹ צָדְיָן בְּחוּרְשָׁא יִתְיַתְּבוּן בְּכַרְמְלָא *qui erant deſerti in ſylva, habitabunt in Carmelo.* Vitringa in *Commentar. ad Jeſaj.* XXXVII, 24. noſtrum locum ſic exponit: *paſce populum tuum inſtar* denſi et conferti *gregis*, ut videatur eſſe *ſaltus in medio Carmeli.* Reſpici putat denſitatem et copiam gregis ſub imagine ſaltus. Sed quem nos adoptavimus ſenſus haud dubie planior magisque accommodatus ei quod ſequitur: יִרְעוּ בָשָׁן וְגִלְעָד *paſcantur in Baſan et Gilead*, quae utraque regio paſcuis laeta erat, de priore vid. not. ad Amos IV, 1., de altera Num. XXXII, 1. et ad eum loc. not. כִּימֵי עוֹלָם *Sicut diebus priſcis*, Salomone regnante, quo regni finibus ampliatis alta pax regnabat, 1 Reg. V, 5. Cf. not ad Amos IX, 11. ſub fin.

15. Reſpondet Deus ad petitionem prophetae: כִּימֵי צֵאתְךָ מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם אַרְאֶנּוּ נִפְלָאוֹת *ſicut diebus egreſſionis tuae*, ut cum majores tui egreſſi ſunt *ex Aegypto, oſtendam ei* populo *miranda*, tanta in ejus gratiam potentiae meae documenta edam, ut omnes gentes ad ea obſtupeſcant. Cf. Ezech. XX, 35. 36.

16.

16. יִרְאוּ גוֹיִם וְיֵבֹשׁוּ מִכֹּל גְּבוּרָתָם *Videbunt gentes* facta illa admiranda, *et pudefient ab omni fortitudine ſua*, i. e. pudebit eos univerſae potentiae ejus, qua confiſi putabant ſe nihil non effecturos. Cum ergo fruſtra erunt ea res ipſos in ruborem dabit. Cf. Ezech. XXXII, 30. מִגְּבוּרָתָם בּוֹשִׁים *a potentia ſua erubeſcentes.* יָשִׂימוּ יָד עַל־פֶּה *Ponent manum ad os*, prae tacita admiratione, et ut innuant nullam ſibi jam ſupereſſe gloriationis maceriam. Geſtus ille eorum, qui ſibi aut aliis ſilentium imperant, vid. Jud. XVIII, 19. Job. XXI, 5. אָזְנֵיהֶם תֶּחֱרַשְׁנָה *Aures eorum obſurdeſcent*, adeo erunt conſternati, ut quae dicentur non percipiant. Ita 1 Sam. III, 11. *Ecce ego facturus ſum rem in Iſraelem, quam quisquis audiverit, tinnient ambae aures ejus*, ut prae horrore ſenſus ejus hebetentur.

17. יְלַחֲכוּ עָפָר *Lingent pulverem*, ſupplices terram deoſculabuntur ad teſtificandam ſervitutem, quemadmodum adhuc hodie ſolent in Aſia cum regem adeunt terram deoſculari. Hoc Ennius dixit apud Diomed. 1.: *Pinſebant terram genibus.* Reperitur haec loquutio et Pſ. LXXII, 9. *Coram illo incurvabunt ſe incolae deſerti, et inimici ejus terram lingent.* Chaldaeus: יִשְׁתַּטְּחוּן עַל אַפֵּיהוֹן עַל אַרְעָא *expandent ſe ſuper faciem ſuam in terram.* כַּנָּחָשׁ *Sicut ſerpens*, qui ſuper pectus ambulat, ac proinde humum lingit, quam etiam *edere* dicitur, Geneſ. III, 14. Jeſaj. LXV, 25. כְּזֹחֲלֵי אֶרֶץ *Sicut ſerpentia terrae*, reptilia, quae ſerpunt in terra, ut Deut. XXXII, 24., quo loco Saadias Participium verbi زحل, quod in Lexicis *declinavit*, *diſceſſit* explicatur, eodem *rependi* ſignificatu uſurpat. Ceterum accentus docent, hoc ſimile non eſſe jungendum verbo, quod praecedit, ſed ei quod ſequitur: יִרְגְּזוּ *movebunt ſe* trepidi, de tali enim motu verbum dicitur Jeſaj. XIV, 9. LXIV, 1. מִמִּסְגְּרֹתֵיהֶם *E clauſtris ſuis*, id eſt, ut recte Chaldaeus, מִבִּרְנְיָתֵיהוֹן *ex arcibus ſuis*, quibus incluſi degunt, ut tuti ſint. Cf. Pſalm. XVIII, 46. *Alienigenae marceſcent*, וְיַחְגְּרוּ

וְיִרְגְּזוּ מִמִּסְגְּרוֹתָם *et trepidabunt* (alii: *exibunt*) *e claustris suis.* Dicit igitur vates: etiamsi putaverint populi Hebraeis inimici, se esse tutos in arcibus suis bene munitis, tamen ubi Jova ad opem suo populo ferendam surrexerit, tanta formidine percellentur, ut trepidi et supplices prodeant, quemadmodum cum fodiendo terra movetur, statim erumpunt vermes, et trepide huc et illuc diffugiunt. אֶל־יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יִפְחָדוּ *Ad Jovam, Deum nostrum, pavebunt,* pavidi accurrent, deposita pristina ferocia; cf. Hos. III, 5. וְיִרְאוּ מִמֶּךָּ *Et timebunt a te,* Jova, quod praecessit. Ita Jerem. X, 7. מִי לֹא יִרָאֲךָ מֶלֶךְ הַגּוֹיִם *quis te non timeat, rex gentium?* Possit tamen sermo et ad populum Hebraicum directus esse, quomodo planius fluet oratio, innueturque reverentia populo Hebraeo obventura. Cf. Deut. XXVIII, 10. *Videntes omnes orbis terrarum nationes vos Jovae nomine censeri, a vobis metuent.*

18. Vates, tantorum, quae in populum Hebraeum Jova conferre promittit, beneficiorum cogitatione in admirationem abreptus, in laetam exclamationem erumpit: מִי־אֵל כָּמוֹךָ נֹשֵׂא עָוֹן *quis est Deus* ita clemens et benignus, *tui similis tollens culpam,* ut non imputetur, ut condonetur, s. poenam peccati tollens; cf. Exod. XXXIV, 7. Num. XIV, 18. וְעֹבֵר עַל־פֶּשַׁע *Et transiens,* impunitam transmittens, *praevaricationem,* ita se gerens, quasi eam omnino non videret. Similitudo a victore sumta, qui quae introspicere non vult praeterit. Cf. not. ad Amos VII, 8. לִשְׁאֵרִית נַחֲלָתוֹ *Reliquiis hereditatis suae,* populi sui, quem peculii instar habet; Vs. 14. *Reliquias* dixit pro iis, qui reliqui erunt liberationis tempore, ut VIRGILIUS *Aeneid.* I, 30. *Reliquias Danaum atque immitis Achilli.* לֹא־הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ *Non retinet in perpetuum iram suam,* non ostendit se implacabilem. Quod ipsum de Deo praedicatur Ps. CIII, 9. *Non in perpetuum litigare solet, nec in aeternum servat iram.* כִּי־חָפֵץ חֶסֶד הוּא *Nam cupiens benignitatem ipse est,* benignitate, clementia delectatur;

רְעֵי

רָעֵי לְאֵיטָבָא *amat benefacere,* ut recte Chaldaeus poſuit, id ei proprium eſt et naturale; poenae et ſupplicia ei extorquentur,

— — *et quoties ſaevus eſſe cogitur, dolet.*

19. יָשׁוּב יְרַחֲמֵנוּ *Revertetur miſerebitur noſtri,* iterum noſtri miſerebitur. Verbum שׁוּב *reverti,* ubi alio verbo jungitur, notare iterationem actus, ſed adverbialiter pro *iterum, denuo* ſumendum eſſe, notum. Solent autem tum duo illa verba ſaepius eodem tempore et perſona adhiberi, idque vel intercedente particula conjunctiva ו, ut Jud. XIX, 7. וַיָּשָׁב וַיָּלֶן שָׁם *et reverſus eſt et pernoctavit ibi,* i. e. iterum pernoctavit illic; vel etiam nude et absque illa, ut Ezech. VIII, 15. עוֹד תָּשׁוּב תִּרְאֶה *adhuc denuo majores abominationes prae illis videbis.* Alii noſtrum יָשׁוּב ſenſu non multum diverſo a יְרַחֲמֵנוּ accipiunt, quod quemadmodum Deus *recedere a populo* quodam, aut *illum relinquere* dicitur, quando eum praeſidio ſuo orbatum hoſtium poteſtati tradit, Deut. XXXI, 17. Jud. XVI, 13. 20. 1 Sam. XVIII, 12.; ita contra *reverti* dicitur, quando ſe ejus curam gerere poſtliminio oſtendit, eique nova amoris et auxilii documenta exhibet, Deut. XXX, 19. Pſ. VI, 5. LX, 3. Jeſ. LXIII, 17. Ita hic duo conjungerentur, Deum, qui ſe ad illud tempus quaſi averterat a Judaeis, jam ad eos reverſurum, eisque in ſtatu miſerrimo ſubventurum, et miſericordia ſua eos complexurum eſſe, quod Zach. I, 16. eſt *reverti in* ſ. *cum miſericordia.* יִכְבּוֹשׁ עֲוֹנֹתֵינוּ *Calcabit noſtras iniquitates,* i. e. ſupprimet eas, premet pedibus, ut earum perpetuo obliviſcatur. Ita Kimchi, nec non Grotius: „*Sub pedibus ponet,* ut ea quae adſpicere nolumus." Conr. Ikenius vero in Diſſertat. *de pravitatum Iſraelis ſubactione et peccatorum in profundiſſimum mare projectione ad Mich.* VII, 19., quae eſt *ſeptima* in ejus *Diſſertatt.* Vol. II. p. 264. ſeqq., quum verbum כָּבַשׁ nusquam alias adhibeatur de tali *ſubmiſſione rei ſub pedes,* ut illis occultetur et viſui ſubducatur; verum ſemper dicatur de *ſubactione,* qua rem aliquam

aliquam noſtrae poteſtati aut arbitrio ſubjicimus, veluti Geneſ. I, 28. Num. XXXII, 22. 29., vel de *ſubjugatione* hoſtium, quos devincimus et nobis mancipamus, ut 2 Sam. VIII, 11. 2 Chron. XXVIII, 10. Jerem. XXXIV, 11. 16.; hoc loco peccatum ſiſti exiſtimat imagine *duri* et *potentis domini*, *adverſarii*, aut *accuſatoris* hominis, cujus poteſtatem Deus infringat, ut illi amplius dominari eumque ulterius captivum detinere nequeat. Eodem ſenſu et Aben-Esra noſtrum locum cepit: וטעם יכבוש הפך דִּבְרֵי עֲוֹנוֹת גָּבְרוּ מֶנִּי שלא ימשלו בנו עוד *ſenſus verbi* יִכְבּוֹשׁ, ſubiget, *oppoſitum ejus exhibet quod dicitur Pſ. LXV, 4.* Pravitates praevaluerunt mihi; *ut ſenſus ſit: ſubigat illas, ne dominentur nobis amplius.* Prior ratio tamen planior. Addit vates: וְתַשְׁלִיךְ בִּמְצוּלוֹת יָם כָּל־חַטֹּאתָם *et projicies in profunditates maris omnia eorum peccata,* aeterna oblivione delebis memoriam peccatorum noſtrorum. Nam quae mari immerſa ſunt, eorum non eſt amplius apud nos memoria. Quae funditus deleta quis cupit, et quorum etiam veſtigia aut memoriam remanere nolit, ea *in mare projici* dicuntur et Graecis et Latinis. Ita Horatius *Lib.* I. *Od.* XVI. declarans, ſe jambos quosdam, quibus puellam quandam proſciderat, ſcripſiſſe nolle, deletosque omni modo velle, dicit:

Quem criminoſis cunque voles modum
Pones jambis, ſive flamma
Sive mari libet Hadriano.

Et *Od.* XXVI.

— — Triſtitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Tibullus *Eleg.* L. I, 9. Vs. 49.

Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, et liquida deleat amnis aqua.

Cicero *Actione* IV. *in Verrem.* Cap. XI. *Nec prius illam crucem, quae etiam nunc civis Romani ſanguine redundat,*

quae

quae fixa est ad portam urbemque vestram, revellistis, neque in profundum abjecistis. Patet proverbialem esse loquutionem, de re, quam prorsus abolitam cupimus, ut Graecum *βάλλ' εἰς ὕδωρ*, vid. Schotti *Adag.* p. 47. Ita Lucianus in *Timone* §. 56. Σοῦ δὲ αὐτοῦ χάριν ἐστάλην, οὗς μὴ διαφθείρῃ σε τὸ κάκιστον τοῦτο καὶ ἐπιβουλότατον κτῆμα ὁ πλοῦτος, ὁ πολλοῖς πολλάκις αἴτιος ἀνηκέστων συμφορῶν γεγενημένος· εἰ γάρ μοι πείθοιο, μάλιστα ὅλον εἰς τὴν θάλατταν ἐμβαλεῖς αὐτόν. Et in ejusd. Vit. Auct. 9. Τὰ δὲ χρήματα, ἣν ἔχῃς, ἐμοὶ πυθόμενος ἐς τὴν θάλατταν φέρων ἐμβαλεῖς. Ikenius in Differtat. laud. p. 274. seqq. hebraeam nostram loquutionem a more veterum Judaeorum repetit, sordes aliasve res immundas, praesertim eas, quae superstitioso simulacrorum cultui consecratae essent, in mare projiciendi, id quod locis Talmudis atque Maimonidis Commentariis pluribus ostendit. „Quum igitur," inquit, „peccata in Sacris Literis saepissime *sordium* et *immunditiei* nomine veniant, quid magis ad rem facit, quam ut illorum abolitio sub emblemate projectionis in mare, quae in rebus immundis imprimis locum habebat, depingatur?" Simul vero hac loquutione eo quoque alludi Ikenius existimat, quod lustrationibus apud plerosque antiquitatis populos *aqua marina* adhiberi soleret, cui singularem purgandi vim inesse credebant, sive personae aut res lustrandae illa conspergerentur, sive ipsae mari immitterentur, quod *mare*, ut ait Cicero *Orat. pro Roscio Amerino.* Cap. 26., *crederetur omnia purgare.* Seu, ut Euripides in *Iphigenia in Taur.* Vs. 1193. dicit: Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. Cujus opinionis tamen apud veteres Hebraeos nullum vestigium deprehendimus. Ceterum ad sensum cum nostro loco comparandus est Jesaj. XLIII, 25. *Ego ipse deleo defectiones tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordor.*

20. תִּתֵּן אֱמֶת לְיַעֲקֹב *Dabis veritatem Jacobo*, praestabis te veracem in praestandis promissis. אֱמֶת hic ut alias est

eſt fides et conſtantia in ſervandis promiſſis. *Jacobo* pro Jacobaeis, Iſraelitis. Praeſtabis, inquit, Jacobi poſteris, quod Jacobo promiſiſti, Geneſ. XXXV, 9 — 15. Ita Chaldaeus: תִּתֵּן קוּשְׁטֵיהּ דְּיַעֲקֹב לִבְנוֹהִי כְּמָא דְקַיֵּימְתָּא לֵיהּ בְּבֵיתְאֵל *dabis veritatem Jacobi filiis, quemadmodum ei jurejurando pollicitus es in Bethel.* Dabis, pergit, חֶסֶד לְאַבְרָהָם *benignitatem Abrahamo,* bonitatem tuam oſtendes erga Abrahami ſobolem. Solent enim poſteri vocari nomine majorum. Chaldaeus: טַבְוָת אַבְרָהָם לְזַרְעֵיהּ בַּתְרוֹהִי כְּמָא דְקַיֵּימְתָּא לֵיהּ בֵּין בִתְרַיָּא תִּדְכַּר לָנָא עֲקֵידַת יִצְחָק דְּאִתְעֲקַד עַל גַּבֵּי מַדְבְּחָא קֳדָמָךְ *benignitatem praeſtabis poſteris Abrahami poſt eum, quemadmodum ei promiſiſti inter diviſiones* (diſſectas ſacrificii partes, Geneſ. XV, 10.); *memor eris in noſtri gratiam alligationis Iſaaci, qui alligatus fuit ſuper altare coram te.* אֲשֶׁר־נִשְׁבַּעְתָּ לַאֲבֹתֵינוּ מִימֵי קֶדֶם Praeſtabis *quae juraſti patribus noſtris inde a diebus antiquitatis,* i. e. priſcis, jam olim. *Patribus,* i. e. Abrahamo ipſi, Geneſ. XII, 2. XV, 7. XVII, 7. ſeqq., Iſaaco, Geneſ. XXVI, 24., Jacobo, Geneſ. XXVIII, 13. In hac bonitate promiſſa et hoc comprehenditur, quod numquam interitura ſit illorum patrum progenies, et ut quoties ſe univerſam ad Deum convertat, reſtituatur in veterem poſſeſſionem, Deut. XXX, 1 — 4.

Cap. VII.

1. *Qualem vinea habet faciem viduata racemis,*
Fructibus aestivis penitus cum nuda relicta est,
Nec botro remanente quidem, quem capere possit
Qui relevare sitim cupiet; talis mea sors est,
Dum desidero prope contabesco bonorum.
2. *Usque adeo justis terra haec vacuata colonis*
Plena injustitia est, et fraudibus undique plena:
Nec facile est quemquam reperire in gente profana,
Qui jus fasque colens illi contraria vitet.
Alter in alterius caedem vigil excubat usque,
Leto ex insidiis ipsum demergere gaudens,
Ut venator amat sylvas indagine caeca
Claudere, in hancque agitare feras clamore sequaci
Et cane odorisequo; sic fratri retia tendit
Quisque suo, incautus sese quibus induat ipse.
3. *Cum male fecerunt, scelerum quoque praemia poscunt,*
Ceu bene sit res gesta sibi *). *Quodcunque potentes*
Imperitant, fierique volunt, pro lege sequutus
Servili inferior judex pronunciat ore:
Par nimirum aliquando pari ut grata vice reddat
Qui pote plus. Adeo inter se colludere dulce est.
Quem vires armant, sua quod sibi caeca libido
Dictarit, sequitur, damnum fabricatque minori,
Mirificisque modis contorquet cerea jura.

4. *Opti-*

*) Praeterea quod manibus suis strenue malefaciant, princeps poscit, et judex pro retributione judicat.

4. *Optimus inter eos non eſt melior paliuro;*
Quodſi quisquam alios vincit probitate minores,
Non hilo eſt melior ſpineto horrenti et acuto,
Sepem agro aſſidui quam fecit cura coloni.
Aſt ubi poena gradu lento tua venerit olim,
Quae praedicta tibi nil te commoverat ante,
Omnia tunc perplexa tibi, ratioque fugae ulla
Non erit, interitusque celer capiti impendebit.
5. *Nec ſocio conſide tuo, neque crede ſodali,*
Nec committe duci fortunas ſpesque potenti.
Imo clauſtra etiam fac oris et oſtia ſerves
Sollicite munita tui, ne forte quod inde
Proſiliat dictum tibi per jugulum rediturum.
Quin etiam ſi res modo ſit cum conjuge cara,
Quae dulci cubat in gremio tibi facta caro una,
Frena tamen linguae memor eſto imponere et ori.
6. *Namque patri natus ſummum qui debet honorem*
Probro illum afficiet ignominiaque pudenda:
Impia in effoetam conſurget filia matrem,
Inque ſocrum nurus, adverſa ipſi fronte repugnans,
Hoſti et eſt nulli, quam turba domeſtica, pejor.
7. *Tantorum in cumulo at mea mens agitata malorum*
In dominum ſpeculata aciem vibrabit amicam,
Non aliunde ſibi docta exſpectare ſalutem.
A Domino certam rebus ſperabo medelam
Afflictis, moeſtas ſolito exaudire querelas.
8. *Improba ne noſtri pariant tibi gaudia caſus,*
Gens inimica mihi. Cecidi quidem, at inde reſurgam.
Ut ſedeam in tenebris, caecae et caligine noctis
Demerſus, lumen tamen exorietur amicum
9. *Ipſe Jehova mihi. Domini aequa mente ferenda eſt*
Ira mihi, quando haec delictis debita noſtris,
Irritata in nos, factisque accenſa nefandis,
Ipſe mihi aſſertor veniet, qui vindicet aequo
Juſtam judicio cauſam, me in lumen apricum
Producens, ejusque fruar pietate paterna,

Qua

Qua nec complexus fuerit, cauſamque probarit
Damnatam arbitriis et iniquo examine vulgi.
10. *Haec mea cum obliquis oculis inimica videbit,*
Lumina dejiciet foeda cooperta pudore,
Quae mihi jam, diris inſultans cladibus, inquit:
Dic, age, ubi eſt, tua cui fallax ſpes nixa recumbit
Jova Deus? Quid opem ſperatam ferre moratur?
Illam tempus erit quando mea lumina cernent
Calcari, haud ſecus, atque lutum calcare viator
11. *Aſſolet in plateis. Tunc muros exſtruet urbis*
Ille tuae, tunc longinquas diffuſa per oras
12 *Spargentur decreta Dei *). Quo tempore terrâ*
Inde usque Aſſyria veniet denſiſſima turba
Commigrans ad te, bene munita urbe relicta,
Euphratem propter flumen, pelago indeque ab uno
Oppoſitum ad pelagus pergens, a montibus unis
13. *Ad montes alios **). Tellus vaſtata colonos*
*Evome indignos, meditantes cuncta nefanda ***).*
Tales nimirum fructus parit impia vita.
14. *At populum tibi tu dilectum paſcere virga*
Sancte velis paſtor, curae tibi ſitque tuus grex,
Quem proprium ipſe tibi ingenti mercede paraſti
Solus quique habitat ſylvas ſaltusque remotos,
Agrorum in medio †). Baſanis gramina carpant
Et Gileadis, ut et conſuerant tempore priſco.

15. *Plu-*

---

*) Quo die aedificaturus eſt macerias tuas procul ibit decretum, i. e. tyrannis barbarorum.

**) Die illo venient ad te (exteri) inde ab Aſſyria usque ad urbes Aegypti, et e regionibus inde ab Aegypto usque ad Euphratem, et e terris quae a mari ad mare (i. e. ab oriente ad occidentem) atque a monte ad montem (i. e. a ſeptentrione ad auſtrum) ſitae ſunt.

***) Attamen tellus (prius veſtra) deſolationi erit propter ſuos incolas.

†) Qui ſeorſim habitaturus ſit in ſaltu Carmeli.

15. *Plurima ceu vidit portenta Aegyptia tellus,*
Servitiis feſſus crudelibus egrederere
Quum ex illa regione, meo duce numine, quondam:
Sic et nunc homines opera admiranda videbunt.
16. *Talia dum gentes cernent, harumque potentes,*
Ora rubor maculabit eis, reprimentque labellum
Dextram ori obdentes, vocisque iter occludentes,
Et pavidis ſurdas ipſis ſtupor obſtruet aures.
17. *Haud aliter terra gradiens quam paſcitur anguis*
Pulvere, et hi lingent limum, caecisque latebris
In lucem egreſſi venient quatiente pavore.
Nempe Deum trepida ultorem male conſcia turba
Praemetuens, poenam in foribus jam ſentiet eſſe.
18. *Quis Divûm aut hominum exaequat te robore, Jova?*
Qui veniam indulget populo peccata ſatenti,
Reliquiisque ſuae condonat crimina gentis,
Non retinens aeternum irae clementia quippe.
Cui cordi eſt, incredibili bonitateque gaudet.
19. *Ergo ipſum poſitis iris miſeratio noſtri*
Denuo tanget, et a nobis quaecunque patrata
Sequius exſtirpans abolensque etiam aequoris undis
Demerget, fluctuque dabit ſorbenda marino.
20. *Tempore ceu priſco pepigiſti fida Jacobo*
Foedera, et hujus avo Abramo multo ante benignum
Praebueras te jurato, patribusque ſequutis,
Unde genus nobis; ita fidum nunc quoque praebe
Te nobis, votisque favens allabere noſtris.

Cap.

IN NAHUMUM PROOEMIUM.

Quae ad Nahumi vitam et res pertinent aeque omnia latent. Hoc unum in libri inſcriptione traditur, eum fuiſſe Elcoſitam. De qua appellatione etſi variae variorum ſint ſententiae, quarum potiores in annotatione ad Vs. 1. Capitis primi recenſebimus; maxima tamen veri ſpecie ſe commendat illa, qua ſtatuitur, vatem a loco natali, vico quodam Galilaeae, illud cognominis nactum eſſe. Quod ſi ita ſe habeat, Noſtrum, ortu Iſraelitam, everſo per Aſſyrios regno Iſraelitico, in Judaicum regnum transiiſſe, ibique ſuum vaticinium edidiſſe credibile eſt. Nam Judam alloquutus II, 1. in ea terra degiſſe ſtataque per annum ſolemnia una cum reliquis incolis celebraſſe videtur. Longe difficilior eſt quaeſtio de aetate Nahumi definienda, quum neque in fronte libri princeps, cujus tempore vixerit, ut in pluribus aliis fatidicis Hebraeorum libris, commemoretur, neque aliunde quisquam de eo innotuerit. Quare nihil ſupereſt, niſi ut ex indiciis nonnullis in ipſo vaticinio obviis colligamus, quid ea de re veriſimiliter ſtatui queat. Hebraeos, tam Judaici quam Iſraelitici regni, vatis noſtri aetate ab Aſſyriis jam-

dudum multis et gravibus malis affectos fuiſſe, non ſolum univerſum arguit vaticinium, quod acerbiſſimum in illos, ut hoſtes feroces et inſolentes, odium ſpirat, verum et illud, quod e verbis II, 3. patet, Noſtri aetate veterem utriusque regni ſplendorem atque dignitatem evanuiſſe. Thebas Aegyptias expugnatas, et qui eis auxilium tulerant, Aegyptios, Aethiopas, aliosque plures a victoribus deportatas memorat vates III, 8. 9. Quod ipſum quidem a quonam et quo tempore factum ſit haud certo liquet. Neque tamen improbabilis eſt conjectura, accidiſſe illud in expeditione a Tartane, duce exercitus Aſſyriaci, Sargone rege, in Aegyptum ſuſcepta, primis Hiskiae annis, uti ex Jeſaj. XX, 1. colligi poteſt [1]). Quarto decimo Hiskiae anno paſſus eſt exercitus Aſſyriacus inſignem illam prope Hieroſolyma ſtragem, qua Sanheribus ſalutem fuga quaerere domumque reverti coactus fuit [2]). Poſt tantam vero deleto exercitu cladem acceptam, et parricidium in ipſo Sanheribo a filiis ejus commiſſum [3]), quo tempore Medi quoque aliique populi ab imperio Aſſyriaco defeciſſe videntur, inclinari coeperunt res Aſſyriacae, ita ut Hiskias reliquo regni ſui tempore ab hoc hoſte quietus ſederet.

Sub

1) Vid. Argumentum Jeſajano vaticinio C. XX. a nobis praemiſſum.

2) 2 Reg. XIX, 35.

3) 2 Reg. XIX, 36. 37.

Sub illud igitur ipſum aevum, quo Judaeis ſpes affulgeret, fore, ut regnum ipſis adeo infenſum brevi potentiori hoſti ſuccumbat, et caput regni, Ninus, expugnetur atque ſubvertatur, noſtrum vaticinium conſignatum eſſe, non ſine veri ſpecie ſumi poſſe arbitramur [4]). Totum illud verſatur in eo, ut graves denunciet ſuppliciorum calamitates, quas Aſſyriis ob crudele, quo Judaeos premebant, imperium, ſummus et aeternus omnium rerum iuflicturus ſit arbiter. Poſtquam igitur, exordio gravi et magnifico, Jovam, gentis ſuae vindicem potentiſſimum, celebraſſet, qui illam ab Aſſyriorum inſolentia ac minis luculenter ulturus eſſet, de exitio imminenti gentis Aſſyriacae, nulla emendabilis admonitione, ſeverum Ejusdem exponit decretum. Ingentes porro belli deſcribit apparatus, hoſtilium agminum ad proelium inceſſum, cruentas ab illis clades acceptas, gemitus infelicis populi flebiles, cuncta obſidionis mala, quin et oculis quaſi triſte ſiſtit ſpectaculum, quo Ninus, regni Aſſyriaci ingens potensque caput, ineluctabili involvenda ſit ruina. Quae omnia Nahumus tanta exſequutus eſt ſententiarum gravitate, tantis verborum ponderibus, tanta auguſtarum vividiſſimisque coloribus pictarum imaginum

4) Aliorum de Nahumi aetate conjecturas, qui vatem vel Jothami, vel Manaſſis temporibus aſſignarent, expenderunt Carpzovius *Introduct. in V. T. libros canonicos* p. 381. ſeqq. et Everard. Kreenen in *Diſſertat. de Nahumi vaticinio* p. 22. ſeqq.

num copia, ut non dubitemus accedere Lowthi, facultatis poëticae arbitri maxime idonei, judicio [5]), ex omnibus minoribus prophetis neminem aequare ſibi viderì ſublimitatem, ardorem et audaces ſpiritus Nahumi [6]).

Qui Nahumo illuſtrando peculiarem operam impenderunt, hi fere nobis innotuerunt:

Theodoreti Bibliandri *propheta Nahum, juxta veritatem ebraicam latine redditus, cum exegeſi, qua verſionis ratio redditur, et auctoris ſententia explicatur*, Tiguri, 1534. 8.

Martini Lutheri *enarratio in prophetam Nahum*, in *Opp. lat.* ed. Viteberg. T. IV. p. 475., ac germanice, interprete *Stephano Agricola*, hac epigraphe: *Auslegung des Propheten Nahum*, 1555. Exſtat quoque hic commentarius germanice in Lutheri operibus vernaculo ſermone conſcriptis T. VIII. p. 529. edit. Viteb. T. VII. p. 662. edit. Altenburg., T. VIII. p. 448. edit. Lipſ., T. VI. edit. Halenſ., in cujus Praefatione p. 28. J. G. Walch, Theologus Jenenſis, uberiorem notitiam de hac interpretatione dedit.

Cy-

---

5) *De Sacra Poëſi Hebraeor.* p. 434. edit. Gotting., ſeu p. 246. edit. Lipſ.

6) De ſtilo Nahumi et ratione poëtica, quae in ejus vaticinio obſervatur, pluribus egit Kreenen l. c. p. 29. ſeqq.

Cypriani de la Huerga *Commentarius in prophetam Nahum*, Lugduni, 1538. 1561. 8.

Davidis Chytraei *Explicatio prophetae Nahumi*, quae una cum *explicatione prophetae Micheae* prodiit Vitebergae 1565. 8. In Chytraei *Opp.* T. II. p. 341.

Hectoris Pinti *Commentarius in Danielem, Nahum, et lamentationes Jeremiae*, Conimbriae, 1582. Coloniae eod. anno, in oct., Venetiis, 1583. in quat., Antverpiae, 1595. in octon. Exſtat et in Ejusd. *Operibus in V. T.* Colon. 1616. quinque voluminibus in quat., et Paris. 1617. tribus volumm. fol.

Salom. Gesneri *paraphraſis et expoſitio in Nahum*, Vitebergae, 1604. in oct.

Ludov. Crocii *Commentarius in Nahum*, Bremae, 1620. 1627. in duod.

Augustini de Quiros *Commentarii in prophetas Nahum et Malachiam*, Hispali, 1622. fol. Lugd. 1623. 4.

Joa. Henr. Ursini *Hypomnemata in Obadiam et Nahum*, Francofurti, 1652. 8.

Matthiae Hafenrefferi *Commentarius in Nahum et Habacuc*, Stutgard. 1663. in quat.

R. Abarbenelis *Rabbinicus in Nahum Commentarius Latio donatus a* Joa. Diderico Sprechero, Helmſtad. 1703. in quat.

Petri van Holke, Eccleſiaſtis Leidenſis, *Explicatio analytica prophetarum ſex poſteriorum*

ex

ex minoribus ſermone belgico prodiit Lugd. Batav. 1709. in quat., in linguam germanicam autem verſa ita inſcripta: Petri van Holke *zergliedernde Auslegung über die ſechs letztere kleine Propheten, Nahum, Habacuc, Zephania, Haggai, Zachariam und Malachiam. Vor jedem Propheten gehet her eine Einleitung zur Auslegung, darinn die Zeit, die Anleitung, das Abſehen, der kurze Inhalt, die Göttlichkeit und Abtheilung jeder Weiſſagung vorgeſtellt werden; mit einem Anhange wegen der Jüden zukünftigen Wiederkehrung in ihr Land und Stadt, zufolge vieler Weiſſagungen, die erkläret werden.* Frankf. und Leipz. 1710. in quat.

Adami Wildii *Meditationes Sacrae in prophetam Nahum, cujus vaticinii verus pariter ac genuinus, a ſpiritu ſancto intentus ſenſus literalis oſtenditur,* Francofurti, 1712. in quat.

Vaticinia Chabacuci et Nahumi, itemque nonnulla Jeſajae, Micheae et Ezechielis oracula obſervationibus hiſtorico-philologicis ex hiſtoria Diodori Seculi circa res Sardanapali ea methodo illuſtrata, ut libro priore hiſtoria veterum ſcriptorum de Sardanapalo vindicetur, et defectio Medorum ab Aſſyriis non ad Aſarhaddonis initium, ſed ad regni finem revocetur; poſteriore vero oracula prophetica eadem hiſtoria duce explicentur. Quibus appendicis loco adjicitur Commentatio hiſtorico-philologica de leſſu Jeremiae in obitum Joſiae

Jerem.

Jerem. VIII, 18. ad finem Cap. IX. quaerendo. Auctore M. Joa. Gottlieb Kalinsky, verbi divini in ecclesia Landeshuttensi Ministro. *Praemittitur Praefatio* Joa. Frid. Burgii. Vratislaviae, 1748. in quat.

Vaticinium Nahumi observationibus philologicis illustratum, Dissertat. praes. M. C. M. Agrell, Resp. N. S. Colliander, Upsal. 1788. 4.

S. F. Günther Wahls *Neue Uebersetzung des Gesanges, der uns vom Propheten Nahum übrig ist.* In dem *Magazin für alte, besonders morgenländische und biblische Literatur. Dritte Lieferung,* Halle, 1790. in oct. p. 62. seqq.

Nahum, neu übersetzt mit erklärenden Anmerkungen von Heinr. Adolph Grimm, Düsseldorf, 1790. 8.

Vaticinia Nahumi et Habacuci. Interpretationem et notas adjecit E. J. Greve. *Editio metrica,* Amstelod. 1793. in quat.

Utriusque vaticinii textum hebraicum ex codicibus, versionibus antiquis atque conjecturis refictum, novisque punctis vocalibus, systemati metrico Hebraeorum a se excogitato accommodatis instructum hoc volumine Grevius dedit, praemissis Dissertationibus de historia Assyriorum et Chaldaeorum, Nahumi et Habacuci aetate, eventu eorum quae praedixerunt, et vaticiniorum suorum ratione et stylo. Adjectae sunt textui hebraico atque versioni latinae animadversionibus criticis instructis notae philologicae, nec non Commentatio de prosodia Ebraeorum ac de metris Nahumi et Habacuci speciatim. Digna est quae legatur hujus libri censura in Eichhornii *Allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* P. VI. p. 367. seqq.

Nahum

Nahum latine verſus et notis philologicis illuſtratus, P. I. Diſſertat. praeſ. Andr. Svanborg, Reſp. Joa. Bodin, Upſal. 1806. 4.

Christ. Mart. Fraehn *Curarum exegetico-criticarum in Nahumum prophetam ſpecimen*, Roſtoch. 1806. 4.

Nahum neu überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von Moses Neumann, Breslau, 1808. 8.

Nahum aus dem Hebräiſchen überſetzt von Hinrich Middeldorpf. *Mit einer Vorrede und Anmerkungen vom Herrn Doct. Gurlitt.* Hamburg, 1808. in octon.

Nahumi vaticinium philologice et critice expoſitum. Sive Specimen Academicum, quod Praeſide Joa. Henr. Pareau, Linguar. Oriental. Prof., *publicae disceptationi committit* Everardus Kreenen, Hardervicenſis, Auctor. Hardervici, 1808. 4.

Praemiſſa eſt Diſſertatio de Nahumi vaticinio, in quatuor diſtributa Capita, quibus de hiſtoria Aſſyriaca, de argumento vaticinii, quod Nahumo adſcribitur, de vatis aetate et patria, atque de ſtilo et ratione poetica, quae in ejus vaticinio obſervatur, agitur. Animadverſionibus philologicis et criticis, quae verſionem ſequuntur, inſertae ſunt haud paucae N. G. Schroederi annotationes, ex ejus ſchedis manuſcriptis depromptae.

Nahum, neu überſetzt und erläutert von Karl Wilh. Justi, Leipz. 1820. in octon.

NAHUM.

NAHUM.

Cap. I.

ARGUMENTUM.

Post inscriptionem totius libri (Vs. 1.) propheta vaticinium suum exorditur a descriptione Jovae, tanquam severi vindicis adversus hostes (Vs. 2 — 6.), benigni autem valde erga suos resipiscentes (Vs. 7. 8.), cui minas subjicit adversus Ninevitas (Vs. 8 — 11. 14.), insertis ad consolandos Israelitas promissionibus (Vs. 12. 13.).

---

1. Inter ceteros omnes V. T. libros solus hic noster geminam praepositam habet epigraphen, quarum priorem, מַשָּׂא נִינְוֵה, desumtam esse e locis, quibus Ninive nominatim commemoratur, veluti II, 9., et a librario quodam aut editore, vel fortassis a collectore librorum V. T. adjectam conjicit Eichhorn *Isagog. in V. T.* P. III. p. 325. edit. tert. De מַשָּׂא nequaquam *onus*, sive prophetiam onerosam et infausta denunciantem, significante, ut plures veteres opinati sunt, sed *effatum, oraculum*, a נָשָׂא *sustulit, protulit*, vid. not. ad Jesaj. XVIII, 1. נִינְוֵה *Ninives*, i. e. contra Niniven, est Genitivus objecti, ut Jes. XIII, 1. מַשָּׂא בָּבֶל *oraculum adversus Babelem*, et XIX, 1. מַשָּׂא מִצְרָיִם *oraculum contra Aegyptum*. De urbe Ninive s. Nino, Assyriaci imperii capite, vid. not. ad Jon. I, 2. „Ceterum apertum est, hic una cum metropoli Ninive totum imperium Assyriacum

riacum ſignificari, uti ſaepe Hieroſolyma pro tota Judaea, Samaria pro toto regno Iſraelitico, aliaeque urbes principes pro univerſo quodam, ad quod pertinebant, regno nominantur a ſcriptoribus ſacris, ac praeſertim a prophetis.“ Kreenen. Altera noſtri libri inſcriptio eſt: סֵפֶר חֲזוֹן נַחוּם הָאֶלְקֹשִׁי *liber viſionis Nahumi Elkoſchitae.* De חֲזוֹן, proprie *viſionem*, hinc *rerum futurarum imaginem viſo objectam* vatis alicujus phantaſiae, eamque verbis deſcriptam, i. e. *vaticinium* denotante, vid. not. ad Jeſ. I, 1. Abarbenel, rationem redditurus, cur hic liber סֵפֶר חֲזוֹן נַחוּם inſcribatur, obſervavit, nomen סֵפֶר praefigi, quod, quum reliqui prophetae ſua vaticinia mox ad eum modum enarraverint, quo per ea viſiones acceperant, adeoque Jonas quoque contra Ninivem vaticinaturus eo profectus fuerit, atque viva voce exclamaverit, quaecunque Deus ipſi denuncianda injunxerat; Nahumus contra numquam ſe ad Ninevitas contulerit, nec ibidem vaticinia ſua per vicos et plateas proclamaverit, ſed libro inſcripta ad Ninevitas miſerit, ibique publicari curarit. Argutiae! Ejusdem farinae eſt, quod Jarchi, quum in ſuo codice חָזוֹן, cum Camez ſub Cheth, ſcriptum reperiſſet, ita ut non in ſtatu conſtructo cum nomine ſequenti poſitum ſit, nec vertendum *viſio Nahumi*, ut Jeſ. I, 1. חֲזוֹן יְשַׁעְיָהוּ eſt *viſio Jeſajae*, mentem horum verborum hanc eſſe opinatur: *vaticinium in Niniven, quod Nahumus edidit, concordat cum libro viſionis, qui eſt Jonae.* Verum ſi in Jarchii codice חָזוֹן, cum Camez, exſtabat, id apertum mendum erat, quippe contra grammaticam analogiam, atque contra fidem codicum ceterorum omnium. De vatis noſtri nomine נַחוּם, apud LXX Ναοὺμ, Hieronymus in Prooemio ad ſuum in hoc vaticinium Commentarium hoc monet: „*Nahum*, qui interpretatur *conſolator* [a נִחַם *conſolatus eſt*]. Jam enim decem tribus ab Aſſyriis deductae fuerant in captivitatem ſub Ezechia, rege Juda; ſub quo etiam nunc in conſolationem populi transmigrati adverſum Niniven viſio cernitur. Nec erat parva conſolatio, tam his, qui jam Aſſyriis ſerviebant, quam reli-

reliquis, qui ſub Ezechia de tribu Judae et Benjamin ab iisdem hoſtibus obſidebantur, ut audirent, Aſſyrios quoque a Chaldaeis eſſe capiendos, ſicut in conſequentibus hujus libri demonſtrabitur." Abarbenel quoque in *Praefat. ad Ezechielem* fol. 153. col. 4. Nahumum ita appellatum tradit, quod de Sanheribi interitu II, 1. ſeqq. vaticinatus, Iſraelem in ſua anguſtia נִחַם, *conſolatus ſit.* Hinc nomen illud conferendum putat cum נֹחַ, *Noachi* nomine, cujus rationem reddens Lamech pater, זֶה יְנַחֲמֵנוּ inquit, *iſte conſolabitur nos,* Geneſ. V, 29. Verum נַחוּם potius Participii paſſivi ſignificationem ſuſtinere videtur, et eum notare, *qui ſolatio affectus,* vel *adjutus fuit.* Cauſſam ceterum, cur in Graeca Alexandrina verſione Nahumi vaticinium poſt Jonae librum ponitur, Hieronymus reddit hanc, „quia videntur de eadem urbe prophetare. Uterque de Ninive, Aſſyriorum metropoli, quae nunc vocatur Ninus, texunt vaticinium." Cum Jonae libro noſtrum vaticinium jungit quoque Chaldaeus, qui Verſum hunc primum ſic exponit: מַטַל כָּס דִלְוַט לְאַשְׁקָאָה יַת נִינְוֵה מִלְקַדְמִין אִתְנַבִּי עֲלַהּ יוֹנָה בַּר אַמִתַּי נְבִיָא דְמִגַּת חֵפֶר וְתָבַת מֵחוֹבָהָא וּכְדוּ דְאוֹסִיפַת לְמֶחְטֵי תָּב וְאִתְנַבִּי עֲלַהּ נַחוּם *onus calicis maledictionis propinandi Ninivae* (cf. III, 11.), *contra quam vaticinatus eſt prius Jona, prius Amitthai, propheta, qui fuit ex Gath-Chepher, quando illa etiam converſa fuit a peccatis ſuis; ſed quum perrexiſſet peccare, iterum contra eam vaticinatus eſt Nahum.* Quod nomini נַחוּם additur, הָאֶלְקֹשִׁי, formatum ab אֶלְקוֹשׁ *gramen ſerotinum,* vel *pluvia ſerotina,* formae אֶגְרֹף *pugnus,* אֶשְׁכֹּל *botrus,* num vatis genus, an locum natalem indicet, dubitatur. Nos quidem non dubitamus accedere Hieronymo, qui patriam vatis ea appellatione indicari docet: „Quidam putant, Helkeſeum patrem eſſe Nahum, et ſecundum Hebraeam traditionem etiam ipſum prophetam fuiſſe; quum *Helkeſei* usque hodie in Galilaea viculus ſit, parvus quidem, et vix ruinis veterum aedificiorum indicans veſtigia, ſed tamen notus Judaeis, et mihi quoque a circumducente monſtratus." Conſentit Cyrillus in Commentario

ad

ad h. l.: Ὅρασις Ναοὺμ, τοῦ ἀπὸ τῆς Ἐλκεσέ· κώμη δὲ αὕτη πάντως που τῆς Ἰουδαίων χώρας ἐκληψόμεθα γὰρ, οὐκ ὡς ἐκ πατρὸς, ἀλλ' ὡς ἐκ τόπου μᾶλλον τοῦ Ἐλκεσαίου· καὶ τοῦτό φαμεν ἐξ ἀναγινοσκόντων ἔχοντες τὴν παράδοσιν. Ita et Pſeudo-Epiphanius *de vitis prophetarum* Cap. XVIII. Οὗτος ἦν ἀπὸ Ἐλκεσεὶ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου εἰς Βηγαβὰρ ἐκ φυλῆς Συμεών. Nec aliter Jarchi, qui אֶלְקוֹשׁ dicit eſſe *nomen urbis prophetae*, eandemque Chaldaei mentem fuiſſe, qui דְמִבֵּית אֶלְקוֹשׁ *qui* (Nahumus) *e domo* ſ. *loco Elkoſch* verterit. In libris editis quidem verſionis Chaldaicae legitur מִבֵּית אֶלְקוֹשִׁי, quod *de familia Koſchi* ſignificare quidam putant, a patre vel majorum aliquo, *Koſchi* dicto. Quibus Scipio Sgambatus *Archivor. V. T.* L. II. Tit. 39. p. 340. conjecturam addit, tempore Chaldaei interpretis forſan adhuc aliquam ſuperfuiſſe Hieroſolymis familiam Koſchiorum, ſicut *Coſſi* olim Romae fuerunt ſimili appellatione. Quae tamen mera eſt conjectura, nullo nixa fundamento. In Chaldaica vero verſione legendum eſſe מִבֵּית אֶלְקוֹשׁ, ut habet Jarchi, contendit Druſius, cui et nos adſtipulamur. Qui nomine הָאֶלְקוֹשִׁי prophetae familiam ſignificare putant potiſſimum hoc urgent, quod in recenſione locorum Palaeſtinae apud Joſuam urbs aut vicus, cui *Elkoſch* nomen, fruſtra quaeritur. Verum Joſuae inſtitutum minime illud fuit, ut omnium totius Palaeſtinae oppidorum et vicorum iniret cenſum, ſed delineare tantum voluit ſingularum tribuum ſedes, terminos, urbesque celebriores. Ut taceamus, fieri potuiſſe, ut dudum poſt Joſuae aetatem hoc oppidum, invaleſcente populi multitudine, conderetur. Multas praeterea haud dubie Palaeſtina continuit urbes ignobiliores et tenuiores, quarum nulla ſit mentio in V. T. libris. Hieronymi igitur, teſtis oculati, cur elevare fidem, et viculum nomine *Elkoſch* in Palaeſtina olim exſtitiſſe, cur negare velimus, cauſa idonea apparet nulla. Quemadmodum itaque Michas הַמּוֹרַשְׁתִּי a patria *Moreſcheth*, non a parentibus aut familia dicebatur, et Jeremias XXIX, 27. הָעֲנְּתֹתִי *Anathotenſis*, i. e. e vico

עֲנְּתוֹת *Anathoth* oriundus, ut diſerte I, 1. dicitur, ſic et, eadem forma Grammatica vocis, noſter הָאֶלְקֹשִׁי *Elkoſchita*, a patria *Elkoſcha*, denominari recte creditur. Non deſunt inter recentiores libri noſtri interpretes, qui Nahumum exiſtiment in Aſſyria natum, a parentibus Iſraeliticis, qui exſules in regionem iſtam deportati eſſent. In quam opinionem illud eos perduxit, quod haud procul ab eo loco, quo antiqua Ninive fuit, vicus quidam, *Elcoſch* (القوش) dictus, exſtat, ubi ex veteri fama, a Judaeis ad Chriſtianos nunc ibi habitantes perlata, natus ſit Nahumus, cujus ſepulchrum magna veneratione perſequuntur. Vid. ASSEMANI *Biblioth. Orient.* T. I. p. 525. ac T. III. P. I. p. 352., atque NIEBUHRII *Itiner.* T. II. p. 352., cf. librum noſtrum *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. II. p. 100. Huic ergo traditioni, etſi non eandem habet vetuſtatis, nedum auctoritatis commendationem, quam luculentum illud Hieronymi teſtimonium, fidem adjungunt Michaelis, Grimmius, aliique, qui Nahumum vel cum pluribus popularium in Aſſyriam deportatum, vel ex Iſraelitis exſulibus in ipſo illo Aſſyriae loco prognatum exiſtimant. Recte vero obſervat JAHN *Iſagog. in V. T.* Vol. II. p. 509., vicum illum Aſſyriacum *Elkoſch*, recentiore haud dubie aetate conditum, temporis progreſſu ob aliquam nominis אֶלְקֹשׁ ſimilitudinem pro ipſo Nahumi loco natali habitum eſſe. Addit KREENEN *Diſſert.* p. 28., aliorum quoque virorum in Sacro Codice commemoratorum, ſuisque meritis celebrium, ſepulchra etiamnum monſtrari in Oriente, ex avita ſcilicet, ſed incerta plerumque ac nullius auctoritatis traditione, imo fieri etiam poſſe, ut, quum Nahumi vaticinium ſit contra Niniven, in hujus urbis vicinia ſepulchrum ipſius vatis quaeſiverit ſuperſtitioſa nonnullorum pietas, locoque, ubi ea illud repertum finxerit, ipſum dederit loci nomen, quod in vaticinii inſcriptione adjicitur.

---

2. Or-

2. Orditur vates magnifica descriptione divinae majestatis ac potentiae, ut, quod postea subjiciet de Ninives excidio plus habeat ponderis et magis afficiat auditores. אֵל קַנּוֹא *Deus aemulator,* ut recte Hieronymus vertit; aut, si placet Graeco vocabulo uti, *zelotes.* Ita autem Jova dicitur duabus de causis; una est, quod non fert in cultu suo rivalem, i. e. Deum alium praeter se, quemadmodum maritus consortis impatiens (cf. de hoc usu verbi קִנֵּא Num. V, 14.). Quo sensu Exod. XXXIV, 14. dicitur: *Ne adoretis alium Deum,* כִּי יְהוָה קַנָּא שְׁמוֹ אֵל קַנָּא הוּא *nam Jovae nomen est aemulator, Deus rivalis impatiens ipse est.* Cf. Jes. XLII, 8. *Ego, cujus nomen Jova est, gloriam meam alteri, laudemve meam simulacris non dabo.* Altera causa, cur Jova nomen *aemulatoris* gerit, haec est, quoniam aegerrime fert, si quis populum suum, quem unice amat, indigne habeat, et injuria afficiat. Quo sensu, recte monente Abarbenele, קַנּוֹא hic sumitur, uti et Joel II, 18. *Deus zelat pro terra sua,* q. d. animo aestuat ex indignatione de iis concepta, quae indigne facta sunt adversus terram suam et populum in ea commorantem. Bene Grotius: „qui neque amicos suos oppressos, neque inimicos florentes diu conspicere possit." וְנֹקֵם יְהוָה *Et vindex* s. *ultor* est *Jova,* non solum indigne fert injurias suis illatas, sed etiam severe eas ulciscetur, unde Ps. XCIV, 1. אֵל־נְקָמוֹת *Deus ultionum* vocatur. נֹקֵם יְהוָה וּבַעַל חֵמָה *Ultor,* inquam, est *Jova, et dominus excandescentiae,* i. e. ira graviore commovetur, in eos videlicet, qui male tractant sibi charos et amicos. Nomen בַּעַל, plane ut nomina בֵּן et אִישׁ, et arabicum صَاحِب *socius, dominus,* alii nomini adjunctum, ad exprimenda adjectiva usurpari, notum. Ita בַּעַל שֵׂעָר, 2 Reg. I, 8. proprie *dominus,* possessor, *pilorum,* habens pilos, denotat *pilosum,* בַּעַל כָּנָף *dominus alae,* Prov. I, 17. *alatum,* בַּעַל־אַף Prov. XXII, 24. *iratum.* Vid. Glassii *Philolog. S.* p. 93. edit. Dath., Storrii *Observatt.* p. 243. et Gesenii *Lehrg.* p. 647. Hieronymus *habens*

habens furorem, et LXX μετὰ θυμοῦ verterunt. נֹקֵם יְהוָה לְצָרָיו *Ultor* eſt *Jova in hoſtes ſuos.* Bene Chaldaeus: עֲתִיד יְיָ לְאִתְפְּרַע מִסַּנְאֵי עַמֵּיה *paratus eſt Jova ut vindictam ſumat de hoſtibus populi ſui.* Cf. Jeſ. LIX, 18. חֵמָה לְצָרָיו גְּמוּל לְאֹיְבָיו *ira hoſtibus ſuis, retributio inimicis ſuis.* Trinam formulae נֹקֵם יְהוָה repetitionem Abarbenel ad trinam Iſraelitarum deportationem (quam ex 1 Paral. V, 26., 2 Reg. XV, 29. et XVII, 6. vel XVIII, 9. enumerat), Chriſtiani vero interpretes ad tres divinitatis perſonas referunt. Sed veriſſime jam Grotius ad h. l. obſervavit: „Ter poſita vox נֹקֵם vehementer affirmat, ut alibi nomina *Sancti, Templi, Terrae,* et geſtus ter repetiti.“ Cf. not. ad Jeſ. VI, 3. p. 207. edit. ſec. וְנוֹטֵר הוּא לְאֹיְבָיו *Et ſervat hoſtibus ſuis* ſcil. חֵמָה *iram,* aut memoriam injuriarum. Verbo נָטַר *ſervare* Hebraei ſine adjectione uti ſolent de eo, qui animum iratum diu retinet, nec memoriam injuriarum cito aut facile deponit. Ita Jerem. III, 12. *Benignus ego ſum, inquit Jova,* לֹא אֶטּוֹר לְעוֹלָם *nec ſervo in perpetuum iram.* Vid. et Vs. 5. et Pſ. CIII, 9. Chaldaeus: וּבִרְגַז חֲסִין מִבַּעֲלֵי דְבָבוֹהִי *et in ira vehementi* ultionem ſumet *de hoſtibus ſuis.* Jova enim adverſarios ſuos tarde quidem, ſed eo gravius punit, juxta illud Valerii Maximi *Dictor. et factor. memorabil.* L. I. Cap. 1. *Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.* LXX: Καὶ ἐξαίρων αὐτὸς τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ, quod Arabs reddidit: وَهُوَ يَنْزِعُ أَعْدَاءَهُ *et ipſe aufert hoſtes ſuos,* quaſi pro נוֹטֵר legiſſent נוֹטֵל.

3. יְהוָה אֶרֶךְ אַפַּיִם *Jova* eſt *tardus* quidem *ad iram,* longanimis; tarde iraſcitur, et injurias diu fert aequanimiter. Cf. Exod. XXXIV, 6. Contra קְצַר־אַפַּיִם Prov. XIV, 17., dicitur qui cito levique de cauſa iraſcitur. LXX: Μακρόθυμος. Hieronymus: *patiens.* Chaldaeus: יְיָ מַרְחִיק רְגַז *Jova longe differt iram.* Syrus: ܢܓܝܪܐ ܪܘܚܗ ܕܡܪܝܐ *longa eſt*

est patientia Domini. וּגְדָל־כֹּחַ Idem tamen *magnus est fortitudine*, uti Hieronymus vertit; i. e. quamquam posset improbos perdere, si vellet, uno momento, quippe maximo robore praeditus est, tamen differt poenam, idque ea potissimum de causa, ut habeant spatium resipiscendi. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *Et mundando non mundabit*, i. e. attamen haud quaquam tanquam innocentes dimittet, et insontes aut inultos esse sinet populi sui hostes, qui ipsi pro suis adversariis reputantur. Cf. Exod. XX, 7. XXXIV, 7. LXX: Ἀθῷων οὐκ ἀθῳώσει. Chaldaeus: עָתִיד יְיָ לְאִתְפְּרַע וּסְלַח לִדְתָיְבִין לְאוֹרַיְתָא וְלִדְלָא תָיְבִין לָא מְזַכֵּי *quando ulturus est Jova, parcit iis, qui conversi fuerint ad legem, qui vero non conversi fuerint, non dimittet insontes.* Hieronymus: „Sensus est: diu quidem sceleris Assyriorum patiens fuit, et magnanimitatis suae fortitudine iniquitates eorum sustinuit, provocans eos ad poenitentiam; sed quia contemta bonitate Dei, secundum cor impoenitens thesaurizarunt sibi iram in die irae [Rom. II, 5.], qui ante patiens fuit, nequaquam eos, tanquam mundos et innocentes, incultos abire patietur." יְהוָה בְּסוּפָה וּבִשְׂעָרָה דַּרְכּוֹ *Jovam* quod attinet *in procella et turbine est via ejus*, incessus ejus vehementia turbinem aequat; si quando constituit ultionem sumere de hostibus, aggreditur eos summo cum impetu ac vehementia, cui nihil potest resistere. Sistitur Deus, recte observante Schroedero, quasi dux bellicus, qui quum hostes suos invadit, non telis hastisque, verum turbinibus ac procellis, tanquam armis, utatur. בְּסוּפָה, quod Hieronymus recte *in tempestate* vertit, LXX ἐν συντελείᾳ reddiderunt, et secundum eos Arabs فِي ٱلِانْقِضَاءِ, *in excidio*, nomini hebraeo significationem vocis סוּף, *finis*, tribuentes. בִּשְׂעָרָה in versionis Graecae codicibus Alexandrino et Romano ἐν συσσεισμῷ *in turbine* redditum legitur, in Aldino vero ἐν σεισμῷ, *in commotione*, quod non solum Hieronymus agnoscit, verum et Arabs expressit: فِي ٱلزَّلْزَلَةِ, *in terrae motu.*

Sed

Sed vocem hebraeam graviorem procellam notare conſtat, cum tonitrubus, fulminibus, omnibusque quae ſummum horrorem incutiant, conjunctam. Chaldaeus: יְיָ בְּעַלְעוֹלָא וּבְרוּחַ מְדַבַּר *Jova in turbine et vento ducem ſe praebet.* וַעֲנָן אֲבַק רַגְלָיו *Et nubes pulvis pedum ejus*, „nubi," inquit Grotius, „inſiſtit, ſicut homines pulveri, i. e. dominus eſt nubium, et utitur eis, ut vult." Schroederus vero, cujus verba Kreenen attulit, continuari figuram a duce bellico deſumtam obſervat: ut enim hic ſuis pedibus denſum pulverem excitat, quando agmina citata adverſus hoſtes educit; ita Deus, quando turbines et procellas, tanquam agmina militaria educit, figuratur ſuis pedibus concitare et condenſare magnas moles nubium, ut exiſtat atra tempeſtas. Idem Schroederus notat, עָנָן non tam *unam nubem* ſignificare, quam potius *nubium molem coagmentatam*, et per totum coelum expanſam, qualis exiſtit, quando coelum graviſſimam minatur tempeſtatem. Chaldaeus: וַעֲנָן אֲמִטְתָא כְּבַשׁ קֳדָמוֹהִי *et nubem caliginis ſubjecit coram ſe.* Appolite cum noſtro loco Kreenen confert irati Jovis deſcriptionem in Aeschyli *Prometheo vincto* Vs. 1089. ſeqq.

Χθὼν σεσάλευται·
βρυχία δ' ἠχὼ παραμυκᾶται
βροντῆς, ἕλικες δ' ἐκλάμπουσι
στεροπῆς ζάπυροι, στρόμβοι δὲ κόνιν
εἱλίσσουσι· σκιρτᾷ δ' ἀνέμων
πνεύματα πάντων, εἰς ἄλληλα
στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα.

Tellus concutitur, ſonusque rugiens reboat tonitrui, ac glomerationes emicant fulminis igneae, turbinesque pulverem glomerant, exſiliuntque ventorum omnium flatus, in ſe mutuo ex adverſo ſpirantem discordiam monſtrantes.

4. Dei potentiam deſcribit a vi, qua pollet in res creatas, ut ſunt mare, flumina, paſcua, arva, loca arboribus conſita, item montes, colles, terra cum culta tum inculta cum omnibus inhabitantibus eam. Subeſt autem vis

argumenti a majori. Si poteſt elementa mutare cum vult, quomodo non poterit populi ſui hoſtes, cum volet, evertere? גּוֹעֵר בַּיָּם *Increpat mare*, ut dominus ſervum, aut imperator militem ſibi ſubditum. Sub imperio habet illud. Cf. Luc. VIII, 24. Ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος. וַיַּבְּשֵׁהוּ *Et arefecit illud*, futuri Piel forma contracta pro וַיְיַבְּשֵׁהוּ, ut 2 Paral. XXXII, 30. וַיַּשְּׁרֵם pro וַיְיַשְּׁרֵם *recta eos deduxit.* Cf. יַדּוּ Obad. Vs. 11. et ibi not. וְכָל־ הַנְּהָרוֹת הֶחֱרִיב *Et omnia flumina exſiccat.* Hieronymus: *ad deſertum deducens*, i. e. deſerti inſtar aquis vacui illa reddit. Cf. Jeſaj. L, 2. בְּגַעֲרָתִי אַחֲרִיב יָם אָשִׂים נְהָרוֹת מִדְבָּר *mea increpatione mare exſicco, flumina deſerta reddo.* Quo loco, uti et noſtro, reſpicitur ad exſiccatum mare algoſum, Exod. XIV, 21. coll. Pſ. CVI, 9. וַיִּגְעַר בְּיַם־סוּף וַיֶּחֱרָב *increpuit mare algoſum, et hoc exaruit*, et areſactum Jordanem, Joſ. III, 13. אֻמְלַל בָּשָׁן וְכַרְמֶל *langueſcit* Jova increpante *Baſan et Carmelus*, regiones maxime aptae paſcendo pecori, quae ideo ſaepe conjunguntur, vid. Amos I, 2. Mich. VII, 14. Illae *languere* dicuntur cum humore deſtitutae non poſſunt ſolitos fructus edere. LXX: Ὠλιγώθη ἡ Βασανῖτις. Chaldaeus: צְדֵי מַתְנָן *vaſtatus eſt Mathnan.* Syrus: ܐܬܟܪܝ ܡܬܢܝܢ *ingemiſcit Mathnin.* Ita Aramaei eam regionem vocant, quae Hebraice בָּשָׁן; gemina mutatione literae ב in מ aeque labialem, et שׁ in ת, e dialecti Aramaeae proprietate. וּפֶרַח לְבָנוֹן אֻמְלָל *Et germen Libani*, ſ. id quod in Libano germinat, creſcit, *langueſcit.* Syrus: ܘܦܪܥܐ ܕܠܒܢܢ ܝܒܫ *et germen Libani exareſcit.* LXX: Καὶ τὰ ἐξανθοῦντα τοῦ Λιβάνου ἐξέλιπε. Chaldaeus: וְאִילָנֵי לִבְנָן בְּחָרוּ *et arbores Libani defluunt;* cogitavit de cedris, quibus Libanus nobilitatus fuit.

5. Magnifica deſcriptio terrae motus: הָרִים רָעֲשׁוּ מִמֶּנּוּ וְהַגְּבָעוֹת הִתְמֹגָגוּ *montes commoventur ab eo*, prae metu divinae potentiae, *et colles liqueſcunt*, inſtar nivis aut cerae a calore et igne diſſolvuntur et evaneſcunt. LXX: Καὶ

Καὶ οἱ βουνοὶ ἐσαλεύθησαν. Syrus: ܘܪ̈ܡܬܐ ܐܬܦܩܥ *et colles disrumpuntur.* Ita et Chaldaeus. Sic et Davides terram concuti vehementiusque contremuiſſe, adventante Jova irato, fingit Pſ. XVIII, 8. *Tunc tremebat et concutiebatur terra, ac fundamenta montium quaſſabantur, tremebant, nam ille iratus erat.* וַתִּשָּׂא הָאָרֶץ מִפָּנָיו *Elevatque ſe terra* commota *a facie ejus.* LXX: Ἀνεστάλη ἡ γῆ, quod Hieronymus male vertit: *contracta eſt terra,* quum reddendum eſſet: *ſublata eſt terra,* attollitur enim in terrae motu. Melius ipſe Hieronymus in ſua verſione: *contremuit terra;* et Syrus: ܐܬܠ ܐܪܥܐ *terra quatitur.* Symmachus: ἐκινήθη. Graeca Alexandrini interpretis non ſatis accurate reddidit Arabs: انحلّت الأرض *diſſoluta eſt terra.* Chaldaeus: וַחֲרוּבַת אַרְעָא *et vaſtata eſt terra.* LUD. CAPPELLUS conjicit in *Crit. S.* p. 777. edit. Hal. illum legiſſe וַתִּשָּׁא (cum *Schin*), quod pro וַתִּשָּׁאֶה cepit, a שָׁאָה *vaſtari;* certe Jeſ. VI, 11. וַתִּשָּׁאֶה eodem, quo hic וַתִּשָּׂא, verbo reddidit. Sed BUXTORFIUS in *Anticrit.* p. 722. a Chaldaeo ſenſum expreſſum judicat, quo verbum נָשָׂא h. l. Hebraei capiunt. KIMCHI enim illud *diruendi* ſignificatum obtinere ait, ut 2 Sam. V, 21. וַיִּשָּׂאֵם *diruitque ea,* ſimulacra, Davides; niſi quod hic intransitive et paſſive uſurpetur et חֻרְבַּן הָאָרֶץ *deſtructionem,* deſolationem *terrae* deſignet. Cf. Job. XXXII, 23. בִּמְעַט יִשָּׂאֵנִי עֹשֵׂנִי *brevi conſumet me factor meus.* Quia מַשְׂאַת Jud. XX, 40. de *fumo, qui in altum fertur* dicitur, et וַיִּשָּׂאֵם 2 Sam. V, 21. *combuſſit eos* verti ſolet; JARCHI noſtrum וַתִּשָּׂא interpretatur תִּשָּׂרֵף *comburetur.* Sed quod nos adoptavimus, *attollitur,* expreſſumque eſt ab interprete antiquiſſimo Graeco, haud dubie praeſtat, utpote rei maxime accommodatum; quod in terrae motu, de quo hic aperte agitur, illa ita concutitur, ut in altum tolli videatur. וְתֵבֵל וְכָל־יוֹשְׁבֵי בָהּ *Et orbis terrarum omnesque habitantes in eo* ſuſtolluntur, commoventur, quod e וַתִּשָּׂא, quod praeceſſit, ſubaudiendum. Dicitur hic

de hominibus ſubita conſternatione percuſſis atque hinc ſe ſubito attollentibus ſubſultantibusque prae metu Numinis ad vindictam advenientis.

6. Quemadmodum Deus immenſae eſt potentiae, qua cuncta ſibi ſubjicere poteſt, prae cujus metu fugit mare, concutiuntur montes, terra tota contremiſcit; ſic et irae ejus atque indignationis tanta vis eſt, ut nemo hominum, quanta etiam potentia polleat, reſiſtere eidem poſſit. לִפְנֵי זַעְמוֹ מִי יַעֲמוֹד *Ante indignationem ejus quis conſiſtat?* in ſtatu ſuo permaneat? וּמִי יָקוּם בַּחֲרוֹן אַפּוֹ *Et quis conſiſtet in excandeſcentia ira ejus?* LXX: Καὶ τίς ἀντιστήσεται ἐν ὀργῇ θυμοῦ αὐτοῦ; Quod imitatus Hieronymus: *et quis reſiſtet in ira furoris ejus?* Idem in Commentario: „Apertius interpretatus hoc eſt Symmachus: *et quis ſuſtinebit iram furoris ejus?*“ Ita et Syrus: ܘܡܢܘ ܡܣܝܒܪ ܚܡܬܐ ܕܪܘܓܙܗ *et quis ferat aeſtum furoris ejus?* Chaldaeus: כַּד אִתְגְּלִי בְּרַחֲמְתָא לְמִתַּן אוֹרַיְתָא לְעַמֵּיהּ כֵּן זָע עַלְמָא מִן קֳדָמוֹהִי בְּכֵן כַּד אִתְגְּלֵי בִּרְגַז לְאִתְפְּרַע מִסַּנְאֵי עַמֵּיהּ קֳדָם פּוּרְעֲנוּתֵהּ מַן יְקוּם וּמַן יְסוֹבַר בְּאַבְאָשׁוּת רוּגְזֵיהּ *quando patefecit ſe cum miſericordia, ut daret legem populo ſuo, ſic commotus eſt mundus a conſpectu ejus; ita quando ſeſe demonſtrabit in furore ad ſumendam vindictam de oſoribus populi ſui, coram ipſius ultione quis ſubſiſtat, et quis ſuſtineat malum irae ejus?* חֲמָתוֹ נִתְּכָה כָאֵשׁ *Aeſtus ejus effunditur ſicut ignis*, qualis eſt fulmineus, aut pluviae illae ſulphureae et igneae, quibus Sodoma et vicinae urbes everſae ſunt, Geneſ. XIX, 24. Syrus: ܚܡܬܗ ܝܩܕܐ ܐܝܟ ܢܘܪܐ *aeſtus ejus ardet ſicut ignis.* Alii נִתְּכָה ſumunt pro Piel; ita Chaldaeus: רוּגְזֵיהּ כְּאֶשָּׁתָא מְמַסֵּי *ira ejus ſicut ignis liquat*, ut ignis metalla, ſic indignationis divinae effectus obvia quaeque fundunt et diſſolvunt. Sed priorem interpretationem, ex qua imago a *pluvia* deſumta eſt (de qua נִתַּךְ dicitur Exod. IX, 33.), ſeſe in terram effundente, commendat locus parallelus Jerem. VII, 20. אַפִּי וַחֲמָתִי נִתֶּכֶת

נִתְּכָה אֶל־הַמָּקוֹם הַזֶּה *excandeſcentia mea fuſa eſt in locum iſtum ſuper homines, beſtiasque, et arbores campi, atque fruges agri, et accendetur, nec exſtinguetur.* Cf. XLIV, 6. LXX: Τήκει ἀρχὰς, quod Arabs يُذِيبُ الرُّوَسَاءَ *liquefacit principes,* vertit, quaſi pro כאש legiſſent ראש. וְהַצֻּרִים נִתְּצוּ מִמֶּנּוּ *Et* ipſae *petrae diſſolvuntur ab eo.* Chaldaeus: וְטִינָרַיָּא אִתְפַּרְקָן מִן קֳדָמוֹהִי *et rupes disrumpuntur a conſpectu ejus.* Syrus: ܘܛܘܪܐ ܐܬܦܫܪܘ ܡܢܗ *et montes liquefiunt ab eo.* Jova irato fulminaque mittente et ipſae duriſſimae rupes in fruſta diſſiliunt.

7. Graviſſimis minis, quibus propheta hoſtes terret, ſolatium propter Judaeos admiſcet, ac tam eſſe bonum, ait, Jovam erga pios, quam ſit ira adverſus malos accenſus. טוֹב יְהוָֹה *Bonus,* benignus eſt *Jova,* לְיִשְׂרָאֵל *Iſraeli,* addit Chaldaeus ex Pſ. LXXIII, 1. לְמָעוֹז בְּיוֹם צָרָה *Praeſidio* eſt piis *die anguſtiae.* De nomine מָעוֹז vid. not. ad Pſ. XXVII, 1. Chaldaeus: לְאִסְתַּמָּכָא עֲלוֹהִי בְּעִדַּן עָקָא *innitendum eſt ei tempore anguſtiae.* Syrus לְמָעוֹז ܠܡܣܝܥܢܘ *ad protegendum* vertit. LXX: Χρηστὸς Κύριος τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὸν ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως. וְיֹדֵעַ חֹסֵי בוֹ *Et novit qui confugium quaerunt in ipſo. Noſſe* hic eſt amare, probare, tueri, curae habere, q. d. non ſinet eos perire. Cf. not. ad Pſ. I, 6. De חוֹסֵי בוֹ vid. not. ad Pſ. II, 12. Chaldaeus: וּגְלַן קֳדָמוֹהִי דְּרָחִיצִין עַל מֵימְרֵיהּ *et manifeſti ſunt coram eo, qui fiduciam ſuam collocant in verbo ipſius.*

8. Minatur propheta Ninevitarum urbi et regno Aſſyriorum horrendam cladem atque excidium, ſumta metaphora ab inundatione vehementer erumpente atque omnia loca magno impetu pervadente. וּבְשֶׁטֶף עֹבֵר כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ *Et per inundationem transeuntem,* pervadentem omnia, *conſummationem faciet loci ejus,* quemadmodum ingens aquarum vis ſubito erumpens omnia ſecum rapit et proſternit, agros devaſtat atque domos ſubvertit, ſic copiarum hoſti-

hoſtilium impetu Ninive ita delebitur, ut ne locum quidem ejus quisquam agniturus ſit. *Inundationis* imago ſaepius a poetis Hebraeis uſurpatur, rarius tamen in bonam partem, ut Jeſ. LXVI, 12., ubi torrenti inundanti (נַחַל שׁוֹטֵף) comparatur gloria, qua respublica Hebraea reſtaurata longe lateque ſit decoranda, plerumque in malam partem, ut notet magnas et horrendas calamitates, veluti Jeſ. XXVIII, 17. XXX, 30., ſpeciatim vero per inundationem aquarum multarum omnia abripientem, dejicientem et deſtruentem ſignificatur potentiſſimus hoſtis omnia celerrime perdens, Jeſaj. XXVII, 2. Dan. IX, 26. XI, 10. XXVI, 40., atque exercitus omnis vaſtans, Jeſ. VIII, 7. 8. Jerem. XLII, 2. Sic apud Homerum *Iliad.* E. 87. ſeqq. Diomedes contra Trojanos pugnans comparatur inundanti et omnia ſecum abripienti torrenti:

Θῦνε γὰρ ἀμπεδίον, ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς,
Χειμάῤῥῳ, ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας·
Τὸν δ' οὔτ' ἄρ τε γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
Οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων,
'Ελθόντ' ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος.

Furibundus enim ferebatur per campum, fluvio inundanti ſimilis, torrenti, qui velociter fluens diſſipat pontes, quem utique neque pontes muniti coërcent, neque ſepta retinent camporum perquam virentium, venientem derepente, quando ingruerit Jovis imber. עֹבֵר *Transgrediente* ripas videlicet, torrentis inſtar, vel cui nulli obices objecti, nulla obſtacula, quin liberrime omnia poſſit pervadere; cf. Jeſ. VIII, 8. כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ *Conſummationem faciet locum ejus*, prorſus delebit locum, in quo ſita nunc Ninive, ut illum nemo inventurus ſit. Suffixum femineum in מְקוֹמָהּ ſpectat regni hoſtilis metropolin, Niniven, quae diſerte nominatur ſupra Vs. 1. et infra II, 9. Quod vero hic Ninive per ſolum ſuffixum deſignatur, haud praecedente ipſius nomine, id Fraehn recte obſervat eſſe e more poetarum Aſiaticorum, qui quum ingenio vegeto fervidoque et acerrimo cogitationum impetu ferantur, ſaepe re, quam oratione

tracta-

tractabant, ſubito relicta, ad aliam vix nomine deſignatam transgredi ſolent, quod circa quae animi magno affectu occupantur, et in quibus ipſi ſunt toti, ea neminem latere putant. Arabibus quoque in ſuis carminibus nihil eſt tritius, quam ut de re quadam longe lateque differant, ea tamen haud nominata. Vid. Reiskium ad *Taraphae Moallaca* p. 86., et ejusdem *Annotatt. hiſtoricc.* ad *Abilfedae Annales* T. I. p. 33. Hieronymus: „Verbum *Macoma*, quod nos interpretati ſumus *loci ejus*, omnes in duas orationis partes diviſerunt, ut *Ma* in praepoſitionem *de* verterent, id eſt, ἀπὸ, *Coma ſurgentes* interpretarentur. Denique Aquila ἀπὸ ἀνισταμένων inquit, id eſt, *a conſurgentibus*, Septuaginta *conſurgentes* [τοὺς ἐπεγειρομένους], Theodotio *conſurgentibus ei*, Quinta editio, *a conſurgentibus illi*. Solus Symmachus cum noſtra interpretatione conſentiens ait: *et in diluvio transeunte conſummationem faciet loci ejus.*" Graecos interpretes Hieronymo commemoratos מִקָּמֶיהָ, vel קָמָיו, vel מִתְקוֹמְמָיו legiſſe apparet. Quorum poſterius, *inſurgentes contra eum*, nec displicet Fraehnio, utpote τῷ וְאֹיְבָיו in altero hemiſtichio parallelum. Utramque legendi rationem conjunxiſſe videtur Chaldaeus: וּבִרְגַז חֲסִין וּבְחֵמָא תַּקִּיפָא גְּמִירָא יַעֲבֵיד עִם עַמְמַיָּא דְּקָמוּ וְאַחְרִיבוּ יַת בֵּית מַקְדְּשָׁא דַּייָ *ſed in ira forti et furore vehementi exterminationem faciet cum gentibus, quae inſurrexerunt, et vaſtarunt aedem ſanctam Domini.* Unde eum forſan legiſſe לְקָמִים עַל מְקוֹמָהּ conjicit Fraehnius, et quod codicum noſtrorum lectionem cum ea, quam interpretes Graeci ſequuti ſunt, junxerit, exemplari illum perfectiore uſum eſſe, non ſine probabilitatis ſpecie colligi poſſe exiſtimat. מָקוֹם vero de *templo* illum intellexiſſe, quemadmodum Arabicum مقام in Corano ſaepius *locum adorationis* denotat. In verſione Syriaca prius noſtri Verſus hemiſtichium ita ſonat: ܘܒܛܘܦܢܐ ܕܥܒܪ ܫܘܡܠܝܐ ܢܥܒܕ ܠܐܬܪܗ *et inundatione conſummationem*, exterminationem *facit, quae tranſibit ad illius locum.* Sed recte Fraehnius de hac verſione ita

judi-

judicat: „Syrum, qui hic fere verbum verbo reddit, quominus a textus verborum ordine et ſenſu receſſiſſe putem impedit ſumma reſtituendi eum in integrum facilitas. Lege enim duobus ſolummodo mutatis punctis diacriticis: ܘܒܛܘܦܢܐ ܥܒܪܐ ܓܡܘܪܐ ܢܥܒܕ ܠܐܬܪܗ *et inundatione transeunte conſummationem faciet locum ejus,* et habebis ipſum textum ebraeum." Steudel (*Archiv* Vol. II. p. 413.) pro מְקוֹמָהּ conjecit מִקָּמָה legendum, quod pro מִהְיוֹת קוֹמוֹ poſitum ſit: *ut ne ſit amplius adverſarius ejus,* quomodo Participii forma קוֹם pro קָם eſſet, ut 2 Reg. XVI, 7. הַקּוֹמִים עָלַי *qui mihi adverſantur.* Verba noſtri Verſus poſtrema, וְאֹיְבָיו יְרַדֶּף־חֹשֶׁךְ ambigua ſunt; nam ſignificare poſſunt: *fore, ut perſequantur tenebrae hoſtes Jovae,* vel, ut *hoſtes ipſi perſequantur tenebras,* i. e. ut tanquam amentes perſequantur id, quod ipſis exitium adferet. Sed non dubitamus, quin prior ſententia genuina ſit, ut locus ſit intelligendus de tenebris calamitatum, quae hoſtis inſtar Jovae populique ſui inimicos perſequi dicantur. יְרַדֶּף, quod quidam transitive vertunt: *faciet* Deus, *ut perſequantur tenebrae* hoſtes ipſius, rectius *perſequentur* redditur, nam forma Piel ſummum perſequendi ſtudium indicat, vid. not. ad Hoſ. II, 6. (al. 9.). Chaldaeus: וּבַעֲלֵי דְבָבוֹהִי יִמְסַר לְגֵהִנָּם *et hoſtes ſuos tradit Gehennae,* orco.

9. Apoſtrophe ad hoſtes, Aſſyrios. מַה־תְּחַשְּׁבוּן אֶל־יְהוָה *Quid cogitatis contra Jovam?* Quaenam veſtra eſt de Deo opinio? an putatis eum non poſſe perficere, quod per prophetas minatur? Sunt, qui hisce verbis reſponderi putent Judaeorum ſollicitudini, qui talia ſibi formidarent ab Aſſyriis, qualia ab iisdem decem tribubus acciderant, a patriis ſedibus in alienum ſolum deportatis, maxime quum viderent Sennaheribum, poſtquam plurimas Judaeae civitates jam ſubegiſſet, longius ſemper progredientem, et jam omni conatu id agentem, ut regni caput, Hieroſolyma, ſuo imperio adjiceret; huic igitur formidini, inquiunt, occurrere prophetam, dum numquam futurum eſſe dicat, ut

ut duplicem plagam Aſſyrius populo Iſraelitico illaturus ſit (לֹא־תָקוּם פַּעֲמַיִם צָרָה), abductas jam eſſe per Salmanaſſarem decem tribus in exteras terras, non autem paſſurum Deum clementiſſimum, ut etiam Sennacheribus tyrannidem ſuam in duas tribus exerceat, easque exſcindat. Ita Hebraeum Hieronymi praeceptorem hunc locum expoſuiſſe ipſe refert: „Quid putatis, o Aſſyrii, iniquitatem contra Dominum cogitantes, quod populum Iſrael, id eſt, duodecim tribus usque ad internecionem ipſe conſumat? *Non conſurget duplex tribulatio,* id eſt, non tradit vobis Judam et Iſrael, ſicut tradidit decem tribus et Samariam.“ Verum, quod tota textus *συνάφεια* poſtulat, rectius haec contra hoſtes Aſſyrios dicta intelliguntur. Perſuaſi ſecum erant inſolentiſſimi Aſſyriorum reges, omnem potentiam, ne divina quidem excepta, ſe facile ſuperaturos atque fracturos. Ita enim Sennacheribus de Iſraelitarum deo per legatos ad Ezechiam Jeſaj. XXXVI, 18. XXXVII, 10. *Ne te decipiat Deus tuus in quo tu confidis,* et quae ſequuntur. *Quis eſt ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea? ut eruat Jova Hieroſolymam de manu mea?* Ad tales igitur inſanas verborum jactationes propheta, *quid,* inquit, *contra Jovam cogitatis?* cur tam in ipſum eſtis inſolentes, ut non reformidetis dicere, non poſſe eum praeſtare, quod ſecum conſtituit, non poſſe populum a tyrannide veſtra liberare, aut contra eam defendere? Chaldaeus: עַמְמַיָּא דְּבַזּוּ יַת יִשְׂרָאֵל מָא אַתּוּן חָשְׁבִין קֳדָם יְיָ *gentes, quae expilaverunt Iſraelem, quid vos cogitatis coram Jova?* Brevi ſentietis, ſtare ejus contra vos decretum, nam כָּלָה הוּא עֹשֶׂה *conſummationem ille faciet,* omnino vos perdet, delebit et exterminabit, hanc enim phraſeos vim eſſe clarum eſt ex aliis locis, veluti Jerem. XXX, 11. Ezech. XI, 13. XX, 17. Chaldaeus: גְּמִירָא הִיא עֲתִיד לְמֶעְבַּד עִמְּכוֹן *futurum eſt ut fiat exterminatio vobiscum.* לֹא־תָקוּם פַּעֲמַיִם צָרָה *Non conſurget bis adverſitas,* non oborietur iteranda calamitas, ſed una vice res excidii veſtri tota conficietur. Infliget vobis Jova unam plagam tam validam, tam horrendam,

rendam, ut non ſit neceſſe, ſecundam aut plures adhiberi, nihil enim relinquet, ex quo colligendarum virium ſpem concipere poſſitis, aut inſtaurationem vobis polliceri. Similis loquutio 1 Sam. XXVI, 8., ubi Abiſai, homo caſtrenſis, proverbio militari ait ad Davidem: *Percutiam Saulem lancea ſemel in terram, ita ut non repetam ei* ictum, i. e. ut ſecunda vice non indigeat. Et 2 Sam. XX, 10. Joabus Amaſam ſica ſua ſemel perfodiſſe narratur, ut altera plaga non fuerit opus. Hieronymus: „Symmachus apertius: *Non ſuſtinebunt impetum ſecundae anguſtiae.*" Alii: *non reſurget bis,* vel *iterum, inimica,* ſcil. urbs et imperium Aſſyriorum. Ut Jerem. LI, 64. *Submergetur Babel,* וְלֹא תָקוּם *nec reſurget, prae malis, quae ei inveham.* Ab his recedit Chaldaeus: לָא תִתְקַיַּם עֲלֵיכוֹן כְּבֵית יִשְׂרָאֵל תַּרְתֵּין זִמְנִין רְוַח בָּתַר עָקָא *non conſurget vobis, ſicut domui Iſrael, bis reſpiratio poſt anguſtiam.*

10. כִּי עַד סִירִים סְבֻכִים וּכְסָבְאָם סְבוּאִים אֻכְּלוּ כְּקַשׁ יָבֵשׁ מָלֵא *Nam quum aeque ac ſpinae perplexi, et tanquam mero ſuo inebriati* futuri ſint, *conſumentur velut ſtipula arida plene.* Cauſam tradit, cur Verſu ſuperiori dixerit eos conſumendos eſſe, nec calamitatem bis ſurrecturam: quia tanta eſt eorum perplexitas, tanta ebriae mentis vertigo, ut brevi, inſtar ſtipularum aridarum, conſumantur. כִּי עַד סִירִים סְבֻכִים *Nam usque ad ſpinas implexi* ſunt hoſtes, Aſſyrii, i. e. eo usque, ut perplexitate ſpinas aequent. Ita עַד 1 Paral. IV, 27. *Non multiplicaverunt* filios עַד בְּנֵי יְהוּדָה *usque ad filios Judae,* i. e. numerum filiorum Judae non adaequarunt, non inſtar poſterorum Judae creverunt. Nec non 2 Sam. XXIII, 19. וְעַד־הַשְּׁלֹשָׁה לֹא־בָא *et ad tres* illos *non pervenit* fortitudine, tres illos fortitudine non aequavit. Idem igitur h. l. עַד valebit, quod ſimilitudinis particula כ nomini סָבְאָם praepoſita. Comparat hoſtes ſpinis, quae in unum acervum aut faſciculum collectae flamma brevi conſumuntur. Quum impii ob ſtudia ſua noxia ſpinis conferri ſoleant, veluti Mich. VII, 4. Ezech.

Ezech. II, 6.; iidem commode et ſicut illae delendi dicuntur. Sic Jeſaj. XXXIII, 12. populi *tanquam ſpinae evulſae igne comburendi* ſiſtuntur. וּכְסָבְאָם סְבוּאִים *Et ſicut mero ſuo*, ſeu *compotatione ſua* (vid. Jeſaj. I, 22. Hoſ. IV, 18.) *poti,* inebriati; inſtar eorum qui vino obruti in terra jacent, inepti tam ad pugnandum, quam ad hoſtes effugiendum. Haud diffitendum tamen, hanc ab ebriis deſumtam figuram huic loco non ſatis aptam eſſe. Nam poeta Aſſyrios modo propoſuerat ſub imagine ſpinarum implicatarum, atque hanc imaginem per totum hunc Verſum continuari, inde apparet, quod in poſteriore ejus membro adhibetur metaphora ab igne deſumta, quo horrentes illae ſpinae ad inſtar ſtipularum aridarum ſint exurendae et prorſus conſumendae. Quare incongruens eſt, ut interſeratur ſententia quaedam ab hac imagine plane abludens, qualis foret illa, qua Aſſyrii hic ut ebrii ſiſtantur. Quod incommodum N. G. Schroeder in Nott. mſs. a Kreenen excerptis (p. 66.) aliâ, quam vulgo receptâ verborum hebraeorum interpretatione removere ſtuduit. Eam ita inſtituit, ut (cum A. Schultens in *Comment. ad Prov.* XXIII, 20.) verbum סָבָא سَبَأَ proprie *radere, deradere* notare perhibeat, idque de *ſpinis* uſurpatum dicat, quae ſuis aculeis cutem *deſtringunt et lacerant.* Unde verbis וּכְסָבְאָם סְבוּאִים ita vertendis: *et ſecundum deſtringere eorum deſtricti* erunt, hunc ſenſum ineſſe ait: quemadmodum Aſſyrii ſpinarum ad inſtar infeſtis aculeis alios homines et populos laeſerunt, et quaſi deſtrinxerunt, ita nunc ipſi viciſſim deſtringentur et deglubentur inſtar earundem ſpinarum, quarum cortex et aculei ferro deſtringuntur, ne laedere amplius poſſint. Verum enimvero Arabicum سَبَأَ in *ſeptima* quidem Conjugatione *excoriata fuit pellis* denotat; ſed Hebraeis in prima Conjugatione *deſtringere* illud valuiſſe, haud conſtat. Nec magis certa *comburendi* ſignificatio, quam verbo סָבָא ex Arabico سَبَأَ et شَبَي h. l. tribuendam cenſet Steudel l. l. p. 413., ut vertendum ſit:

ſit: *ſicut illi combuſſerunt,* igne vaſtarunt alias terras, ſic *ipſi comburendi* conſumentur *ſtipulae aridae inſtar.* Nobis tamen quem verbum סָבָא ceteris V. T. locis obtinet ſignificatus et h. l. retinendus videtur, etſi fateamur, vatem ab imagine a ſpinis deſumta haud ſatis congruenter transire ad aliam plane diverſam. Aſſyrios faſtu turgentes, comparat igitur ebriis, qui licet exultent et audaces ſint, enerves tamen ſunt, et impetu ſuo ruunt. Ita, inquit, ſaturitas et petulantia eorum erit cauſa ſui exitii, et Deus facile eos praecipitabit. Hunc ſubitum eorum interitum nova imagine exprimit: אֻכְּלוּ כְּקַשׁ יָבֵשׁ מָלֵא *conſumentur* bellici furoris igne *velut ſtipula arida plene,* quae ſubito flammam concipit, et levi ardore combuſta perit. Eadem imago Jeſ. V, 24. XLVII, 14. Joel II, 5. Obad. Vs. 18. מָלֵא *Plene,* pleno numero et acervo, prorſus, penitus, omnino. Ut Gen. XXIII, 9. בְּכֶסֶף מָלֵא *argento pleno.* Jerem. XII, 6. *Clamant poſt te* מָלֵא *plene,* alta voce. Aliis *plena* dicitur ſtipula cum *matura* eſt, adeoque facilius flammam concipit. Ita Hebraei unanimi fere conſenſu, coll. Exod. XXII, 28. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ *fruges tuae maturae et liquor tuus.* Item Deut. XXII, 9. הַמְּלֵאָה הַזֶּרַע *fructus maturus.* Propoſuimus eam hunc Verſum explicandi rationem, quae nobis ſimpliciſſima et planiſſima viſa, a qua non multum diverſa eſt Kimchii interpretatio, qui poſtquam obſervaſſet, עַד h. l. *ſimilitudinem* indicare, ſenſum hunc eſſe ait: accidet illis, quod ſpinis perplexis et implicatis, quas cum ſolvere non poteſt agricola ſimul omnes in ignem conjicit; ita fore ut ſimul omnes neci dedantur. *Similes* item *erunt ebriis,* qui ſua ſponte et nemine impellente concidunt, nam prorſus viribus deſtituentur. Sed veteres et recentiores in hoc commate interpretando maximopere inter ſe diſſentiunt. LXX: *Ὅτι ἕως θεμελίου αὐτοῦ χερσωθήσεται, καὶ ὡς σμίλαξ περιπλεκομένη βρωθήσεται, καὶ ὡς καλάμη ξηρασίας μεστή.* Quae Hieronymus ſic reddidit: *Quia usque ad fundamenta ſua redigentur in vepres, et ſicut volvola circumdata comedetur, et quaſi ſtipula ariditate plena.*

Vol-

Volvolam, qua Graecum σμῖλαξ reddidit Hieronymus, in Commentario ait esse herbam similem hederae, quae vitibus et virgultis circumdari solet et in longum serpere. Ceterum pro עַד־סִירִים Graecum interpretem עד יסודם legisse apparet, סְבֻכִים vero eum pro *vepreto* accepisse. Hieronymus: *Quia sicut spinae se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium consumetur, quasi stipula ariditate plena.* Ad quae in Commentario: „Quia docti ab Hebraeis volumus eorum quoque traditionem sequi, et nostris, id est, Christianis, explanationem historiae demonstrare, dicendum est: non consurget duplex tribulatio, id est, non capientur ab Assyriis duae tribus, sicut captae sunt decem. Siquidem dum adhuc in terra Juda sunt Assyrii, et quasi spinae se invicem complectuntur, laetantes atque gaudentes, ab angelo consumentur, quando una nocte centum octoginta quinque millia caesa sunt hostium. Pulchre quoque exercitus eorum multitudinem, ebriorum convivio comparavit, et ipsum convivium non rosarum, non liliorum dixit esse, non florum, sed simile spinarum se invicem complectentium, quae semper traduntur igni, et quasi stipula ariditate plena levi comburuntur ardore.“ Chaldaeus: אֲרֵי שִׁלְטוֹנֵי עַמְמַיָא דְבָזוּ בֵית יִשְׂרָאֵל וּכְמָא דְטָעַן בְּחַמְרָא כֵּן אִטְעִיאוּנוּן כְקָא דְמִשְׁצְיָא אֶשָּׁתָא כְּקַשָּׁא יְבֵישָׁא סַגִּי *quia principes gentium, qui depraedati sunt domum Israel, quemadmodum erraverunt in vino, ita seduxerunt atque consumserunt eos, sicut consumit ignis stipulam aridam multam.* Syrus: ܡܛܠ ܕܪ̈ܫܢܐ ܠܡܣܪܗܒܝܢ ܗܢܘܢ ܘܒܪܘܝܘܬܗܘܢ ܪܘܝܢ ܘܐܟܠܘ ܘܐܬܡܠܝܘ ܩܫܐ ܝܒܝܫܐ *propterea quod vel ipsi principes eorum refractarii sunt, et in ebrietate sua ebrii, comederuntque et impleverunt se stipula arida.* Uterque interpres videtur סִירִים *remotos*, i. e. refractarios, malos accepisse, quasi esset a סוּר *recedere*, quam interpretationem et Jarchi commemorat. Ipse tamen usitata *spinarum* notione nomen סִירִים accipit, particulam עַד vero capit pro עוֹד *dum*, ut Job. I, 18. Jon. IV, 2., sensumque hujus

hujus Verſus talem eſſe putat: „Repente ſuperveniet eis plaga, nec a gloria ſua paulatim decident, ſed dum adhuc vepres et ſpinae ſunt perplexae, violenter eradicabuntur; et dum adhuc mero obruti, inebriati ſunt, i. e. dum inter convivia et voluptates verſantur, conſumentur veluti ſtipula arida, cujus maturitas ad perfectionem pervenit.“ A. Schultens in libro *de Defectibus hodiernis Ling. Hebr.* §. CCLXVII. phraſin סִירִים סְבֻכִים illuſtrandam exiſtimat ex imagine de شَوْكَةٌ *ſpina, ſpineto* deſumta, Arabibus uſitata, qui de potentia ad ſummum perducta dicunt اِشْتَدَّتِ الشَّوْكَةُ *invaluit ſpina,* et de eadem infracta aut imminuta وَهَنَتِ الشَّوْكَةُ *debilitata eſt ſpina.* Sic et noſtro loco cum vates ait hoſtes inſtar *ſpinarum perplexos,* Schultens imaginem eſſe arbitratur potentiae Aſſyriacae, quae aridae ſtipulae inſtar foret conſumenda, quantumvis ad ſpineti formidabilis perplexitatem excreviſſet. Idem Schultenſius in *Commentar. ad Proverb.* XXVIII, 20. verba כְּסָבְאָם סְבוּאִים ſic vertenda vult: *pro helluatione eorum,* ſeu *compotatione vini, utres deglubente, deglupti ſunt ipſi,* i. e. excoriati velut ac contuſi aeſtu vini meraciſſimi. Tribuit Schultenſius arabico سَبَأَ ſignificatum *deglubendi, detrahendi pellem,* unde Orientales dixiſſe ſibi perſuadet *deglubere utrem vini* pro: *totum evacuare utrem.* Quod quam quaeſitum ſit, unusquisque ſentiet ipſe.

11. מִמֵּךְ יָצָא חֹשֵׁב עַל־יְהוָה רָעָה יֹעֵץ בְּלִיָּעַל *Ex te exibit cogitans adverſus Jovam malum, conſiliarius nequam.* Hanc apoſtrophen quidam terram Judaicam ſpectare exiſtimant, qui ajunt, polliceri prophetam hisce verbis Judaeis trepidantibus, exiturum Senaheribum ex Judaea non onuſtum ſpoliis, vel auctum novae regionis acceſſione, ſed perfugum, nudum ab exercitu, odioſum tam alienis, quam

quam ſuis. Rectius vero ſuffixum femininum in מִמֵּךְ ad Niniven urbem refertur, ſeu Aſſyriam, cui quum jam tot calamitates, ipſumque adeo extremum excidium praedixerit, nunc cauſam exponit tam ſeveri ſupplicii. Recte Chaldaeus noſtri Verſus ſenſum expreſſit: מִנֵּיךְ נִינְוֵה נְפַק מַלְכָּא דְחָשֵׁיב עַל עַמֵּיהּ דַיָי בִישָׁא דְמַלֵּךְ מְלַךְ דְרְשַׁע *Ex te, Ninive, prodiit rex, qui cogitat contra populum Jovae malum, qui inivit conſilium impietatis.* Dictiones חֹשֵׁב עַל־יְהוָֹה רָעָה atque יֹעֵץ בְּלִיָּעַל ſunt collective intelligendae de omnibus illis regibus Aſſyriacis, qui de evertenda republica Judaica conſilia agitarunt. De בְּלִיָּעַל vid. not. ad Pſ. XVIII, 5. Addimus illis quae ibi dicta ſunt, Fraehnii ſententiam, vocem illam proprie ſignificare *hominem non eminentem* (coll. Arabico وعل *aſcendit, eminuit,* et *altus fuit*), haud nobilem, adeoque abjectum, vilem, quemadmodum Arabum غَيْرُ طَايِلٍ *minime longus, haud altus,* de nullius frugis ac viliſſimo mortalium uſurpatur, et de re noxia, pernicioſa. Unde noſtrum יֹעֵץ בְּלִיָּעַל interpretatur eum, *qui conſilium iniit exitiale* populo Judaico, et נַחֲלֵי־בְלִיַּעַל Pſ. XVIII, 8. *torrentes exitiales.* LXX h. l. verterunt *βουλευόμενος ἐναντία.* Hieronymus: *mente pertractans praevaricationem.*

12. Jam ſermonem convertit ad Hieroſolymam, cui in perſona Dei omnia laeta ac fauſta, Aſſyriis autem contraria vaticinatur. Quum vix credibile videretur, muniſſimam, opulentiſſimam, populoſiſſimam urbem, regnum potentiſſimum et florentiſſimum, everti; haec contra inquit, quantuncunque rebus omnibus ex voto abundent, ſintque cunctis iis, quae ad bellum gerendum requiri poſſunt, inſtructiſſimi, nihilominus certo futurum, ut Jovana potentia facillime exſcindantur. כֹּה אָמַר יְהוָֹה אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים וְכֵן נָגֹזּוּ וְעָבָר *Sic dicit Jova: etſi integri* ſint hoſtes, *et ſic etiam,* adeoque multi, *et ſic* tamen, i. e. attamen *tondebuntur, et praeteribit,* peribit hoſtium unusquisque. רַבִּים *Integri,* incolumes (ut Geneſ. XXXIII, 18.), illibati et inte-

integris ſuis viribus gaudentes. וְכֵן רַבִּים *Et ſic*, i. e. adeoque *multi* et magni, fortiſſimi. Chaldaeus: אִם יְהוֹן שְׁלֵמִין בְּעֵיצָא וְסַגִּיאִין בְּאַחְמָנְיוּתָא עַמְמַיָּא דְּמִתְכַּנְשִׁין לְאֲעָקָא לִיךְ יְרוּשְׁלֶם *etſi fuerint perfecti*, ſ. perfecte conſentientes *in conſilio, et multae etiam numero gentes, quae congregantur ut te ad anguſtias adigant, Jeruſalem.* וְכֵן נָגוֹזּוּ *Et ſic* tamen *tondebuntur*, metaphora deſumta vel a forſice, quae pilos detondet tum ab hominum capitibus, tum ab ovibus, vel ab armentis, quae gramina et herbas camporum depaſcunt. Uſus eſt conſimili imagine Jeſajas VII, 20. cum ait: *Die illa radet Dominus novacula mercenaria, iis qui ſunt trans flumen, rege Aſſyriae, caput et pilos pedum, ſed et barbam abſumet.* Hieronymus: „Juxta literam manifeſtus eſt ſenſus: licet, inquit, robuſti ſint Aſſyrii, et fortitudo eorum numero augeatur cunctarum gentium; ſic quoque, angelo vaſtante, tondentur. Quomodo enim numerus capillorum acutae forcipi non repugnat, ita et numerus adverſariorum Dei facili ſucceſſione tolletur.“ וְעָבָר *Et tranſibit* quilibet illorum, omnes et ſinguli peribunt. *Tranſire* enim haud raro *evaneſcere, cito et facile perire.* Veluti Pſ. XXXVII, 36. de improbo: וַיַּעֲבֹר וְהִנֵּה אֵינֶנּוּ *tranſit*, perit, *et en! non eſt ipſe.* Vid. et Job. XXXIV, 20. Pſ. XC, 6. Hieronymus: „*Et pertranſibit* Aſſur, vel eſſe deſiſtet, ſive, vaſtato exercitu ſuo, revertetur ad patriam, te ſoſpitem derelinquens.“ Rurſum, ut recte idem notat Hieronymus, ad Judam et Jeruſalem ſermo dirigitur: וְעִנִּתִךְ *afflixi te*, quo quidem reſpicit ad cladem, quam Aſſyrii intulerant occupatione urbium haud paucarum, cf. 2 Reg. XVIII, 14.; addit vero ſolatium: לֹא אֲעַנֵּךְ עוֹד ſed *non affligam te amplius*, non permittam, ut hoſtis occupando populandoque longius progrediatur. Chaldaeus verba hebraea inde a נָגוֹזּוּ ſic vertit: וְיִגּוּזוּן יַת דִּגְלַת וְיֶעְבְּרוּן יַת פְּרָת וְיֵיתוּן לְעַנָּיוּתֵיךְ וְדִשַׁעֲבַדְתִּיךְ לָא אֲשַׁעְבְּדִנֵּךְ עוֹד *et* licet *trajecerint* (populi hoſtiles, qui adverſum te congregantur) *Tigrim, et tranſiverint Euphratem, venerintque ad te affligendum, attamen quum te ſubjecerim, non amplius te ſubjiciam* barbarorum tyran-

tyrannidi. Pro בְּגוּזּוּ legit Chaldaeus בְּגוּזוּ (*Zain* fine Dagefch), ut in codice primo et tertio Erfurtenfi atque in Bibliis Bragadinis, Venetiis 1614. et 1678. editis reperitur, retulitque ad גוז *trajicere*, unde גָּז Pf. XC, 10., ad quem loc. vid. not. In alia omnia abeunt LXX, qui hunc Verfum ita interpretantur: Τάδε λέγει Κύριος κατάρχων ὑδάτων πολλῶν, καὶ οὕτως διασταλήσονται, καὶ ἡ ἀκοή σου ἐνακουσθήσεται ἔτι. Quae Hieronymus latine fic expreffit: *Haec dicit Dominus regnans aquis multis: et fic dividentur, et auditus tuus non audietur amplius.* Ex Graeci interpretis mente increpantur hoc Verfu illi, quos vates fupra Vs. 11. contra Jovam malum cogitare dixerat. Horum igitur potentiam, quam cum ingentium fluctuum impetu comparari ille exiftimavit, ita infringendam effe, atque diffipandam, ut et fama ejus evanefcat. Ceterum Graecus interpres pro אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים videtur legiffe מושל מים רבים; verbum עָנָה autem, unde h. l. אֲעַנֵּךְ et וְעִנִּתִךְ, cepit *loquendi* fignificatu, quam Deut. XXVI, 8. et alias obtinet. Syrus: ܗܳܟܰܢܳܐ ܐܳܡܰܪ ܡܳܪܝܳܐ ܥܰܠ ܪ̈ܺܫܰܝ ܡܰܝ̈ܳܐ ܣܰܓܺܝ̈ܐܶܐ ܕܰܚܛܰܦܘ ܘܥܰܒܰܪܘ ܘܕܰܡܥܰܢܶܝܢܳܐ ܠܶܟܝ ܙܒܰܢ ܠܳܐ ܐܰܥܢܶܝܟܝ *fic dicit Dominus de capitibus aquarum multarum, quae rapuerunt et elapfae funt; et qui te* alias *exaudivi, nonne iterum te exaudiam?* In verbis אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים vertendis interpres imitatus eft Graecam verfionem, verbum עָנָה vero accepit *exaudiendi* fignificatione.

13. Pergit fuos confolari: וְעַתָּה אֶשְׁבֹּר מֹטֵהוּ מֵעָלָיִךְ *et nunc frangam jugum ejus a te;* jugum ab hofte tibi impofitum frangam, ne amplius tibi incumbat. Imago Hebraeis familiaris, qua liberatio a fervitio indicatur, vid. Levit. XXVI, 13. Jefaj. X, 27. XIV, 28. Jerem. II, 20. XXVIII, 2. feqq. Vates forfan eo refpicit, quod Hiskiam, regem Judae, Sennaheribus tributarium fibi fecerat, 2 Reg. XVIII, 14. Chaldaeus: וּכְעַן אֶתְבַּר נִיר עַמְמַיָּא מִצַּוְּרֵיכוֹן *et nunc frangam jugum gentium a collo veftro.* LXX pro

de hominibus fubita conflernatione percuffis atque hinc fe fubito attollentibus fubfultantibusque prae metu Numinis ad vindictam advenientis.

6. Quemadmodum Deus immenfae eft potentiae, qua cuncta fibi fubjicere poteft, prae cujus metu fugit mare, concutiuntur montes, terra tota contremifcit; fic et irae ejus atque indignationis tanta vis eft, ut nemo hominum, quanta etiam potentia polleat, refiftere eidem poffit. לִפְנֵי זַעְמוֹ מִי יַעֲמוֹד *Ante indignationem ejus quis confiflat?* in flatu fuo permaneat? וּמִי יָקוּם בַּחֲרוֹן אַפּוֹ *Et quis confiftet in excandefcentia ira ejus?* LXX: Καὶ τίς ἀντιστήσεται ἐν ὀργῇ θυμοῦ αὐτοῦ; Quod imitatus Hieronymus: *et quis refiftet in ira furoris ejus?* Idem in Commentario: „Apertius interpretatus hoc eft Symmachus: *et quis fuftinebit iram furoris ejus?*“ Ita et Syrus: ܘܡܢܘ ܡܣܝܒܪ؛ ܚܡܬܐ ܕܪܘܓܙܗ *et quis ferat aeftum furoris ejus?* Chaldaeus: כַּד אִתְגְּלֵי בְרַחְמְתָא לְמִתַּן אוֹרַיְתָא לְעַמֵּיה כֵּן זָע עַלְמָא מִן קֳדָמוֹהִי בְּכֵן כַּד אִתְגְּלֵי בִרְגַז לְאִתְפְּרַע מִסַּנְאֵי עַמֵּיה קֳדָם פּוּרְעֲנוּתֵיה מַן יְקוּם וּמַן יְסוֹבַר בְּאַבְאָשׁוּת רוּגְזֵיה *quando patefecit fe cum mifericordia, ut daret legem populo fuo, fic commotus eft mundus a confpectu ejus; ita quando fefe demonflrabit in furore ad fumendam vindictam de oforibus populi fui, coram ipfius ultione quis fubfiftat, et quis fuftineat malum irae ejus?* חֲמָתוֹ נִתְּכָה כָאֵשׁ *Aeftus ejus effunditur ficut ignis*, qualis eft fulmineus, aut pluviae illae fulphureae et igneae, quibus Sodoma et vicinae urbes everfae funt, Genef. XIX, 24. Syrus: ܚܡܬܗ ܝܩܕܐ ܐܝܟ ܢܘܪܐ *aeftus ejus ardet ficut ignis.* Alii נִתְּכָה fumunt pro Piel; ita Chaldaeus: רוּגְזֵיה כְּאֶשָּׁתָא מַמְסֵי *ira ejus ficut ignis liquat*, ut ignis metalla, fic indignationis divinae effectus obvia quaeque fundunt et diffolvunt. Sed priorem interpretationem, ex qua imago a *pluvia* defumta eft (de qua נִתַּךְ dicitur Exod. IX, 33.), fefe in terram effundente, commendat locus parallelus Jerem. VII, 20. אַפִּי וַחֲמָתִי נִתֶּכֶת

נִתְּכָה אֶל־הַמָּקוֹם הַזֶּה *excandescentia mea fusa est in locum istum super homines, bestiasque, et arbores campi, atque fruges agri, et accendetur, nec exstinguetur.* Cf. XLIV, 6. LXX: Τήκει ἀρχὰς, quod Arabs يُذِيبُ ٱلرُّوسَاءَ *liquefacit principes,* vertit, quasi pro כאש legissent ראש. וְהַצֻּרִים נִתְּצוּ מִמֶּנּוּ *Et ipsae petrae dissolvuntur ab eo.* Chaldaeus: וְטִינָרַיָּא אִתְפַּרְקָן מִן קֳדָמוֹהִי *et rupes disrumpuntur a conspectu ejus.* Syrus: ܘܛܘܪ̈ܐ ܐܬܦܫܪܘ ܡܢܗ *et montes liquefiunt ab eo.* Jova irato fulminaque mittente et ipsae durissimae rupes in frusta dissiliunt.

7. Gravissimis minis, quibus propheta hostes terret, solatium propter Judaeos admiscet, ac tam esse bonum, ait, Jovam erga pios, quam sit ira adversus malos accensus. טוֹב יְהוָה *Bonus,* benignus est *Jova,* לְיִשְׂרָאֵל *Israeli,* addit Chaldaeus ex Ps. LXXIII, 1. לְמָעוֹז בְּיוֹם צָרָה *Praesidio* est piis *die angustiae.* De nomine מָעוֹז vid. not. ad Ps. XXVII, 1. Chaldaeus: לְאִסְתַּמָּכָא עֲלוֹהִי בְּעִדַּן עָקָא *innitendum est ei tempore angustiae.* Syrus לְמָעוֹז ܠܡܥܫܢܘ *ad protegendum* vertit. LXX: Χρηστὸς Κύριος τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὸν ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως. וְיֹדֵעַ חֹסֵי בוֹ *Et novit qui confugium quaerunt in ipso.* *Nosse* hic est amare, probare, tueri, curae habere, q. d. non sinet eos perire. Cf. not. ad Ps. I, 6. De חֹסֵי בוֹ vid. not. ad Ps. II, 12. Chaldaeus: וְגַלְיָן קֳדָמוֹהִי דְּרָחִיצִין עַל מֵימְרֵיהּ *et manifesti sunt coram eo, qui fiduciam suam collocant in verbo ipsius.*

8. Minatur propheta Ninevitarum urbi et regno Assyriorum horrendam cladem atque excidium, sumta metaphora ab inundatione vehementer erumpente atque omnia loca magno impetu pervadente. וּבְשֶׁטֶף עֹבֵר כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ *Et per inundationem transeuntem,* pervadentem omnia, *consummationem faciet loci ejus,* quemadmodum ingens aquarum vis subito erumpens omnia secum rapit et prosternit, agros devastat atque domos subvertit, sic copiarum hosti-

hoſtilium impetu Ninive ita delebitur, ut ne locum quidem ejus quisquam agniturus ſit. *Inundationis* imago ſaepius a poetis Hebraeis uſurpatur, rarius tamen in bonam partem, ut Jeſ. LXVI, 12., ubi torrenti inundanti (נַחַל שׁוֹטֵף) comparatur gloria, qua respublica Hebraea reſtaurata longe lateque ſit decoranda, plerumque in malam partem, ut notet magnas et horrendas calamitates, veluti Jeſ. XXVIII, 17. XXX, 30., ſpeciatim vero per inundationem aquarum multarum omnia abripientem, dejicientem et deſtruentem ſignificatur potentiſſimus hoſtis omnia celerrime perdens, Jeſaj. XXVII, 2. Dan. IX, 26. XI, 10. XXVI, 40., atque exercitus omnis vaſtans, Jeſ. VIII, 7. 8. Jerem. XLII, 2. Sic apud Homerum *Iliad.* E. 87. ſeqq. Diomedes contra Trojanos pugnans comparatur inundanti et omnia ſecum abripienti torrenti:

Θῦνε γὰρ ἀμπεδίον, ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς,
Χειμάῤῥῳ, ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας·
Τὸν δ' οὔτ' ἄρ τε γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
Οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων,
'Ελθόντ' ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος.

Furibundus enim ferebatur per campum, fluvio inundanti ſimilis, torrenti, qui velociter fluens diſſipat pontes, quem utique neque pontes muniti coërcent, neque ſepta retinent camporum perquam virentium, venientem derepente, quando ingruerit Jovis imber. עֹבֵר *Transgrediente* ripas videlicet, torrentis inſtar, vel cui nulli obices objecti, nulla obſtacula, quin liberrime omnia poſſit pervadere; cf. Jeſ. VIII, 8. כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ *Conſummationem faciet locum ejus*, prorſus delebit locum, in quo ſita nunc Ninive, ut illum nemo inventurus ſit. Suffixum femineum in מְקוֹמָהּ ſpectat regni hoſtilis metropolin, Niniven, quae diſerte nominatur ſupra Vs. 1. et infra II, 9. Quod vero hic Ninive per ſolum ſuffixum deſignatur, haud praecedente ipſius nomine, id Fraehn recte obſervat eſſe e more poetarum Aſiaticorum, qui quum ingenio vegeto fervidoque et acerrimo cogitationum impetu ferantur, ſaepe re, quam oratione

tracta-

tractabant, fubito relicta, ad aliam vix nomine defignatam transgredi folent, quod circa quae animi magno affectu occupantur, et in quibus ipfi funt toti, ea neminem latere putant. Arabibus quoque in fuis carminibus nihil eft tritius, quam ut de re quadam longe lateque differant, ea tamen haud nominata. Vid. Reiskium ad *Taraphae Moallaca* p. 86., et ejusdem *Annotatt. hiftoricc.* ad *Abilfedae Annales* T. I. p. 33. Hieronymus: „Verbum *Macoma*, quod nos interpretati fumus *loci ejus*, omnes in duas orationis partes diviferunt, ut *Ma* in praepofitionem *de* verterent, id eft, ἀπὸ, *Coma furgentes* interpretarentur. Denique Aquila ἀπὸ ἀνισταμένων inquit, id eft, *a confurgentibus*, Septuaginta *confurgentes* [τοὺς ἐπεγειρομένους], Theodotio *confurgentibus ei*, Quinta editio, *a confurgentibus illi.* Solus Symmachus cum noftra interpretatione confentiens ait: *et in diluvio transeunte confummationem faciet loci ejus.*" Graecos interpretes Hieronymo commemoratos מְקָמֶיהָ, vel קָמָיו, vel מִתְקוֹמְמָיו legiffe apparet. Quorum pofterius, *infurgentes contra eum*, nec displicet Fraehnio, utpote τῷ וְאֹיְבָיו in altero hemiftichio parallelum. Utramque legendi rationem conjunxiffe videtur Chaldaeus: וּבְרֻגַז חֲסִין וּבְחֵמָא תַּקִּיפָא גְּמִירָא יַעֲבֵיד עִם עַמְמַיָּא דְקָמוּ וְאַחְרִיבוּ יַת בֵּית מַקְדְּשָׁא דַיְיָ *fed in ira forti et furore vehementi exterminationem faciet cum gentibus, quae infurrexerunt, et vaftarunt aedem fanctam Domini.* Unde eum forfan legiffe לְקָמִים עַל מְקוֹמָהּ conjicit Fraehnius, et quod codicum noftrorum lectionem cum ea, quam interpretes Graeci fequuti funt, junxerit, exemplari illum perfectiore ufum effe, non fine probabilitatis fpecie colligi poffe exiftimat. מָקוֹם vero de *templo* illum intellexiffe, quemadmodum Arabicum مقام in Corano faepius *locum adorationis* denotat. In verfione Syriaca prius noftri Verfus hemiftichium ita fonat: ܘܒܛܘܦܢܐ ܫܘܡܠܝܐ ܚܪܒܐ ܥܒܕ ܕܥܒܪ ܠܐܬܪܗ *et inundatione confummationem*, exterminationem *facit*, *quae transibit ad illius locum.* Sed recte Fraehnius de hac verfione ita judi-

judicat: „Syrum, qui hic fere verbum verbo reddit, quominus a textus verborum ordine et ſenſu receſſiſſe putem impedit ſumma reſtituendi eum in integrum facilitas. Lege enim duobus ſolummodo mutatis punctis diacriticis: ܘܒܛܘܦܢܐ ܓܡܪܐ ܡܥܒܪܢܐ ܢܥܒܕ ܠܐܬܪܗ ***et inundatione transeunte conſummationem faciet locum ejus,*** et habebis ipſum textum ebraeum.“ Steudel (*Archiv* Vol. II. p. 413.) pro מְקוֹמָהּ conjecit מְקֹמָה legendum, quod pro מִהְיוֹת קוֹמוֹ poſitum ſit: ***ut ne ſit amplius adverſarius ejus,*** quomodo Participii forma קוֹם pro קָם eſſet, ut 2 Reg. XVI, 7. הַקּוֹמִים עָלָי *qui mihi adverſantur.* Verba noſtri Verſus poſtrema, וְאֹיְבָיו יְרַדֶּף־חֹשֶׁךְ ambigua ſunt; nam ſignificare poſſunt: *fore, ut perſequantur tenebrae hoſtes Jovae*, vel, ut *hoſtes ipſi perſequantur tenebras*, i. e. ut tanquam amentes perſequantur id, quod ipſis exitium adferet. Sed non dubitamus, quin prior ſententia genuina ſit, ut locus ſit intelligendus de tenebris calamitatum, quae hoſtis inſtar Jovae populique ſui inimicos perſequi dicantur. יְרַדֶּף, quod quidam transitive vertunt: *faciet* Deus, *ut perſequantur tenebrae* hoſtes ipſius, rectius *perſequentur* redditur, nam forma Piel ſummum perſequendi ſtudium indicat, vid. not. ad Hoſ. II, 6. (al. 9.). Chaldaeus: וּבַעֲלֵי דְבָבוֹהִי יִמְסַר לְגֵהִנָּם *et hoſtes ſuos tradit Gehennae*, orco.

9. Apoſtrophe ad hoſtes, Aſſyrios. מַה־תְּחַשְּׁבוּן אֶל־יְהוָה *Quid cogitatis contra Jovam?* Quaenam veſtra eſt de Deo opinio? an putatis eum non poſſe perficere, quod per prophetas minatur? Sunt, qui hiſce verbis reſponderi putent Judaeorum ſollicitudini, qui talia ſibi formidarent ab Aſſyriis, qualia ab iisdem decem tribubus acciderant, a patriis ſedibus in alienum ſolum deportatis, maxime quum viderent Sennaheribum, poſtquam plurimas Judaeae civitates jam ſubegiſſet, longius ſemper progredientem, et jam omni conatu id agentem, ut regni caput, Hieroſolyma, ſuo imperio adjiceret; huic igitur formidini, inquiunt, occurrere prophetam, dum numquam futurum eſſe dicat,

ut

ut duplicem plagam Aſſyrius populo Iſraelitico illaturus ſit (לא־תָקוּם פַּעֲמַיִם צָרָה), abductas jam eſſe per Salmanaſſarem decem tribus in exteras terras, non autem paſſurum Deum clementiſſimum, ut etiam Sennacheribus tyrannidem ſuam in duas tribus exerceat, easque exſcindat. Ita Hebraeum Hieronymi praeceptorem hunc locum expoſuiſſe ipſe refert: „Quid putatis, o Aſſyrii, iniquitatem contra Dominum cogitantes, quod populum Iſrael, id eſt, duodecim tribus usque ad internecionem ipſe conſumat? *Non conſurget duplex tribulatio,* id eſt, non tradit vobis Judam et Iſrael, ſicut tradidit decem tribus et Samariam.“ Verum, quod tota textus *συνάφεια* poſtulat, rectius haec contra hoſtes Aſſyrios dicta intelliguntur. Perſuaſi ſecum erant inſolentiſſimi Aſſyriorum reges, omnem potentiam, ne divina quidem excepta, ſe facile ſuperaturos atque fracturos. Ita enim Sennacheribus de Iſraelitarum deo per legatos ad Ezechiam Jeſaj. XXXVI, 18. XXXVII, 10. *Ne te decipiat Deus tuus in quo tu confidis,* et quae ſequuntur. *Quis eſt ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea? ut eruat Jova Hieroſolymam de manu mea?* Ad tales igitur inſanas verborum jactationes propheta, *quid,* inquit, *contra Jovam cogitatis?* cur tam in ipſum eſtis inſolentes, ut non reformidetis dicere, non poſſe eum praeſtare, quod ſecum conſtituit, non poſſe populum a tyrannide veſtra liberare, aut contra eam defendere? Chaldaeus: עַמְמַיָּא דְבַזּוּ יַת יִשְׂרָאֵל מָא אַתּוּן חָשְׁבִין קֳדָם יְיָ *gentes, quae expilaverunt Iſraelem, quid vos cogitatis coram Jova?* Brevi ſentietis, ſtare ejus contra vos decretum, nam כָּלָה הוּא עֹשֶׂה *conſummationem ille faciet,* omnino vos perdet, delebit et exterminabit, hanc enim phraſeos vim eſſe clarum eſt ex aliis locis, veluti Jerem. XXX, 11. Ezech. XI, 13. XX, 17. Chaldaeus: גְּמִירָא הִיא עֲתִיד לְמֶעְבַּד עִמְּכוֹן *futurum eſt ut fiat exterminatio vobiscum.* לֹא־תָקוּם פַּעֲמַיִם צָרָה *Non conſurget bis adverſitas,* non orietur iteranda calamitas, ſed una vice res excidii veſtri tota conficietur. Infliget vobis Jova unam plagam tam validam, tam horrendam,

rendam, ut non ſit neceſſe, ſecundam aut plures adhiberi, nihil enim relinquet, ex quo colligendarum virium ſpem concipere poſſitis, aut inſtaurationem vobis polliceri. Similis loquutio 1 Sam. XXVI, 8., ubi Abiſai, homo caſtrenſis, proverbio militari ait ad Davidem: *Percutiam Saulem lancea ſemel in terram, ita ut non repetam ei* ictum, i. e. ut ſecunda vice non indigeat. Et 2 Sam. XX, 10. Joabus Amaſam ſica ſua ſemel perfodiſſe narratur, ut altera plaga non fuerit opus. Hieronymus: „Symmachus apertius: *Non ſuſtinebunt impetum ſecundae anguſtiae.*" Alii: *non reſurget bis*, vel *iterum*, *inimica*, ſcil. urbs et imperium Aſſyriorum. Ut Jerem. LI, 64. *Submergetur Babel*, וְלֹא תָקוּם *nec reſurget, prae malis, quae ei inveham.* Ab his recedit Chaldaeus: לָא תִתְקַיַּם עֲלֵיכוֹן כְּבֵית יִשְׂרָאֵל תַּרְתֵּין זִמְנִין רְוַח בָּתַר עָקָא *non conſurget vobis, ſicut domui Iſrael, bis reſpiratio poſt anguſtiam.*

10. כִּי עַד סִירִים סְבֻכִים וּכְסָבְאָם סְבוּאִים אֻכְּלוּ כְּקַשׁ יָבֵשׁ מָלֵא *Nam quum aeque ac ſpinae perplexi, et tanquam mero ſuo inebriati* futuri ſint, *conſumentur velut ſtipula arida plene.* Cauſam tradit, cur Verſu ſuperiori dixerit eos conſumendos eſſe, nec calamitatem bis ſurrecturam: quia tanta eſt eorum perplexitas, tanta ebriae mentis vertigo, ut brevi, inſtar ſtipularum aridarum, conſumantur. כִּי עַד סִירִים סְבֻכִים *Nam usque ad ſpinas implexi* ſunt hoſtes, Aſſyrii, i. e. eo usque, ut perplexitate ſpinas aequent. Ita עַד 1 Paral. IV, 27. *Non multiplicaverunt* filios עַד בְּנֵי יְהוּדָה *usque ad filios Judae*, i. e. numerum filiorum Judae non adaequarunt, non inſtar poſterorum Judae creverunt. Nec non 2 Sam. XXIII, 19. וְעַד־הַשְּׁלֹשָׁה לֹא־בָא *et ad tres* illos *non pervenit* fortitudine, tres illos fortitudine non aequavit. Idem igitur h. l. עַד valebit, quod ſimilitudinis particula כ nomini סָבְאָם praepoſita. Comparat hoſtes ſpinis, quae in unum acervum aut faſciculum collectae flamma brevi conſumuntur. Quum impii ob ſtudia ſua noxia ſpinis conferri ſoleant, veluti Mich. VII, 4. Ezech.

Ezech. II, 6.; iidem commode et ſicut illae delendi dicuntur. Sic Jeſaj. XXXIII, 12. populi *tanquam ſpinae evulſae igne comburendi* ſiſtuntur. וּכְסָבְאָם סְבוּאִים *Et ſicut mero ſuo*, ſeu *compotatione ſua* (vid. Jeſaj. I, 22. Hoſ. IV, 18.) *poti*, inebriati; inſtar eorum qui vino obruti in terra jacent, inepti tam ad pugnandum, quam ad hoſtes effugiendum. Haud diffitendum tamen, hanc ab ebriis deſumtam figuram huic loco non ſatis aptam eſſe. Nam poeta Aſſyrios modo propoſuerat ſub imagine ſpinarum implicatarum, atque hanc imaginem per totum hunc Verſum continuari, inde apparet, quod in poſteriore ejus membro adhibetur metaphora ab igne deſumta, quo horrentes illae ſpinae ad inſtar ſtipularum aridarum ſint exurendae et prorſus conſumendae. Quare incongruens eſt, ut interſeratur ſententia quaedam ab hac imagine plane abludens, qualis foret illa, qua Aſſyrii hic ut ebrii ſiſtantur. Quod incommodum N. G. Schroeder in Nott. mſs. a Kreenen excerptis (p. 66.) aliâ, quam vulgo receptâ verborum hebraeorum interpretatione removere ſtuduit. Eam ita inſtituit, ut (cum A. Schultens in *Comment. ad Prov.* XXIII, 20.) verbum סָבָא سبا proprie *radere*, *deradere* notare perhibeat, idque de *ſpinis* uſurpatum dicat, quae ſuis aculeis cutem *deſtringunt et lacerant*. Unde verbis וּכְסָבְאָם סְבוּאִים ita vertendis: *et ſecundum deſtringere eorum deſtricti* erunt, hunc ſenſum ineſſe ait: quemadmodum Aſſyrii ſpinarum ad inſtar infeſtis aculeis alios homines et populos laeſerunt, et quaſi deſtrinxerunt, ita nunc ipſi viciſſim deſtringentur et deglubentur inſtar earundem ſpinarum, quarum cortex et aculei ferro deſtringuntur, ne laedere amplius poſſint. Verum enimvero Arabicum سبا in *ſeptima* quidem Conjugatione *excoriata fuit pellis* denotat; ſed Hebraeis in prima Conjugatione *deſtringere* illud valuiſſe, haud conſtat. Nec magis certa *comburendi* ſignificatio, quam verbo סָבָא ex Arabico سبا et شبي h. l. tribuendam cenſet Steudel l. l. p. 413., ut vertendum ſit:

ſit: *ſicut illi combuſſerunt,* igne vaſtarunt alias terras, ſic *ipſi comburendi* conſumentur *ſtipulae aridae inſtar.* Nobis tamen quem verbum סָבָא ceteris V. T. locis obtinet ſignificatus et h. l. retinendus videtur, etſi fateamur, vatem ab imagine a ſpinis deſumta haud ſatis congruenter transire ad aliam plane diverſam. Aſſyrios faſtu turgentes, comparat igitur ebriis, qui licet exultent et audaces ſint, enerves tamen ſunt, et impetu ſuo ruunt. Ita, inquit, ſaturitas et petulantia eorum erit cauſa ſui exitii, et Deus facile eos praecipitabit. Hunc ſubitum eorum interitum nova imagine exprimit: אֻכְּלוּ כְּקַשׁ יָבֵשׁ מָלֵא *conſumentur* bellici furoris igne *velut ſtipula arida plene,* quae ſubito flammam concipit, et levi ardore combuſta perit. Eadem imago Jeſ. V, 24. XLVII, 14. Joel II, 5. Obad. Vs. 18. מָלֵא *Plene,* pleno numero et acervo, prorſus, penitus, omnino. Ut Gen. XXIII, 9. בְּכֶסֶף מָלֵא *argento pleno.* Jerem. XII, 6. *Clamant poſt te* מָלֵא *plene,* alta voce. Aliis *plena* dicitur ſtipula cum *matura* eſt, adeoque facilius flammam concipit. Ita Hebraei unanimi fere conſenſu, coll. Exod. XXII, 28. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ *fruges tuae maturae et liquor tuus.* Item Deut. XXII, 9. הַמְלֵאָה הַזֶּרַע *fructus maturus.* Propoſuimus eam hunc Verſum explicandi rationem, quae nobis ſimpliciſſima et planiſſima viſa, a qua non multum diverſa eſt Kimchii interpretatio, qui poſtquam obſervaſſet, עַד h. l. *ſimilitudinem* indicare, ſenſum hunc eſſe ait: accidet illis, quod ſpinis perplexis et implicatis, quas cum ſolvere non poteſt agricola ſimul omnes in ignem conjicit; ita fore ut ſimul omnes neci dedantur. *Similes* item *erunt ebriis,* qui ſua ſponte et nemine impellente concidunt, nam prorſus viribus deſtituentur. Sed veteres et recentiores in hoc commate interpretando maximopere inter ſe diſſentiunt. LXX: *Ὅτι ἕως θεμελίου αὐτοῦ χερσωθήσεται, καὶ ὡς σμίλαξ περιπλεκομένη βρωθήσεται, καὶ ὡς καλάμη ξηρασίας μεστή.* Quae Hieronymus ſic reddidit: *Quia usque ad fundamenta ſua redigentur in vepres, et ſicut volvola circumdata comedetur, et quaſi ſtipula ariditate plena.*

Vol-

Volvolam, qua Graecum σμίλαξ reddidit Hieronymus, in Commentario ait eſſe herbam ſimilem hederae, quae vitibus et virgultis circumdari ſolet et in longum ſerpere. Ceterum pro עַד־סִירִים Graecum interpretem עד יסודם legiſſe apparet, סְבֻכִים vero eum pro *vepreto* accepiſſe. Hieronymus: *Quia ſicut ſpinae ſe invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium conſumetur, quaſi ſtipula ariditate plena.* Ad quae in Commentario: „Quia docti ab Hebraeis volumus eorum quoque traditionem ſequi, et noſtris, id eſt, Chriſtianis, explanationem hiſtoriae demonſtrare, dicendum eſt: non conſurget duplex tribulatio, id eſt, non capientur ab Aſſyriis duae tribus, ſicut captae ſunt decem. Siquidem dum adhuc in terra Juda ſunt Aſſyrii, et quaſi ſpinae ſe invicem complectuntur, laetantes atque gaudentes, ab angelo conſumentur, quando una nocte centum octoginta quinque millia caeſa ſunt hoſtium. Pulchre quoque exercitus eorum multitudinem, ebriorum convivio comparavit, et ipſum convivium non roſarum, non liliorum dixit eſſe, non florum, ſed ſimile ſpinarum ſe invicem complectentium, quae ſemper traduntur igni, et quaſi ſtipula ariditate plena levi comburuntur ardore.“ Chaldaeus: אֲרֵי שִׁלְטוֹנֵי עַמְמַיָא דְבַזּוּ בֵית יִשְׂרָאֵל וּכְמָא דְטָעַן בְּחַמְרָא כֵן אַטְעִיאוּנוּן כְּקָא דְמְשֵׁיצְיָא אֶשָּׁתָא כְּקַשָּׁא יְבִישָׁא סַגִּי *quia principes gentium, qui depraedati ſunt domum Iſrael, quemadmodum erraverunt in vino, ita ſeduxerunt atque conſumſerunt eos, ſicut conſumit ignis ſtipulam aridam multam.* Syrus: ܡܛܠ ܕܐܦ ܫܠܝܛܢܝܗܘܢ ܡܪܝܕܝܢ ܘܒܪܘܝܘܬܗܘܢ ܪܘܝܢ ܘܐܟܠܘ ܘܐܬܡܠܝܘ ܐܝܟ ܩܫܐ ܝܒܝܫܐ *propterea quod vel ipſi principes eorum refractarii ſunt, et in ebrietate ſua ebrii, comederuntque et impleverunt ſe ſtipula arida.* Uterque interpres videtur סִירִים *remotos*, i. e. refractarios, malos accepiſſe, quaſi eſſet a סוּר *recedere*, quam interpretationem et Jarchi commemorat. Ipſe tamen uſitata *ſpinarum* notione nomen סִירִים accipit, particulam עַד vero capit pro עוֹד *dum*, ut Job. I, 18. Jon. IV, 2., ſenſumque hujus

hujus Verſus talem eſſe putat: „Repente ſuperveniet eis plaga, nec a gloria ſua paulatim decident, ſed dum adhuc vepres et ſpinae ſunt perplexae, violenter eradicabuntur; et dum adhuc mero obruti, inebriati ſunt, i. e. dum inter convivia et voluptates verſantur, conſumentur veluti ſtipula arida, cujus maturitas ad perfectionem pervenit.“ A. Schultens in libro *de Defectibus hodiernis Ling. Hebr.* §. CCLXVII. phraſin סִירִים סְבֻכִים illuſtrandam exiſtimat ex imagine de شَوْكَة *ſpina, ſpineto* deſumta, Arabibus uſitata, qui de potentia ad ſummum perducta dicunt اِشْتَدَّتْ الشَّوْكَةُ *invaluit ſpina,* et de eadem infracta aut imminuta وَهَنَتْ الشَّوْكَةُ *debilitata eſt ſpina.* Sic et noſtro loco cum vates ait hoſtes inſtar *ſpinarum perplexos,* Schultens imaginem eſſe arbitratur potentiae Aſſyriacae, quae aridae ſtipulae inſtar foret conſumenda, quantumvis ad ſpineti formidabilis perplexitatem excreviſſet. Idem Schultenſius in *Commentar. ad Proverb.* XXVIII, 20. verba כְּסָבְאָם סְבוּאִים ſic vertenda vult: *pro helluatione eorum,* ſeu *compotatione vini, utres deglubente, deglupti ſunt ipſi,* i. e. excoriati velut ac contuſi aeſtu vini meraciſſimi. Tribuit Schultenſius arabico سَبَأَ ſignificatum *deglubendi, detrahendi pellem,* unde Orientales dixiſſe ſibi perſuadet *deglubere utrem vini* pro: *totum evacuare utrem.* Quod quam quaeſitum ſit, unusquisque ſentiet ipſe.

11. מִמֵּךְ יָצָא חֹשֵׁב עַל־יְהוָה רָעָה יֹעֵץ בְּלִיָּעַל *Ex te exibit cogitans adverſus Jovam malum, conſiliarius nequam.* Hanc apoſtrophen quidam terram Judaicam ſpectare exiſtimant, qui ajunt, polliceri prophetam hisce verbis Judaeis trepidantibus, exiturum Senaheribum ex Judaea non onuſtum ſpoliis, vel auctum novae regionis acceſſione, ſed perſugum, nudum ab exercitu, odioſum tam alienis, quam

quam ſuis. Rectius vero ſuffixum femininum in מִמֵּךְ ad Niniven urbem refertur, ſeu Aſſyriam, cui quum jam tot calamitates, ipſumque adeo extremum excidium praedixerit, nunc cauſam exponit tam ſeveri ſupplicii. Recte Chaldaeus noſtri Verſus ſenſum expreſſit: מִנִּיךְ נִינְוֵה נְפַק מַלְכָּא דְחָשִׁיב עַל עַמֵּיהּ דַיְיָ בִּישָׁא וְמָלֵךְ מְלַךְ דִּרְשַׁע *Ex te, Ninive, prodiit rex, qui cogitat contra populum Jovae malum, qui iniuit conſilium impietatis.* Dictiones חֹשֵׁב עַל־יְהוָֹה רָעָה atque יֹעֵץ בְּלִיָּעַל ſunt collective intelligendae de omnibus illis regibus Aſſyriacis, qui de evertenda republica Judaica conſilia agitarunt. De בְּלִיַּעַל vid. not. ad Pſ. XVIII, 5. Addimus illis quae ibi dicta ſunt, Fraehnii ſententiam, vocem illam proprie ſignificare *hominem non eminentem* (coll. Arabico وعل *aſcendit, eminuit,* et *altus fuit*), haud nobilem, adeoque abjectum, vilem, quemadmodum Arabum غَيْرُ طَائِلٍ *minime longus, haud altus,* de nullius frugis ac viliſſimo mortalium uſurpatur, et de re noxia, pernicioſa. Unde noſtrum יֹעֵץ בְּלִיַּעַל interpretatur eum, *qui conſilium iniit exitiale* populo Judaico, et נַחֲלֵי־בְלִיַּעַל Pſ. XVIII, 8. *torrentes exitiales.* LXX h. l. verterunt *βουλευόμενος ἐναντία.* Hieronymus: *mente pertractans praevaricationem.*

12. Jam ſermonem convertit ad Hieroſolymam, cui in perſona Dei omnia laeta ac fauſta, Aſſyriis autem contraria vaticinatur. Quum vix credibile videretur, munitiſſimam, opulentiſſimam, populoſiſſimam urbem, regnum potentiſſimum et florentiſſimum, everti; haec contra inquit, quantuncunque rebus omnibus ex voto abundent, ſintque cunctis iis, quae ad bellum gerendum requiri poſſunt, inſtructiſſimi, nihilominus certo futurum, ut Jovana potentia facillime exſcindantur. כֹּה אָמַר יְהוָֹה אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים וְכֵן נָגוֹזּוּ וְעָבָר *Sic dicit Jova: etſi integri* ſint hoſtes, *et ſic etiam,* adeoque multi, *et ſic* tamen, i. e. attamen *tondebuntur, et praeteribit,* peribit hoſtium unusquisque. רַבִּים *Integri,* incolumes (ut Geneſ. XXXIII, 18.), illibati et inte-

integris ſuis viribus gaudentes. וְכֵן רַבִּים *Et ſic*, i. e. adeoque *multi* et magni, fortiſſimi. Chaldaeus: אִם יְהוֹן שְׁלָמִין בְּעֵיצָא וְסַגִּיאִין בְּאִתְמַנְיוּתָא עַמְמַיָּא דְמִתְכַּנְּשִׁין לְאַעָקָא לִיךְ יְרוּשְׁלֵם *etſi fuerint perfecti*, ſ. perfecte conſentientes *in conſilio, et multae etiam numero gentes, quae congregantur ut te ad anguſtias adigant, Jeruſalem.* וְכֵן נָגֹזּוּ *Et ſic* tamen *tondebuntur*, metaphora deſumta vel a forſice, quae pilos detondet tum ab hominum capitibus, tum ab ovibus, vel ab armentis, quae gramina et herbas camporum depaſcunt. Uſus eſt conſimili imagine Jeſajas VII, 20. cum ait: *Die illa radet Dominus novacula mercenaria, iis qui ſunt trans flumen, rege Aſſyriae, caput et pilos pedum, ſed et barbam abſumet.* Hieronymus: „Juxta literam manifeſtus eſt ſenſus: licet, inquit, robuſti ſint Aſſyrii, et fortitudo eorum numero augeatur cunctarum gentium; ſic quoque, angelo vaſtante, tondentur. Quomodo enim numerus capillorum acutae forcipi non repugnat, ita et numerus adverſariorum Dei facili ſucceſſione tolletur.“ וְעָבַר *Et tranſibit* quilibet illorum, omnes et ſinguli peribunt. *Tranſire* enim haud raro *evaneſcere, cito et facile perire.* Veluti Pſ. XXXVII, 36. de improbo: וַיַּעֲבֹר וְהִנֵּה אֵינֶנּוּ *tranſit*, perit, *et en! non eſt ipſe.* Vid. et Job. XXXIV, 20. Pſ. XC, 6. Hieronymus: „*Et pertranſibit* Aſſur, vel eſſe deſiſtet, ſive, vaſtato exercitu ſuo, revertetur ad patriam, te ſoſpitem derelinquens.“ Rurſum, ut recte idem notat Hieronymus, ad Judam et Jeruſalem ſermo dirigitur: וְעִנִּתִךְ *afflixi te*, quo quidem reſpicit ad cladem, quam Aſſyrii intulerant occupatione urbium haud paucarum, cf. 2 Reg. XVIII, 14.; addit vero ſolatium: לֹא אֲעַנֵּךְ עוֹד ſed *non affligam te amplius*, non permittam, ut hoſtis occupando populandoque longius progrediatur. Chaldaeus verba hebraea inde a נָגֹזּוּ ſic vertit: וִיגוּזוּן יַת דִּגְלַת וְיַעְבְּרוּן יַת פְּרָת וְיֵיתוּן לְעַנָּיוּתִיךְ וּדְשַׁעְבַּדְתִּיךְ לָא אֲשַׁעְבְּדִנֵּךְ עוֹד *et* licet *trajecerint* (populi hoſtiles, qui adverſum te congregantur) *Tigrim, et tranſiverint Euphratem, venerintque ad te affligendum, attamen quum te ſubjecerim, non amplius te ſubjiciam* barbarorum tyran-

tyrannidi. Pro בְּגוֹזוּ legit Chaldaeus בְּגוֹזוּ (*Zain* ſine Dageſch), ut in codice primo et tertio Erſurtenſi atque in Bibliis Bragadinis, Venetiis 1614. et 1678. editis reperitur, retulitque ad גוז *trajicere*, unde גָּז Pſ. XC, 10., ad quem loc. vid. not. In alia omnia abeunt LXX, qui hunc Verſum ita interpretantur: Τάδε λέγει Κύριος κατάρχων ὑδάτων πολλῶν, καὶ οὕτως διασταλήσονται, καὶ ἡ ἀκοή σου ἐνακουσθήσεται ἔτι. Quae Hieronymus latine ſic expreſſit: *Haec dicit Dominus regnans aquis multis: et ſic dividentur, et auditus tuus non audietur amplius.* Ex Graeci interpretis mente increpantur hoc Verſu illi, quos vates ſupra Vs. 11. contra Jovam malum cogitare dixerat. Horum igitur potentiam, quam cum ingentium fluctuum impetu comparari ille exiſtimavit, ita infringendam eſſe, atque diſſipandam, ut et fama ejus evaneſcat. Ceterum Graecus interpres pro אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים videtur legiſſe מושל מים רבים; verbum עָנָה autem, unde h. l. אֲעַנֵּךְ et וְעִנִּתִךְ, cepit *loquendi* ſignificatu, quam Deut. XXVI, 8. et alias obtinet. Syrus: ܗܟܢܐ ܐܡܪ ܡܪܝܐ ܥܠ ܪ̈ܫܝ ܡ̈ܝܐ ܣܓܝ̈ܐܐ ܕܚܛܦܘ ܘܥܒܪܘ ܘܕܥܢܝܬܟ ܬܘܒ ܠܐ ܐܥܢܝܟ *ſic dicit Dominus de capitibus aquarum multarum, quae rapuerunt et elapſae ſunt; et qui te alias exaudivi, nonne iterum te exaudiam?* In verbis אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים vertendis interpres imitatus eſt Graecam verſionem, verbum עָנָה vero accepit *exaudiendi* ſignificatione.

13. Pergit ſuos conſolari: וְעַתָּה אֶשְׁבֹּר מֹטֵהוּ מֵעָלָיִךְ *et nunc frangam jugum ejus a te;* jugum ab hoſte tibi impoſitum frangam, ne amplius tibi incumbat. Imago Hebraeis familiaris, qua liberatio a ſervitio indicatur, vid. Levit. XXVI, 13. Jeſaj. X, 27. XIV, 28. Jerem. II, 20. XXVIII, 2. ſeqq. Vates forſan eo reſpicit, quod Hiskiam, regem Judae, Sennaheribus tributarium ſibi fecerat, 2 Reg. XVIII, 14. Chaldaeus: וּכְעַן אֶתְבַּר נִיר עַמְמַיָּא מִצַּוְרֵיכוֹן *et nunc frangam jugum gentium a collo veſtro.* LXX pro

מַטֵּהוּ posuerunt τὴν ῥάβδον αὐτοῦ, et Hieronymus: *virgam ejus.* Legerunt מַטֵּהוּ, quod ipsum reperitur in codice Erfurtensi tertio, et exstabat olim in codice quinto. Cf. Jesaj. IX, 3., ubi מַטֵּה parallelum est nomini עֹל, *jugum.* וּמוֹסְרֹתַיִךְ אֲנַתֵּק *Et vincula tua,* quibus tu, Juda, constricta ab hoste teneris, *confringam.* Cf. Ps. II, 3. Jerem. II, 20. XXX, 8.

14. Apostrophe ad regem hostilem, cui denunciat, Deum decrevisse ipsum perdere, et nominis sui memoriam penitus abolere. וְצִוָּה עָלֶיךָ יְהוָה *Praecepitque super te, Jova,* o rex Assyriae, hunc enim intelligi, arguit suffixum in עָלֶיךָ, i. e. decrevit de te Jova id quod sequitur. צִוָּה *Praecipere* h. l. constituere aliquid, ut firmum ratumque maneat, vid. Ps. LXX, 3. CXI, 9. לֹא־יִזָּרַע מִשִּׁמְךָ עוֹד *Non seminabitur,* propagabitur *de semine tuo amplius* quisquam, stirps tua regia penitus delebitur. Quod jam Hieronymus, quem plures recentiorum interpretum sequuti sunt, eo retulit, quod Sennacheribus Niniven reversus a filiis suis occisus traditur 2 Reg. XIX, 37. Verum Sennacheribo filium Asarhaddinum successisse legimus illo ipso loco Vs. 38. In universum gentis regiae excidium praedicitur, ut Jes. XIV, 20. regi Babelis vates minatur: לֹא־יִקָּרֵא לְעוֹלָם זֶרַע מְרֵעִים *nec vocabitur in aeternum semen impiorum,* nulla fiet unquam stirpis improborum mentio. In similem mentem vertit nostra verba Drusius, urgens phrasin לֹא־יִזָּרַע מִשִּׁמְךָ *non erit semen nominis tui,* i. e. memoria seminis tui prorsus obliterabitur. Vel: *non feretur sermo de nomine tuo,* quod hactenus horribile fuit vicinis gentibus. מִבֵּית אֱלֹהֶיךָ אַכְרִית פֶּסֶל וּמַסֵּכָה *E domo deorum tuorum exscindam sculptile et conflatile,* i. e. in urbis tuae primariae expugnatione confringentur ab hostibus deorum, quos colis, simulacra e lapide vel aere confecta, quemadmodum ipse etiam Assyrii fecerant aliarum gentium diis, 2 Reg. XIX, 18. Jesaj. XXXVII, 19. אָשִׂים קִבְרֶךָ *Ponam sepulchrum tuum,* scil. בֵּית אֱלֹהֶיךָ *aedem deorum tuorum,* i. e. templum ipsum erit tibi sepulchrum, ut nec locus nec dii te servare possint, sed

ſed inter ruinas eorum ſepeliaris. Hebraei eo referunt, quod Sennacheribus in dei ſui, Nisrochi, templo occiſus eſt, 2 Reg. XIX, 37. Chaldaeus: תַּמָּן אֲשַׁוֵּי קִבְרָךְ *ibi ponam ſepulchrum tuum.* Syrus: ܐܥܒܕܝܗܝ ܩܒܪܟ *faciam illud* (templum) *ſepulchrum tuum.* כִּי קַלּוֹתָ *Cum evilueris,* poſtquam apud omnes in contemptum veneris. Kimchi: „Sicut contemſiſti me, cum dixiſti me non poſſe liberare populum meum e manu tua, ita reddam te contemtum.“ Sed Chaldaeus: אֲרֵי קְלִילָא דָא קֳדָמַי *quoniam leve* h. e. facile *hoc coram me.* Syrus: ܩܠܝܠ *cito.* Vel legerunt כִּי קַלּוֹת (ſine Camez ſub *Thau*), i. e. *nam facilia* ſcil. haec ſunt, vel, ſi ita ut nos, כִּי קַלּוֹתָ legerunt, ſenſum hunc fecere: *quia levis es,* et nullius ponderis coram me. Lud. de Dieu nomen מַסֵּכָה jungens non cum פֶּסֶל, ſed cum אָשִׂים et iis quae ſequuntur, hunc Verſum ita capit: *E domo Dei tui exſcindam ſculptile, et fuſile ponam ſepulchrum tuum,* quia viluiſti. „Minatur,“ inquit, „regi Aſſyriorum, ſe idola ejus quibus ſiſus fuerat, exſtirpaturum, et tum ea, tum ipſum tanta affecturum ignominia, ut fuſile quidem non modo non pro Deo, ſed ne pro re quidem ſacra ſit habendum, quippe in ſepulchri uſum adhibendum, ut non modo regio non ſint ornaturi monumento, ſed fuſile aliquod, et jam pro re profana habitum idolum arrepturi, in quod eum condant.“

CONR. RITTERSHUSII

METAPHRASIS.

Cap. I.

1. *Nini urbem Assyrii quae poenae et fata manerent*
Patrata ob scelera, atque impurae praemia vitae
Praemonstrante Deo vidit Nachumus (ei ortum
Praebuit urbs Elkos, dulce ac solatia nomen)
Libroque aeternum victuro condidit illa.
2. *Zelotes fortis Deus est, ultorque Jehova,*
Ultor Jova, inquam, est, vehementique aestuat ira,
Sentiet ultorem Jovam turba hostica dirum,
Quique inimicorum memori mala mente reservet.
3. *Longanimis sane et magna virtute Jehova est,*
Sed cui nemo nocens absolvitur. Ipse Jehova
Invehitur denso cum turbine; saeva procella
Pro curru est ipsi, et celeri per inane quadriga
Sub pedibus volitant atro cum pulvere nubes.
4. *Increpitante ipso fugiunt alti aequoris undae,*
Retrogrado fontesque petunt capita ipsaque cursu,
Basanis juga Carmelique arescere cernas,
Formosumque adeo Libani flaccescere honorem,
5. *Et montes trepidare altos. Quatiente Jehova*
Dissiliunt colles, concussi, fulcraque terrae

Con-

Conflagrant vehementi igne, et nutare videtur
Orbis terrarum, et naturae machina tota
6. *Illius ad vultum. Quis enim tam adamantinus esset,*
Indignante Deo ut posset subsistere coram?
Immensaeve aestum tolerarit numinis irae?
Irae flagrantis flamma ut fornacibus intus.
Quin et dissiliunt praedurae in fragmina rupes
7. *Ante ipsum. Eximia pollet bonitate Jehova,*
Sufficiens robur quoscunque adversa fatigant,
Amplectensque fovensque omnes, qui rebus in arctis
Confugiunt ad eum, firma spe damna levantes.
8. *Diluvium quoties terras super exit aquarum,*
Finem illi imponens undas compescere novit.
Ast hostes tenebris damnans atrocibus urget.
9. *Qualis de Domino vestri est meditatio cordis?*
Totale exitium adducet, nihil esse superstes
Quod sint, aut reliquum; nec erit bis posse dolere,
Eque dolore uno haud recidiva angustia surget.
10. *Namque velut spinae perplexae germina succo*
Ebria adhuc viridi dum crescunt, igne vorantur,
11. *Arentis stipulae in morem*): haud aliter quoque qui ex te*
Existet nequam consultor, prava volutans
Consilia in Dominum, flamma flagrabit edaci.
12. *Credite veriloquo sic ore Jehova profatur:*
Quamvis absque metu securum degerit aevum
Hostis barbaricus numeroso milite fretus,
Attonsus tamen exitio mergetur acerbo,
Flaccida ut attonso moriuntur gramina prato.
Te vero quamquam afflixi, non attamen ultra
Affligam; satis est, poenas sumpsisse priores.

13. *Nunc*

---

*) Nam quum aeque ac spinae perplexi, et tanquam mero suo inebriati futuri sint, consumentur velut stipula arida penitus.

13. *Nunc vero tibi lora jugi diſſolvere mens eſt,*
Queis premeris nectente hoſte, et tua vincula rumpam,
Liber ut inde abeas, et colla ſoluta reportes.
14. *Decretum aſt de te eſt Domini, tua fama peribit,*
Barbare, vicinis neque formidabile nomen
Ultra erit. Exſcindam te, quem ſua fata manebunt
Orantem, in templo, et tangentem altare Deaſtri,
Ipſa tibi tua praebebunt idola ſepulchrum,
Cum tua viluerit fama ex re non bene geſta.

Cap. II.

Argumentum.

Praemiſſa ad Judaeos apoſtrophe, qua eis tranquillitatem et pacem, hoſte deleto, annunciat (Vs. 1.), urbis illius, quae regni hoſtilis caput eſſet, obſidionem, expugnationem, direptionem, incolarumque perturbationem et pavorem graphice deſcribit (Vs. 2 — 10.). Additur exclamatio ſarcaſtica, qua propheta captae urbi amarulenter inſultat (Vs. 11. 12. 14.). Clauſula continet orationem Dei, in qua ſe auctorem profitetur eorum, quae Aſſyriis acciderunt, modum etiam exponit, quo ſint perdendi (Vs. 14.).

---

1. Particula הִנֵּה *ecce!* quae aliquando in ſermone redundare, aut vim exiguam habere videtur, hoc loco omnino ἐμφατικὴ eſt, et rei valde mirabilis ac magni momenti nota. Mox enim ſubjicitur, futurum, ut veniant, qui laeta adferant nuntia, qui proſperitatem, tranquillitatem, pacem proclament: עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם *ſuper montes pedes* adſunt *nunciantis, promulgantis pacem.* Super montes Judaeae, quibus cingitur urbs Hieroſolymitana (עַל טוּרֵי אַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל *ſuper montes terrae Iſraelis,* habet Chaldaeus), ſubito adveniunt curſores laetum aſſerentes nuncium, et proclamantes res proſperas Judaeis. Cf. Jeſaj. LII, 7. Num fauſti illius nuncii materia fuerit plaga, qua exercitus Aſſyriacus ſubito fuit percuſſus, an vero regis ipſius, Sennacheribi, caedes et interitus, curioſe hic inquirere, nihil opus eſt; intelligenda omnino ſunt omnia, quae

quae exitiosa hostibus, ac salutaria Judaeis erant. Dubio procul Hiskias, quamprimum Assyriorum exercitum prostratum comperit, ac non multo post de Sanheribi caede certior fuit factus, ea per universam Judaeam nuncianda curavit, unde omnibus locis incredibile gaudium exortum. Addit vates: חָגִּי יְהוּדָה חַגַּיִךְ שַׁלְּמִי נְדָרָיִךְ *celebra, Juda! festa tua, et persolve vota tua.* Dum Hierosolyma ab Assyriaco exercitu obsessa erat, non licuit eam urbem adire, ibique sacris faciundis vacare. At nunc, inquit propheta, omnia remota sunt impedimenta, jam undique secure proficisci Hierosolymam licet, ibique sacrificia offerre, et vota persolvere, quae fecisti, si ab Assyriorum metu liberareris. כִּי לֹא יוֹסִיף עוֹד לַעֲבוֹר־בָּךְ בְּלִיַּעַל *Neque enim addet transire per te nequam*, hostis impius, ut te vastet, vid. not. ad I, 11. Chaldaeus haud male haec collective cepit: אֲרֵי לָא יוֹסְפוּן עוֹד דִּיעְדּוּן בִּיךְ רַשִׁיעִין *quia non amplius per te transibunt impii.* כֻּלֹּה נִכְרָת *Omnis*, totus *ille excisus est.* Chaldaeus: כּוּלְּהוֹן אִשְׁתְּצִיאוּ *omnis deleti sunt.* Hieronymus: „Et rex, et imperium Assyriorum penitus conciderunt."

2. Jam ad Niniven converso sermone, vates eam urbem ab hostibus oppugnatam tanquam praesentem vidit: עָלָה מֵפִיץ עַל־פָּנַיִךְ *ascendit qui perfringit contra faciem tuam.* Sunt, qui haec contra Hierosolymitanam urbem directa existiment, uti et quae sequuntur usque ad Vs. 8., quibus illa admoneatur, ne Sanheribi interitu elata in pristina vitia prolabatur; nam si in scelera recidat, ascensurum contra eam Nebucadnezarem, qui eam sit obsessurus et expugnaturus. Alii ista quidem item ad Judaeos spectare existimant, sed plena esse consolatione ajunt et congratulatione, hoc sensu: ascendit, o Juda, contra te Sanheribus, ut te dissiparet ac perderet, et civitatem tuam obsideret, sed ecce! furor ille tantus et exercitus tam ferus ac copiosus, ascendit instar vaporis et fumi in auras, i. e. abiit, evanuit, quemadmodum הַעֲלוֹת *auferendi* significatu Ps. CII, 25. Job.

Job. XXXVI, 20 uſurpatur. Haec tamen coactiora ſunt, et a totius libri ſcopo aliena, qui totus eo tendit, ut Ninives excidium praenunciet. Ad hanc urbem igitur et referenda, quae hoc Verſu dicuntur, quibus hoſtis eam aggreſſurus ut praeſens ſiſtitur. Vocatur is מֵפִיץ, *qui perfringit,* ſive *diſſipat,* i. e. vaſtat, quemadmodum Demetrius πολιορκήτης, i. e. urbium expugnator et deſtructor appellatur, et Jerem. L, 23. rex Chaldaeus פַּטִּישׁ כָּל־הָאָרֶץ *malleus totius terrae.* Εἰρωνικῶς vates Ninevitas ad urbem defendendam excitat. Solent qui hoſtes a finibus ſuis repulſuros, aut impetum eorum ſuperaturos eſſe confidunt, propugnacula undique firmare et cuſtodire, ſpeculas erigere, e quibus adventantes hoſtes cernere poſſint, arma ſumere, et ad proelium ſeſe parare, omnes denique colligere et roborare vires. Haec omnia ſollicite facturos Aſſyrios videt, ſed nihil quicquam effecturos, unde eos ſalſe ridens eis acclamat: נָצוֹר מְצוּרָה *cuſtodiendo* cuſtodi *munimentum,* ſeu collective *munimenta.* Similis ellipſis verbi finiti ſ. Imperativi poſt Infinitivum eſt Exod. XX, 8. זָכוֹר *recordando* ſcil. תִּזְכּוֹר *recordaberis,* ſ. זְכֹר *recordare.* Vid. et Ezech. XXIV, 5. et not. ad eum loc. N. G. Schroederus, cujus verba Kreenen adducit, obſervat, quatuor Infinitivos, qui in hoc commate occurrunt, habere vim Imperativorum, per conſtructionem abruptiorem, quae aliquam emphaſin addit, et non tantum fortius imperat, ſed etiam animum indicat ſubito periculo conſternatum. Ita et Jeſaj. XXXII, 11. ſimilis eſt talium Infinitivorum accumulatio. Nota paronomaſiam in נָצוֹר מְצוּרָה, Orientalibus adamatam. צַפֵּה־דֶרֶךְ *Speculare viam,* mitte ſpeculatores, qui obſervent, qua via hoſtes venturi ſint. חַזֵּק מָתְנַיִם *Confirma lumbos,* in quibus virium ſedes (cf. Job. XL, 16.), unde Deuter. XXXIII, 11. מְחַץ מָתְנַיִם קָמָיו *percute lumbos eorum, qui contra eum inſurgunt,* i. e. proſterne eos. Vel noſtrae dictionis ſenſus hic eſt: para te ad pugnandum, capeſſe arma; ſolebant enim qui ad iter faciendum ſive ad pugnam ſe pararent, veſtes prolixiores cingulo lumbis adſtringere, ut expeditius inceſſus vel opera ſit;

fit; vid. not. ad Jef. XLV, 1. Cf. Ephef. VI, 14. 1 Petr. I, 13. Ita Arabicum شَمَّرَ in Conjugatione II. eft *fubftrinxit* laciniam amiculi, et *accinxit fe, ftudiofus, promptus et expeditus fuit, feftinavit in negotio.* אַמֵּץ כֹּחַ מְאֹד *Robora vires valde,* intende quantum potes vires ad refiftendum hofti, nil tamen efficies.

3. Nominis גְּאוֹן, in priori hujus Verfus hemiftichio bis obvii, ambiguitas, quum tam in meliorem partem, de *gloria, excellentia,* quam in deteriorem, de *faftu, fuperbia* ufurpari foleat, fenfum reddit dubium, et diverfas explicationes peperit. Nam eorum, qui גְּאוֹן *fuperbiae* fignificatu capiunt, nonnulli *paffive* accipiunt, de eo faftu eaque infolentia, quam ab Affyriis paffi funt Judaei, ut fenfus fit: obfideberis et vaftaberis, o Ninive, quia Deus fuperbiam ulcifci decrevit, qua Jovae ejusque populo infultafti. Ita Kreenen noftrum Verfum exponit: *Profecto reprimat Jova faftum Judaeis inimicum, uti fuit inimicus Ifraelitis. Nam ut vites lacerandi funt* Affyrii, *eorumque palmites perdendi.* Steudel in *dem Archiv* P. II. p. 414. שָׁב h. l. uti Hiphil הֵשִׁיב *rependere, retribuere, remunerari* valere putans, ut Genef. L, 15. Deut. XXXII, 43. 1 Reg. II, 33. 44. Pf. LXXIX, 12., Verfum hoc modo explicandum judicat: nunc enim retribuit Jova faftum, quo hoftes in Jacobum, ficut faftum, quo in Ifraelem elati funt: eos enim (Jacobaeos et Ifraelitas) praedatores praedati funt, eorumque palmites perdiderunt. Verum etfi demus, שָׁב poffe pro הֵשִׁיב *rependendi* fignificatu capi, durius tamen videtur, hoc loco illos quibus faftus rependatur, fileri, qui vel per לָהֶם, vel per בְּרֹאשָׁם exprimendi erunt, ut in locis quae indicavimus omnibus factum videmus. Alii *fuperbiam* proprie et active intelligunt, de faftu Judaeorum et Ifraelitarum, quo fibi, non Jovae, vivere et obfequi voluerunt, ut dicat Deus: puniam et exfcindam Niniven, quia puniam fuperbiam Jacobi, i. e. Hierofolymae et Judaeorum, exfcindendo

eos

eos per Chaldaeos, quemadmodum punivi et exſcidi Iſraelem, ſ. decem tribus per Aſſyrios; ſi igitur populo meo non parco, multo minus parcam hoſtibus meis. Verum haec coactiora eſſe, quivis ipſe intelligit. Rectius itaque ſentiunt, qui nomen גָּאוֹן hic in meliorem partem capiunt, ut *gloriam excellentiamque*, ſive *felicem rerum ſtatum* notet, adeoque his verbis contineatur benigna promiſſio, qua Jova recuperandae priſtinae dignitatis Judaeis ſpem facit, fore, ut quum eos hactenus ſat dure caſtigaverit, iram porro ſuam in Aſſyrios effuſurus, illos vero priſtinae felicitati redditurus: כִּי שָׁב יְהוָה אֶת־גְּאוֹן יַעֲקֹב כִּגְאוֹן יִשְׂרָאֵל *nam reducit,* ſ. reſtituet *Jova gloriam Jacobi,* i. e. Judae, *ſicut gloriam Iſraelis,* i. e. decem tribuum, reſtituet. Rationem bellici apparatus ad obſidendam et expugnandam Niniven inſtruendi, de quo Verſu ſuperiore, reddit hanc, quod Jova priſcam populi ſibi chari dignitatem reſtituere decrevit; quod ut efficiatur prius hoſtis illius potentiſſimi ſedes delenda eſt; unde in Verſibus proximis vates exercitus Niniven aggredientis deſcriptionem, ipſiusque urbis expugnationem ſubjicit. Neque igitur nexus hujus Verſus cum iis, quae praecedunt et ſequuntur ita difficilis eſt, ut vix ac ne vix quidem inveniri poſſit, quae Schroederi erat opinio; quare eum ex juſto ſuo loco excidiſſe et caſu quodam huc rejectum eſſe, atque poſt Cap. I. Vs. 13. reponendum eſſe exiſtimavit; quam conjecturam ſequutus eſt Kreenen. שָׁב h. l. transitive, ut Piel שׁוֹבֵב, aut Hiphil, הֵשִׁיב, i. e. *reducere, reſtituere* capiendum, quemadmodum Num. X, 36. Pſ. LXXXV, 5. et ſaepe alias. Reſtituet igitur Jova priſtinae ſuae gloriae Hebraeos univerſos, tam Judaeos, quam Iſraelitas, כִּי בְקָקוּם בֹּקְקִים *quamvis evacuaverint eos evacuentes,* i. e. quantumvis hoſtes rapinis eos exinaniverint. Cf. Jeſ. XXIV, 1. יְהוָה בּוֹקֵק הָאָרֶץ *Jova evacuat terram eamque devaſtat, faciem ejus invertit et diſſipat incolas.* Chaldaeus: אֲרֵי בַזּוּנוּן בָּזוֹזִין *nam diripuerunt eos direptores.* Hieronymus: *quia vaſtatores diſſipaverunt eos.* וּזְמֹרֵיהֶם שִׁחֵתוּ *Et propagines eorum corruperunt,* deſtruxerunt, i. e., recte explicante Chal-

Chaldaeo, קִרְוֵי תּוּשְׁבַּחְתְּהוֹן *civitates gloriae eorum*, i. e. urbes florentes, quae quasi propagines et palmites fuerunt vitis Jovanae (qua imagine populus Hebraeus sistitur Jesaj. V, 1. seqq. Ps. LXXX, 9.), hostes vastarunt atque everterunt. Hieronymus, Hebraeos, a quibus non modico tempore eruditum se dicit, sequutus, hunc Versum cum superiore ita exponit. „Ad Niniven igitur nunc sermo convertitur (et hinc vel maxime obscuri sunt prophetae, quod repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur) et dicitur ei: ascendit ad te Nabuchodonosor, qui te obsideat, qui ante os tuum vastet agros, persequatur agricolas, rura populetur, qui te quoque ipsam clausam teneat. Quia itaque tibi imminet bellum, ecce gaudens propheta nunc praecino: *contemplare* diligenter et conspice, et quid tibi eveniat intuere. *Conforta lumbos*, id est, accingere, *robora virtutem valde*, hoc est, *exercitus congrega*, quia sicut ultus est Dominus Judam de superbia Sennacherib, interfecto exercitu ejus in Judaea, et ipso quoque a filiis ingulato, sic ulciscetur Israel, id est, decem tribus, quae a Ninive possidentur. Utrumque enim, et Judam, et Israel, vastaverunt et everterunt Assyrii, et, sub metaphora vitis, amborum propagines corruperant."

4. Describitur exercitus contra Niniven veniens graphice et eleganter: מָגֵן גִּבֹּרֵיהוּ מְאָדָּם *clypeus fortium ejus ruber*, sive collective, *clypei fortium ejus rubri*. גִּבֹּרֵיהוּ insolentius et poetice pro usitatiore גִּבֹּרָיו. Suffixum masculinum referendum vel ad חַיִל, *exercitus*, e verbis proximis subaudiendum, vel ad Jovam, Versu superiore memoratum, qui barbaris gentibus ad Assyrios puniendos utitur. *Fortes* vocat δυνατοὺς καὶ μαχίμους, quos Latini *bellatores* dicunt. Eorum clypeos esse ait מְאָדָּם *sanguineos* s. *rubros*, vel, quod eum colorem olim scuta referrent ad metum incutiendum hostibus, vel quod antiquos sanguine rubefactos clypeos gestarent, quod signum esse credebatur boni militis, utpote qui ex hostium sanguine clypeum tinxisset. Hieronymus

מְאָדָּם

מְאָדָּם vertit *ignitus.* Quod placuit N. G. Schroedero noſtrum locum tractanti in libro de *Veſtitu mulierum Hebraearum* C. VI. p. 72. ſeqq. Indicari exiſtimat igneum fulgorem aeris vel aurichalci, vel etiam auri clypeis olim obducti. Sane Hebraeum מְאָדָּם notionem fulgoris candentis, et cum rubore conjuncti vel commixti, non reſpuit, ut pluribus Bochartus *Hieroz.* P. II. L. V. Cap. VI. T. III. p. 611. probat (cf. not. noſtr. ad T. I. p. 539.), exponens locum Thren. IV, 7., ubi אָדַם tanquam *margaritis* proprium adhibetur. Pertinet huc 1 Macc. VI, 39. Ὡς δὲ ἔστιλβεν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὰς χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας ἔστιλβε τὰ ὄρη ἀπ᾽ αὐτῶν. Similiter Virgilius *Aeneid.* II, 734.

Ardentes clypeos atque aera micantia cerno.

LXX: Ὅπλα δυναστείας αὐτῶν ἐξ ἀνθρώπων. Pro מְאָדָּם perperam legerunt מֵאָדָם. Subjungitur: אַנְשֵׁי־חַיִל מְתֻלָּעִים *viri exercitus vermiculati* ſ. *coccinati,* quod recte Chaldaeus vertit: גַּבְרֵי עָבְדֵי קְרָבָא לְבִישִׁין דְּגַהֲרִיתָא *viri bellum gerentes induti ſunt coccineo,* i. e. coccineis veſtibus, a תּוֹלַע ſive תּוֹלַעַת, quod *vermiculum cocci* notat, vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. C. XXVII. T. III. p. 524. ſeq. ed. Lipſ. Milites ab antiquiſſimis inde temporibus rubris veſtibus fuiſſe amictos, patet e Jud. VIII, 26., ubi Iſraelitae Midianitis praelio ſuperatis בִּגְדֵי הָאַרְגָּמָן *veſtes purpureas* detraxiſſe narrantur. De Lacedaemoniis idem proditum eſt apud Aelianum *Varr. Hiſtor.* L. VI. Cap. VI. Φοινικίδα δὲ ἀμπέχεσθαι κατὰ τὰς μάχας, ἀνάγκη ἦν· ἔχειν δὲ τὴν χρόαν καὶ σεμνότητός τι. Πρὸς ταύτῃ γε μὴν τὴν ῥύσιν τοῦ ἐπιγομένου αἵματος ἐκ τῶν τραυμάτων ἔτι δὲ μᾶλλον ἐκπλήττειν τοὺς ἀντιπάλους βαθυτέρας τῆς ὄψεως γινομένης, καὶ Φοβερωτέρας μᾶλλον. *In conflictu indutis purpura venire neceſſe erat, ut color etiam aliquam gravitatem praeferret, et, ſi ad hanc adſpergerentur ſanguinis guttae de vulneribus, terribiles exiſteret hoſtibus, adſpectu magis ſenſum penetrante et formidabiliore.* Et Valerius Maximus L. II. C. 6. *Ad diſſimulandum,* inquit, *et occultandum vulnerum ſuorum cruorem, Poenicis in praelio tunicis utebantur,* *non*

non ne ipſis adſpectus ejus terrorem, ſed ne hoſtibus fiducia aliquid afferret. Plura vid. in Meursii *Miſcellan. Laconn.* L. II. C. XIX. et apud Baysium *de re veſtiaria,* Cap. III. LXX: Ἄνδρας δυνατοὺς ἐμπαίζοντας. Pro מתלעים legerunt מתעללים. Nam הִתְעַלֵּל eſt ἐμπαίζειν, et תַּעֲלוּלִים ἐμπαίγματα, quomodo idem Graeci interpretes aliis locis reddunt. Alexandrinum ſequutus Syrus, qui ܓܢܒܪ̈ܐ ܓܒܪ̈ܐ ܡܡܙܚܝܢ *et viri heroes illudunt* vertit. Pergit vates: בְּאֵשׁ־ פְּלָדֹת הָרֶכֶב *in igne falcium currus* ſ. *curruum, i.* e. currus falcati, e quibus illi depugnaturi ſunt, videbuntur quaſi verſari in igne; nam ferrum rotarum illorum excutiet ignem e petris, ſuper quas tranſituri ſunt. פְּלָדֹת Hebraei fere per metatheſin ſynonymum nomini לַפִּידִים *lampades* exiſtimant, et *taedas* ſ. *faces* intelligunt. Ita Chaldaeus: בְּאֶשָּׁתָא פִּילֵי רְתִיכֵיהוֹן *cum igne faces curruum ſuorum.* Nec non Syrus, qui ܒܠܡܦܐܕ̈ܐ ܢܘܪܐ *in* ſ. *cum facibus ignis.* Eandem ſignificationem adſcivit Schroederus l. c. p. 74., vatemque alludere putat ad veterum morem, quo, inſtructa acie, et jamjam in hoſtes movente, *facem ardentem,* ceu ineundae pugnae ſignum, agitabant, et mox in medium ſpatium, quod utrumque exercitum ſeparabat projiciebant, ut ita ſe ad proelium paratos et inflammatos profiterentur; vid. Lydius *de Re Milit. Veter.* L. IV. Cap. II. Quare noſtrum locum ita exponit Schroederus: *viri ſtrenui purpurati cum igne facum currus* ſcil. ſunt, ſ. accedunt. „*Faces currus,*" inquit, „vocantur, tum quia veteris militiae maximum praeſidium in curribus ponebatur, tum quia ex curribus pugnandi initium fieri ſolebat." Poſtea tamen ipſe Schroederus, obſervante Kreenen ex ejus Obſervatt. Mss., hanc ſententiam repudiavit, et פְּלָדֹת collato Arabico فَلَذَ *ſcindere, ſecare* (adde Syriacum ܦܠܕܐ *ferri genus praeſtantiſſimi,* et Arabicum فُولَاذ *ferrum mas et praeſtantiſſimum,* unde مُفَوْلَذ στομούμενος, *ferro Damaſceno*

sceno constans, aut acie chalybeve bene temperatus ensis) interpretatus est *falces*, quibus apud complures gentes antiquas currus bellicos munitos fuisse constat. Cf. not. ad Ps. XX, 8. LXX, quos Hieronymus sequutus est, פְּלָדֹת mera ex conjectura *ἡνίας habenas* verterunt. Hieronymus: „Quod autem ait: *igneae habenae curruum*, in ardentibus loris velocitatem praeparantium significat, et quasi ἐπισκευῆς praeparantium se ad proelium pompa narratur.“ בְּיוֹם הֲכִינוֹ *In die praeparare se* s. die qua sese praeparabit s. exercitum suum hostis, ut veniat oppugnatum Niniven. Alii suffixum in הֲכִינוֹ ad Deum referunt, hoc sensu: quando Deus ad bellum eos parabit. De praeparatione ad bellum verbum כּוּן et Ezech. VII, 14. dicitur. וְהַבְּרֹשִׁים הָרְעָלוּ *Et abietes quassantur*, sive, ut Schroederus l. l. p. 76. vertit, *hastae fraxineae librantur*. Nempe בְּרוֹשׁ, quod *abietem*, vel, uti alii volunt, *fraxinum* denotat, h. l. metonymice de *hastis* fraxineis sive abietinis dicitur. Simili ratione Graecorum μελίη, *fraxinus*, adhibetur. Unde passim apud Homerum Πηλίας μελίη, *hasta Peliaca*, veluti *Iliad.* Φ. 162. Sic *Odyss.* Ξ. 281.

Ἦ μέν μοι μάλα πολλοὶ ἐπήϊσσον μελίῃσιν·

Certe me valde multi adoriebantur fraxineis hastis. Ita Hesiodus *Scut. Hercul.* 188. χρυσέας ἐλάτας *aureas fraxinos* dixit pro *aureis hastis*. Statius *Thebaid.* VI. 102.

— — *Infandos belli potura cruores*
Fraxinus. — —

Virgilius *Aen.* XI, 667.

Adversi longa transverberat abiete pectus.

הָרְעָלוּ *Librantur*, motitantur. Chaldaeis et Syris רְעַל, ܪܥܠ est *tremere*, *labascere*, deque *genubus labantibus* usurpatur a Chaldaeo interprete Jes. XXXV, 3., in Aphel vero denotat *concutere*. Arabibus رعل dici de hastis trementibus, dum *librantur*, infligendi ergo, ostendit Schroederus l. l. p. 68. sequ., qui observat, vatem nostro loco ad priscorum bellatorum morem alludere, ante congressum hastas in medio comprehensas quassandi, earumque extremitates sursum deor-

deorſum motitandi, ut ita animum pugnandi cupidum teſtarentur. Homerus *Iliad.* Γ. 344.

Καὶ ῥ' ἐγγὺς στήτην, διαμετρητῷ ἐνὶ χώρῳ,
Σείοντ' ἐγχείας, ἀλλήλοισιν κοτέοντε.

Ambo propius ſtabant, dimenſo in loco, quaſſantes haſtas, ſibi invicem irati. Chaldaeus verba noſtra ſic vertit: וְרַבְנֵי מְשַׁרְיָתְהוֹן מְסַרְבְּלִין בִּצְבְעוֹנִין *et magnates exercitus eorum operti ſunt veſtibus coloratis.* Videtur בְּרוֹשִׁים *abietes* metaphorice cepiſſe de proceribus, qui ſuper ceteros eminent ſicut abietes ſuper arbores humiliores. Verbum רָעַל vero *operiendi* ſignificatu accepit, quod רְעָלוֹת Jeſaj. III, 19. de peplis dicitur, quibus mulieres Hebraeae operiebantur. LXX: Καὶ οἱ ἱππεῖς θορυβηθήσονται. Pro ברושים legit interpres פרשים *equites*, רָעַל vero de tremore metu conſternatorum intellexit. Id ſequutus Syrus: ܘܦܪ̈ܫܐ ܡܬܡܗ̈ܝܢ *et equites obſtupeſcunt.* Hieronymus: *et agitatores conſopiti ſunt.* בְּרוֹשִׁים videtur, uti Chaldaeus, metaphorice de *proceribus, fortibus* uſurpatum exiſtimaſſe, verbum הָרְעָלוּ autem *veterno titubantes* indicari credidiſſe, et ſane Arabicum رعل non tantum *tremere,* verum et *deſipere, fatuum eſſe* ſignificat. In Commentario ad iſta verba haec notat: „Commixtim nunc de Iſrael quae olim paſſus ſit, nunc de Aſſyrio quod fecerit, nunc de Babyloniis, quae exerceant in Aſſyrios, Scriptura contexitur. Non eſt ergo, ait, mirum, ſi tam velociter ad vaſtandum veniant, quum agitatores et fortes vel Iſrael ante, vel poſtea Aſſyriorum fuerint conſopiti."

5. בַּחוּצוֹת יִתְהוֹלְלוּ הָרֶכֶב *Per vicos inſaniunt currus,* i. e. hoſtes Ninives citato curſu ac maximo cum impetu, quaſi furore acti, currus ſuos bellicos in adverſas partes agitant. Ita Jerem. XLVI, 9. *Aſcendite equi,* וְהִתְהֹלְלוּ הָרֶכֶב *et facite currus!* יִשְׁתַּקְשְׁקוּן בָּרְחֹבוֹת *Discurſitant per plateas.* Hithpael verbi quadriliteri שִׁקְשֵׁק, a שָׁקַק *discurrere,* unde Participium שֹׁקֵק *discurſitans* Jeſ. XXXIII, 4. Cf. Joel II, 9. Alii exponunt: *allidunt* ſ. *collidunt ſe discurrendo,* ut

ut crura ſolent, quaſi a שׁוק mutanda ſit ſignificatio. Liberius ſenſum Chaldaeus exprimit: קָל נִקּוּשׁ זֵינֵיהוֹן מִשְׁתְּמַע בִּרְחוֹבֵי קִרְוַיָּא *ſonitus concuſſionis armorum eorum auditur in plateis urbium.* HIERONYMUS: „Tanta eſt, inquit propheta, multitudo venientium, ut commixtum agmen ſit in itinere, et diſcerni nequeat. Ipſae quoque quadrigae, dum viam non reperiunt, prae multitudine inter ſe colliduntur in plateis.“ מַרְאֵיהֶן כַּלַּפִּידִים *Adſpectus eorum ſicut lampadum,* terribilis erit, et oculi ita ardentes, „ut ante viſu adverſarios terreant, quam mucrone proſternant,“ dicit Hieronymus. Ut Dan. X, 6. עֵינָיו כְּלַפִּידֵי אֵשׁ *oculi ejus ſicut lampades* ſ. *faces ignis.* Suffixum femineum in מַרְאֵיהֶן vel neutraliter ponitur, vel רֶכֶב alias maſculinum h. l. eſt femininum. In tribus codicibus Kennicott. legitur מַרְאֵיהֶם, cum ſuffixo maſculino. כַּבְּרָקִים יְרוֹצֵצוּ *Sicut fulgura diſcurrunt,* i. e. velociſſime. Nihil enim fulgure velocius, cujus ea vis eſt, ut ante oculos feriat, quam plene cerni aut coëuntibus palpebris vitari poſſit. יְרוֹצֵצוּ eſt Piel verbi רוץ, *currere.* Alii vertunt: *inſtar fulgurum diffringunt,* perrumpunt omnia, quaſi eſſet a רָצַץ, coll. Judic. X, 8. וַיִּרְעֲצוּ וַיְרֹצְצוּ *concuſſerunt et confregerunt* Ammonitae Iſraelitas.

6. Poſtquam vates praedixiſſet, quales Aſſyriorum ſ. Ninevitarum hoſtes ſint futuri, quae eorum vis, potentia, furor, iracundia in oppugnanda urbe, jam paucis indicat, qua cura ad urbem tuendam et ſe ſuosque defendendos rex ſeſe ſit paraturus. Audito hoſtium adventu jubet nobilibus ſuis, ut properent in muros ad propugnandum; quod quamvis velociſſime faciant, tamen offendunt jam paratas ab hoſte machinas. יִזְכֹּר אַדִּירָיו *Recordabitur fortium ſuorum,* i. e. ſeliget rex Aſſyrius e militibus ſuis fortiores, qui eant ad tuenda moenia. יִכָּשְׁלוּ בַּהֲלִיכוֹתָם *Impingent* ſ. *corruent in inceſſu ſuo,* prae trepidatione et feſtinatione, dum properabunt ad moenia, ut ſtatim ſubjicitur: יְמַהֲרוּ חוֹמָתָהּ *properabunt ad murum ejus,* ſcil. Ninives. Secundum Maſoram codicis primi et ſecundi Erfurtenſis ה in חוֹמָתָהּ ſine *Mappik*

ſcribendum, et in margine codicis prioris haec nota legitur: כן פירש רשי ויונתן תרגם שורא לכן הוא רפה *ita exponit Jarchi. Et Jonathan vertit:* murus (non: *murus ejus*), legit *igitur* ה *Raphatum,* i. e. ſine Mappik. Videlicet Jarchi ad hanc vocem notat, omnem dictionem, quae requirat ל ab initio, adſciſcere ה in fine. Cepit igitur ה in fine vocis pro *He locali,* cui Mappik non ſolet imponi. Buxtorfio *Anticrit.* p. 836. ſcriptura per Mappik videtur genuina, „quia Maſora obſervat, *undecim eſſe paria vocum,* h. e. voces, quae bis reperiuntur *ſemel cum Mappik, et ſemel ſine Mappik,* atque inter eas hanc vocem non numerat. Atque haec vox חומתה bis reperitur, hic et infra III, 8. In hoc autem poſteriore loco indubie habet Mappik; quodſi ergo hic malum deberet habere, connumeranda merito fuiſſe illis, quae ſemel cum Mappik, et ſemel ſine eo reperiuntur. Id quum non fiat, liquet juxta Maſoram in utroque loco debere habere Mappik.“ וְהֻכַן הַסֹּכֵךְ *Et paratur* ab hoſte urbem oppugnante *tegumentum,* ſub quo tecti milites murum ſubeunt. Inſtrumenta bellica intelligit, qualia Romanorum *vineae* aut *teſtudines.* Recte Kimchi סֹכֵךְ dicit eſſe *tabulationem pellibus obductam,* ſub qua *ceu clypeo quodam tecti milites adverſum miſſilia oppidanorum invadunt et muros ſubeunt, ſubmoliunturque atque cuniculos agunt.* Conſentit N. G. Schroederus, e cujus Notis Mss. Kreenen haec affert: „סוֹכֵךְ proprie eſt Participium verbi סָכַךְ, *tegere, protegere,* ut quando tegumento aliquid munitur, ut fiat tutum et laedi non poſſit, ut Pſ. V, 12. XCI, 4. CXL, 8. Illud סוֹכֵךְ ex uſu participiali per ellipſin accepit notionem ſubſtantivam, atque, quum hic agatur de urbis obſidione, videtur notare *teſtudinem,* vel aliam id genus machinam bellicam, qua oppugnatores ſemet protegebant contra tela, quae ex muris vibrabantur.“ Sunt interpretes, qui integrum hunc Verſum ad Aſſyriorum hoſtes referant, hoc ſenſu: recordabitur dux exercitus illius, qui contra Niniven venit, fortium ſuorum, i. e. ſeliget fortes ac intrepidos viros e ſuis, quos ad moenia aggredienda ac capienda mittat, illi autem

ea

ea festinatione eoque ardore datum sibi negotium aggredientur, ut impingant et corruant. Ita Chaldaeus videtur nostrum locum accepisse: ימנון רבני משריתהון יתקלון במהכהון יוחון יכבשון שורא יבנון מגדליא *praeficiunt duces copiarum suarum, impingunt in ingressu suo, festinant, capiunt murum, aedificant turres*, e quibus contra Ninevitas moenia sua defendentes, pugnent. Hieronymus: „Tunc *recordabitur* Assur *fortium suorum*, et quaeret eos, qui *in itineribus corruerunt* [Similiter J. H. Michaelis prima hujus Versus verba intelligit: „Assyrius, nomine *Belialis* Vs. 1. notatus, cum dolore *recordabitur fortium suorum*, qui hostibus occurrentes occubuerunt], et ascendet velociter muros Ninive, ac propter obsidionem longissimam ad depellendos aestus praeparabit umbracula.“ Sed commodius prior versiculi pars de rege aut duce Assyriorum, ejusque ad urbem defendendam institutis, posterior vero de exercitu hostili accipitur.

7. Hostes ruptis moenibus in urbem irruunt. שערי הנהרות נפתחו *Portae fluviorum*, i. e. portae, quibus hostes fluminum instar omnia inundantium, irrumpant, *apertae sunt*, per aperturas machinis bellicis in muro factas copiae hostiles instar fluvii rapidissimi in urbem irruunt. *Fluminibus* hostes magna vi et vehementi impetu terram aliquam invadentes comparantur et Jes. VIII, 7. XVIII, 2. LIX, 19. Jerem. XLVI, 7. 8. Hieronymus *fluminibus* ingentem incolarum urbis Ninives numerum intellexit: „*Apertae sunt*, inquit, *portae* Ninivae, quae ad instar fluminum habebat civium multitudinem.“ Alii interpretes *portis fluviorum* indicari existimant portas urbis sitas juxta flumina, i. e. ea parte, qua fluunt amnes, sive qua urbs alluitur. Quasi hoc dicatur, hostes ingredi per eam partem urbis, quam Tigris praeterlabitur. Verum quis non intelligit, latum rapidumque Tigridis amnem hostes ab illa urbis parte aditu potius arcere debuisse? Quare nec probanda Chaldaei interpretatio: גשרי נהרותא אתפסקא *pontes fluviorum disrupti sunt*. Longius a veritate discedit Syrus: ܬܪܥܐ ܕܝܗܘܕܐ ܐܬܦܬܚܘ *portae Judaeae*

Judae aperientur. וְהַהֵיכָל נָמוֹג *Et palatium dissolvitur, diruitur.* הֵיכָל accipi potest tam de palatio regis, quam de templo. Et de hoc quidem accepit Hieronymus: „*Et templum,* id est, regnum ejus, destructum est.“ Quidam putant, palatium istud, quum situm esset juxta portas, quas hostes ingressi sunt, illis effractis simul dirutum fuisse, Chaldaeus *palatium regium* pro rege illud habitante accepit, vertit enim: וּמַלְכָּא בְּהֵיכְלֵיהּ זָע *et rex in palatio suo tremit.*

8. וְהֻצַּב גֻּלְּתָה הֹעֲלָתָה *Et licet constitutus sit,* s. *constituti sint* qui defendant urbem, tamen *nudata abducitur.* הֻצַּב Hebraeorum plerique pro nomine *reginae* habent, vel proprio, vel synonymo τῷ מַלְכָּה, ex levi illa ratione, quod Ps. XLV, 10. regina נִצָּבָה *stans* ad dextram regis dicitur. Chaldaeus: וּמַלְכְּתָא יָתְבַת צִיבָא בְּגַלְיָא נָפְקַת *et regina currui insidens cum deportandis exit.* Suspicor, eum pro הֻצַּב legisse הַצָּב *vehiculum, pilentum,* Num. VII, 3. Jes. LXVI, 20., et quemadmodum Versu superiore *palatio* regem, ita hic *pilento* reginam in eo abducendam intellexisse. Hieronymus: *et miles captivus abductus est,* dubio procul quod Hebraeus ejus magister de נְצִיב cogitaret, quod *militare praesidium* notat 1 Sam. XIII, 3. 4. 1 Par. XI, 16. Sed constructio sequentium verborum generi repugnat, et forma vocis non est nominis, sed verbi. Quare magis probandus vel Coccejus, vertens: *et statuitur* scil. הַסֹּכֵךְ *vinea, testudo,* Vs. 6. (coll. Genes. XXVIII, 12., ubi Participium מֻצָּב de *scala* in terra *constituta* dicitur); vel Lud. de Dieu, qui vertit: *sic enim constitutum est,* q. d. stat sententia. Sic nonnulli etiam verbum in Niphal accipiunt Ps. XXXIX, 6., collato Chaldaico יַצִּיב *certum, fixum,* Dan. II, 45. VI, 13. Utrique tamen interpretationi nos praeferendam arbitramur J. H. Michaelis sententiam, הֻצַּב explicantis: *ac licet constituatur protector* muri et urbis (Vs. 6.), tamen etc. Verbum יָצַב s. נָצַב videtur Hebraeis sensu militari usurpatum fuisse, uti ex usu nominis נְצִיב locis indicatis colligere licet. ו ante הֻצַּב *ac licet* commode vertitur, ut Ezech. XIV, 14. וְהָיוּ *et si fuerint.*

גֻּלְּתָה

הֻגַּלְּתָה Lud. de Dieu interpretatur: *abducetur in captivitatem.* At quia verbum גִּלָּה in *Piel* conftanter *retegere* fignificat, h. l. Pyal cum Kimchio rectius haud dubie exponitur *retecta eft, f. retegitur,* fcil. Ninive, ignominiofe a victoribus tractabitur, tanquam infimae conditionis femina, quemadmodum Babylon Jef. XLVII, 2. 3. imagine ancillae, facie et cruribus nudatae abducenda fiftitur. Cf. et infra III, 5. הֹעֲלָתָה Salomo Ben Melech interpretatur: *vehiculo imponitur* abducenda cum captivis reliquis, eo haud dubie motus, quod Hophal, bis praeter h. l. obvium, Jud. VI, 28. de victima, quae in altare fuftollitur, dicitur. Sed quia verbi עָלָה forma *Hiphil* interdum eft *tollere, auferre*, Pf. CII, 25., et *Niphal tolli, abduci,* ut Num. XVI, 24. 27. 2 Sam. II, 27., rectius h. l. vertitur: *abducitur* ab hoftibus deportanda. Steudel l. l. fubaudito ante הֹעֲלָתָה Pronomine relativo אֲשֶׁר, primum Verfus hemiftichium hoc modo interpretatur: *fic enim conftitutum eft: captiva abducetur*, vel: *opprobrio afficietur quae alte erecta fuerat*, in vocabulorum הֻצַּב et גֻּלְּתָה interpretatione Ludov. de Dieu fequutus, vid. fupra. Verba וְאַמְהֹתֶיהָ מְנַהֲגוֹת כְּקוֹל יוֹנִים fi vertas: *et ancillae ejus*, Ninives, *deducentes inftar vocis columbarum*, fenfum non bene quadrare fenties. Chaldaeus, inferto verbo, quod comparationi a vate inftitutae aptum fit, ita interpretatur: וְאַמְהָתְהָא מַדְבְּרָן אָזְלָן בַּתְרַהָא מְנַהֲמָן כְּקָל יוֹנִים *et ancillae ejus ducentes* (forfan legendum מִדַּבְּרָן *abductae*) *incedunt poft eam ftrepentes,* gementes *voce columbarum.* Quod fequuti Kimchi atque Salomon Ben Melech, ad מְנַהֲגוֹת haec notant: הוּא יוֹצֵא וּפֵירוּשׁוֹ מְנַהֲגוֹת אוֹתָהּ וּמְנַהֲמוֹת בְּקוֹל קִינָה כְּקוֹל יוֹנִים *eft transitivum, et fic explicandum: ducentes eam et frementes voce lamentationis inftar vocis columbarum.* Similiter Hieronymus, edoctus a magiftro fuo Hebraeo: *et ancillae ejus minabantur, gementes ut columbae.* Quae in Commentario ita illuftrat: „*Ancillas* vero *Ninive* per metaphoram minores urbes et viculos et caftella intellige. Vel certe captivae mulieres minabuntur ante ora victorum, tantusque terror erit, ut ne in fingultus quidem et ululatum

erum-

erumpat dolor, ſed intra ſe tacite gemant, et obſcuro murmure devorent lacrymas, in morem muſſitantium columbarum.“ Quum הָגָה Hebraeis ſit *gemere*, poſſit quis conjicere, eſſe pro מְנַהֲגוֹת legendum מְהַגּוֹת. Sed non eſt tali conjectura opus. Quod hebraico נָהַג reſpondet arabicum نَهَجَ ſi media radicalis in Praeterito et Futuro vocali *a* enuncietur, inter alia denotat *trivit et ſequutus fuit viam*, cum vero idem verbum, نَهِجَ, vocali *i* media radicali profertur, et in Futuro *a*, ſignificat: *anhelavit continue, vix interrupto ſpiritu, quomodo quis valde laſſus reſpirare ſolet.* Syris quoque ܢܗܓ eſt idem quod ܢܗܩ et ܢܗܡ, *clamavit, rugiit, ſuſpiravit.* Quemadmodum igitur apud Arabes نَهَجَ duplicem obtinet ſignificatum, ita et apud Hebraeos נָהַג tam *deducere*, quam *ſingultire, ſuſpiria ducere* notabat (cognat. נָהַק *rudit*, Job. VI, 5. XXX, 7.), quae poſterior ſignificatio hic locum habet. Eam Syrus expreſſit, qui מְנַהֲגוֹת ܡܢܗܓܢ *gementes* reddidit. מְתֹפְפוֹת עַל־לִבְבֵהֶן *Tympanizantes*, i. e. מְטַרְפָן *pulſantes*, ut Chaldaeus vertit, *ſuper corda ſua*, tundentes pectora palmis, more plangentium et lamentantium mulierum. Cf. Luc. XXIII, 27. לִבְבֵהֶן defective ſcriptum pro לִבְבֵיהֶן. Ceterum quum nomen לֵבָב alias in plurali terminationem femininam habeat, לְבָבוֹת, hic cum terminatione maſculina uſurpatur.

9. וְנִינְוֵה כִבְרֵכַת־מַיִם מִימֵי הִיא *Ninive inſtar piſcinae aquarum a diebus* fuit, i. e. Ninive quidem jamdudum populoſa fuit et multis referta hominibus, qui ad eam undique, veluti aquae, confluxerunt. Videlicet ὕδατα, ut Apoc. XVII, 15. dicitur, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶ, καὶ ἔθνη καὶ γλῶσσαι. Niniven populoſam admodum fuiſſe, vel patet e Jon. IV, 11., ubi in illa fuiſſe dicuntur plus quam duodecim myriades parvulorum. Nec dubium eſt, in tam numeroſa ejus multitudine multos eo ſe contuliſſe ex imperii partibus remotiſſimis,

tissimis, urbis maximae et populorum dominae fama allectos. Cf. infra III, 15. seqq. כִּבְרֵכַת־מַיִם *Instar piscinae aquarum*, i. e. aquis refertae, quae undique accurrentem suscipit aquam. מִימֵי הִיא *A diebus* quibus *fuit illa*, i. e. jamdudum, a pristinis temporibus, quibus condita fuit. מִימֵי pro מִיָּמִים, aut subauditur קֶדֶם *antiquitas*. Ita Chaldaeus: מִיּוֹמֵי קֶדֶם. — וְהֵמָּה נָסִים *At* nunc, cum urbs expugnatur, *fugiunt illae* aquae, subito Ninive vacuefit ingenti incolarum suorum multitudine. Ante verba quae sequuntur, עִמְדוּ עֲמֹדוּ, subaudiendum: etiamsi eis acclametur: *state! state!* Gradum sistite, et viros vos praestate. Abarbenel: „Etsi rex et duces dicant militibus: *state! state!* ad pugnandum adversus hostes." Eodem sensu verbum עָמַד et Amos II, 15. Jesaj. XLVII, 12. 13. usurpatum. וְאֵין מַפְנֶה *Sed nullus respicit*, addit Chaldaeus: לְמֵקָם *ad resistendum*. Ita Jerem. XLVI, 5. נָסוּ וְלֹא הִפְנוּ *fugiunt nec respiciunt*. Cives, inquit, capta urbe, cum revocarentur et stare juberentur, ne quidem semel respexerunt, nedum ut a fuga eos avertere aut retrahere quisquam potuerit. Hieronymus nostrum Versum ita enarrat: „Manifestum est, quod, civitatibus Ninive, quas *filias ejus* Scriptura cognominat, in captivitatem deductis, ipsa Ninive, quae tantos nutrierat populos, ut *piscinarum aquis* compararetur, inutilem habeat multitudinem, dum nullus est qui resistat, et irruentium Babyloniorum impetum ferat. Habebat enim populos, qui tantummodo fugerent, et clamante matre: *state! state!* claudite portas, muros ascendite, hostibus repugnate, nullus esset qui reverteretur, nemo qui respiceret ad matrem, sed omnes terga vertentes, praedae inimicorum desererent civitatem."

10. בֹּזּוּ כֶסֶף בֹּזּוּ זָהָב *Diripite argentum! diripite aurum!* Apostrophe ad victores, quos tanquam in re praesenti in persona Dei alloquitur vates, ut eos ad diripiendam urbem animosiores reddat. Alii verba militum esse putant ad direptionem urbis se cohortantium. Illud magis probamus. Eodem modo Jeremias L, 26. 27. hostes Babelis advocat ad eam

eam expugnandam et diripiendam. וְאֵין קֵצֶה לַתְּכוּנָה *Nec finis eſt apparatui,* maximi et fere infinita divitiarum eſt in hac urbe copia. תְּכוּנָה *Apparatum* vocat opes vel ad luxum, vel ad uſum neceſſarium praeparatas, videlicet pecuniam, theſauros et cimelia Ninevitarum. Recte Chaldaeus אוֹצְרַיָּא *theſauros* vertit. Syrus: ܠܝܬ ܣܟܐ ܠܬܨܒܝܬܗ *non eſt finis ornatui ejus.* כָּבֹד מִכֹּל כְּלִי חֶמְדָּה *Copia* adeſt *ex omnibus vaſis deſiderii,* rerum omnis generis pretioſarum. כָּבוֹד, proprie *gravitas,* hic denotat *ingentem copiam, opes* et *divitias amplas,* ut Geneſ. XXXI, 1. Eſth. V, 11. Particula מִן ante כֹּל Genitivo hic commode exprimitur, ut Arabum مِن ſaepius Genitivo exprimendo inſervit, veluti *limen* مِنَ ٱلْبَابِ *ex porta,* i. e. portae, in *Vita Timuri* T. I. p. 612. edit. Manger. Plura exempla vid. in A. Schultensii *Opp. minorr.* p. 233. Cf. Storrii *Obſervatt.* p. 254. not. כְּלִי חֶמְדָּה *Vaſa deſiderii,* i. e. pretioſa, talia, quae avide deſiderantur et expetuntur, ut Hoſ. XIII, 15. Hieronymus: „Unde [vid. notam ejus ad Vs. 9.] dicitur ad Babylonios; quia illi fugerunt diripite argentum et tanto tempore congregatas opes ſubita vaſtatione praedamini. Non enim eſt finis divitiarum, ſuppellectilis et vaſorum, quae in Ninive condita ſunt, nec poteſtis tantum rapere, quantum ad diripiendum illa ſe praebet."

11. בּוּקָה וּמְבוּקָה *Vacuitas et evacuatio* ſcil. illi urbi erit, i. e. prorſus evacuabitur et ſpoliabitur. Geminatio duorum ab uno verbo derivatorum nominum intendit ſermonis emphaſin facitque ad rei atrocitatem fortius exprimendam. Simili ratione conjunguntur Ezech. VI, 14. שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה *vaſtitas et vaſtatio,* et Zeph. I, 15. שֹׁאָה וּמְשׁוֹאָה, ejusdem cum praecedente dictione ſignificationis. Utrumque noſtrum nomen derivatum a בּוּק, ſignificatione haud diverſum a בָּקַק *evacuavit,* ſupra Vs. 3. Sunt, qui בּוּקָה habeant pro Participio Paul, *vacua, ſ. evacuata,* omni ſcilicet illa opulen-

opulentia. Sed melius pro nomine formae פּוּרָה *torcular* capitur. Sic מְבוּקָה est nomen formae מְנוּחָה *quies.* LXX: Ἐκτιναγμὸς καὶ ἀνατιναγμὸς, *excussio, rediscussio,* uti Hieronymus vertit. Chaldaeus hasce duas voces pro Participiis habuit; vertit enim: בְּזִיזָא וּמִתְבַּזְזָא *direpta et expilata.* Minus accurate illarum significatum expressit Syrus: ܕܝܫܬܐ ܘܡܣܚܦܬܐ *conculcata et destructa.* Hieronymus: *dissipata est et scissa.* J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 161. hebraeum בוק conferendum putat cum arabico بَاقَ (pro بَوَقَ) *contigit alicui malum,* et transitive, *malo aliquem adfecit,* unde بَوْقَةٌ *impetus,* et بَائِقَةٌ *calamitas.* Hinc nostra verba, quae mutatis punctis בּוּקָה וּמְבוּקָה efferenda censet, interpretatur: *calamitas post calamitatem,* tanta celeritate adversi casus se insequuntur, ut vitari nequeant. Verum e loco Jes. XXIV, 3., ubi בוק cum בָּזַז, tanquam verbo similis significationis jungitur, apparet, illud *evacuandi* notionem obtinere. Quod sequitur וּמְבֻלָּקָה Chaldaeus exponit: וּפְתִיחַ תַּרְעָא לְסַנְאָה *et aperta est porta hosti.* Similiter Syrus: ܘܛܬܪܒܬܐ *et perfracta est* urbs. Quam interpretationem Josephus Kimchi commendat collato arabico بَلَقَ, quod praeter alia *aperire* denotat, affertque phrasin arabicam بَلَقَتِ ٱلْبَابَ *aperuit portam* urbs. Verum melius ei, quod praecessit convenit, collato arabico بَلُوقَةٌ *desertum, terra nihil producens,* nostram vocem interpretari: *deserta est.* Quae significatio et egregie apta alteri, quo idem verbum occurrit, loco, Jes. XXXIV, 1., יְהוָה בּוֹקֵק הָאָרֶץ וּבוֹלְקָהּ *Jova evacuat terram eamque desertam reddit.* LXX ἐκβρασμὸς reddiderunt, quod nomen Hieronymus proprie in ejusmodi rebus poni observat, quum quod latebat intrinsecus erumpit in faciem. „Unde papulae quoque, inquit, quae post aegrotationem nascuntur in labiis, vocantur ἐκβράσματα,

et

et ſanitatis videtur indicium, morbum in ſuperficiem prorupiſſe.“ וְלֵב נָמֵס *Unde cor liqueſiet* Aſſyriis prae metu, nil animi eis ſupererit. Dictio hebraea ad deſignandum ſummum metum ſatis frequens, vid. Joſ. V, 7. Jeſ. XIII, 7. 8. Ezech. XXI, 7. וּפַק בִּרְכַּיִם *Et titubatio genuum* erit Aſſyriis, labant enim genua in metu et debilitate corporis. פַּק, defective ſcriptum pro פִּיק, idem quod פּוּקָה *titubatio*, 1 Sam. XXV, 31., a פּוּק, *vacillare, titubare*, Jerem. X, 4. Jeſaj. XXVIII, 7. LXX: ὑπόλυσις γονάτων. Hieronymus: *diſſolutio genuum*. Chaldaeus: נְקוֹשׁ רְכוּבִין *colliſio genuum*. וְחַלְחָלָה בְּכָל־מָתְנַיִם *Et tremor in omnibus lumbis* erit, in quibus ſedes roboris. חַלְחָלָה proprie *dolorem vehementem*, tum et *tormina*, ſpasmos, qui ex illo oriuntur, indicat, ut Jeſaj. XXI, 3., cf. not. ad Ezech. XXX, 4. et Michaelis *Supplemm.* p. 683. Chaldaeus non male זִיעַ *commotio*, et Syrus ܪܬܝܛܐ *tremor* vertit. Cf. not. ad Ezech. XXI, 11. Eodem modo ſummus metus deſcribitur Dan. V, 6. וְקִטְרֵי חַרְצֵהּ מִשְׁתָּרַיִן וְאַרְכֻבָּתֵהּ דָּא לְדָא נָקְשָׁן *ligamina lumborum ejus ſolvuntur, et genua ejus unum alterum allidunt*. וּפְנֵי כֻלָּם קִבְּצוּ פָארוּר *Et vultus omnium retrahunt pulchritudinem*, vid. de hac phraſi not. ad Joel II, 6., ubi et noſtri loci ratio habita.

12. Jam Aſſyriis devictis amarulenter propheta inſultat, tyrannidem et rapacitatem regis et procerum eorum eadem opera perſtringens. אַיֵּה מְעוֹן אֲרָיוֹת *Ubi* eſt *habitaculum*, luſtrum *leonum?* quod Chaldaeus explicat: אָן מְדוֹרֵי מַלְכַיָּא *ubi ſunt habitacula regum?* q. d., ubi nunc eſt illa regia Aſſyriorum Ninive, plena tot gentium ſpoliis, ut leonum ſpelunca praedis? Cf. Vs. 13. Reges Aſſyriorum leonibus comparat ob dominandi praedandive libidinem. Theodoretus ad 2 Tim. VI, 17. Τὸν Νέρωνα λέοντα προσηγόρευσε, καὶ ὡς βασιλέα, καὶ ὡς ὠμότατον γεγενημένον. *Neronem* Paulus *leonem appellavit, ut qui et imperator, et crudeliſſimus fuerit.* וּמִרְעֶה הוּא לַכְּפִרִים *Et* ubi eſt *paſcuum* quod erat *leunculis?* Chaldaeus: וּבֵית מֵישְׁרֵי שִׁלְטוֹנַיָּא *et* ubi

ubi eſt *domus habitationis principum?* Hieronymus: „Adhuc autem de Ninive dicitur, quod habitaculum fuerit regum et aula nobilium.“ אֲשֶׁר הָלַךְ אַרְיֵה לָבִיא שָׁם גּוּר אַרְיֵה *Ubi ambulabat*, verſabatur *leo*, *leaena*, et *catulus leonis*, *ἀσύνδετα*. אֲשֶׁר cum שָׁם conjunctum, *quo loco*, *ubi* ſignificare, recte h. l. monet Ludovicus de Dieu. De לָבִיא *leaena* vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. C. I. T. II. p. 11. edit. Lipſ. Chaldaeus: אֲתַר דַּהֲווֹ אָזְלִין מַלְכַיָּא תַּמָּן בְּנֵיהוֹן שָׁבְקִין הָא כְּאַרְיָא דְשָׁרֵי עַל צֵידֵיהּ לְרוּחְצָן *locus quo ambularunt reges, ibi filios ſuos reliquerunt. Ecce ſicut leo, qui ſedet ſuper praeda ſua fidenter.* אֵין מַחֲרִיד *Et non* eſt, *qui exterreat*, i. e. (catulus leonis) quem nemo exterreat, Deut. XXVIII, 26. Jeſaj. XVII, 2. Nemo erat, qui regnum tam potens aggredi auderet.

13. אַרְיֵה טֹרֵף בְּדֵי גֹּרֹתָיו *Leo rapiens pro ſufficientia catulorum ſuorum*, quantum ſatis eſſet ſoboli ſuae. Licet etiam vertere: *leo rapiens pro catulis ſuis*, ut דֵי ſit adjectio ſyllabica, ut Job. XXXIX, 25. בְּדֵי שׁוֹפָר pro בְּשׁוֹפָר. Ante haec verba ſubaudiendum eſt vel ex priori Verſus ſuperioris hemiſtichio אַיֵּה, *ubi eſt?* vel ex poſteriori: אֲשֶׁר שָׁם הָלַךְ *ubi verſatus eſt* leo rapiens etc. וּמְחַנֵּק לְלִבְאֹתָיו *Et ſtrangulans*, prehenſo gutture ſuffocans et enecans pecudes *pro leaenis ſuis.* Chaldaeus prius hoc hemiſtichium ſic exponit: מַלְכַיָּא מַיְתַן חֲטוֹף לִנְשֵׁיהוֹן וּבִזָּא לִבְנֵיהוֹן *reges adducunt raptum uxoribus ſuis, et praedam filiis ſuis.* וַיְמַלֵּא־טֶרֶף חֹרָיו וּמְעֹנֹתָיו טְרֵפָה *Et* qui *praeda replebat foramina*, ſ. *antra ſua, et luſtra ſua rapina,* raptis animalibus, quippe in luſtris leones praedam colligunt, qua et ipſi veſcantur, et catulos ſuos alant. *Antris* et *ſpeluncis* arces et oppida indicantur, ad quae ſpolia a devictis hoſtibus portata ſunt. Chaldaeus: וּמְמַלְּן אוֹצְרֵיהוֹן חֲטוֹף וּבִרְנְיָתְהוֹן בִּזָּא *et implent theſauros ſuos rapto et palatia ſua praeda.*

14. הִנְנִי אֵלַיִךְ *Ecce ego ad te,* i. e. contra te, i. q. עָלַיִךְ (quod ipſum poſitum in eadem hac formula Ezech. XXVIII, 22.) ſcil. inſurrecturus ſum, Ninive; ad hanc urbem enim

enim ſupra Vs. 9. nominatam ſermonem dirigi, oſtendit ſuſfixum femineum. Chaldaeus: הָא אֲנָא שָׁלַח רוּגְזִי עֲלָךְ *ecce ego emittam furorem meum adverſus te.* Addit ſubita perſonae mutatione: וְהִבְעַרְתִּי בֶעָשָׁן רִכְבָּהּ *et ardere faciam,* comburam, *fumo currum ejus,* i. e. ſuccendam igne magnum fumum emittente currus bellicos, unde depugnare ſolebant principes tui. בֶּעָשָׁן *In fumo,* i. e. igne maximo, cujus fumus procul conſpiciatur, et verſus coelum aſcendat. Chaldaeus בְּאֶשָּׁתָא *igne* poſuit. *Currus* pro toto bellico apparatu, ut Zach. IX, 10. וּכְפִירַיִךְ תֹּאכַל חָרֶב *Et leunculos tuos abſumet gladius.* Chaldaeus כְּפִירַיִךְ explicavit כְּפְרָנָךְ *oppida tua,* i. e. incolae oppidorum tibi vicinorum gladio interficientur. Rectius Abarbenel *regios principes,* et Hieronymus *nobiles quosque et ſubregulos* ſignificari obſervant. וְהִכְרַתִּי מֵאֶרֶץ טַרְפֵּךְ *Et exterminabo de terra praedam tuam,* i. e. efficiam, ne poſthac orbem depraederis et rapinis exhaurias. Chaldaeus pro טַרְפֵּךְ poſuit סְחוֹרְתִיךְ *commercia tua,* minus commode. וְלֹא־יִשָּׁמַע עוֹד קוֹל מַלְאָכֵכֵה *Nec amplius audietur vox nunciorum tuorum,* edicta ferentium, aliorumque praeconum, quibus terrere ſolebas alios populos, urgendo eos ut ſe dedant tibi, cujusmodi praeco erat Rabſace, 2 Reg. XIX, 22. 23. Hieronymus: „Nequaquam terras ultra vaſtabis, nec audientur per provincias tuas emiſſarii tui." Pro מַלְאָכֵךְ poſitum מַלְאָכֵכֵה cum *He paragogico,* quod hic in *Zere* quieſcit, ut alias in *Camez.*

Cap. II.

1. — — *En jam curſor adeſt monteſque pererrat,*
Veloci pede tranſcendens, fauſtiſſima portans
Nuncia, caeſo hoſte, et ſaciens praeconia pacis.
Eja, inquit, feſta inſtaura ſolemnia, Judae
Progenies, Dominoque tuo pia reddito vota,
Vota profuſa tibi, diro terram hoſte premente.
Jam totus periit Nequam, neque perget, ut ante,
Ultra te incurſare ſuis vaſtareque turmis.
2. *Nonne vides, regale opus o urbs maxima Nini,*
Accelerare gradum, duroſque aſcendere montes
Diſperſorem, in te crudelia ſigna moventem?
Nunc arces munire tuas ſervareque, tempus:
Jam ſpeculare viam, qua hoſtiles copiae inundant,
Jam lumbos firmato tuos, jam robore te arma
3. *Quantocunque potes. Dominus jam vota ſuperba*
Caſtigans fregit Jacobi, factaque gentis
Iſraeliticae, omnem ipſius evacuavit honorem,
Immiſſis, omnem ipſius evacuavit honorem,
Depopulatus eos, laetaque propagine rupta
4. *Nunc ad te veniet verſa vice* *). *Nonne vides ut*
Hoſtica parma rubet validâ geſtata ſiniſtrâ?
Coccineis et ut incedit bellator amictus?
Curruſque igne micant taedarum falciferentes,

Praelia

---

*) Nam reſtituet Jova gloriam Jacobi ſicut Iſraelis gloriam reducet, licet praedatores eos evacuaverint, eorumque propagines deſtruxerint.

Praelia quando parat, pugnaeque eſt alea jacta?
Late agitata horret ferali lancea campo?
5. *Inſano ſtrepitu celeres volitare quadrigas*
Per vicos, plateasque anguſtas reddere currus
Paſſim incurſantes in ſe per mutua cernis?
Ut jaculari ignem per caeca ſilentia noctis
Taeda accenſa ſolet, vel qualia fulgura coelo
Discurrunt, oculos hominum ſtringuntque paventes,
Tali fulgebunt currus quoque luce coruſci.
6. *At rex Aſſyrius fidens magnatibus altis*
Percenſebit eos ad munia juſſa vocatos.
Illi aderunt celeres, adeo ut properatio humi ipſos,
Offenſo et lapſante gradu, proſternere poſſit,
Curriculoque petent, quae propugnacula tutum
Perfugium praebere queant, tegumentaque firma *).
7. *Portaeque ad Tigrim ducentes ſponte pateſcent* **),
Ingentemque trahent palatia lapſa ruinam.
8. *Eque gynaeceo perfracto regia conjunx*
Injectis collo vinclis captiva migrabit
Quoque raptarit victor ***), *comitesque puellas*
Deducent dominam, querula cum voce gementes,
Eſſe ſolet querulis ut vox gemebunda columbis,
Pectora tundentes, quaſi qui cava tympana pulſat.
9. *Urbs Nini priſcis nimium populoſa diebus,*
Non ſecus ac ſtagnum numeroſo piſce redundans.
Nunc autem hanc fugiunt cives, vaſta urbe relicta.
State viri! eja ſtate! domos defendite veſtras,
Et redeat vobis prior in praecordia virtus.
Eſt praeſtabilius generoſa occumbere morte
Pro patria, patriae extremis quam deeſſe periclis.

Sic

---

*) Sed paratum jam eſt tegmen (quo tecti milites hoſtiles ſubruant moenia).

**) Portae, quibus fluminum inſtar irruunt hoſtes, pateſcunt.

***) At licet conſtitutus ſit (in muro defenſor), tamen retecta abducetur (urbs Ninive).

Sic aliquis quem forte animus praesentior armat.
At fugiunt, quicunque fugam arripuere priores,
Nec retrospiciunt, usque anteriora petentes,
Terga obvertentes urbique hostique sequaci.
10. *Diripite argentum, victores, diripite aurum,*
Infectum factumque simul; quamcunque habet hostis,
Copia jam vestra est: omnis pretiosa suppellex
Parta armis dominos sequitur vos jure duelli.
11. *Quis foedam belli faciem memorare potis sit,*
Ut res aequentur verbis? vacua omnia fiunt,
Et lacera et rupta, et victores corda remittunt
Colliquefacta, animis pedibus delabitur imis,
Genua labant trepida, et lumbos dolor occupat omnes;
Plurimus ore sedet pallor nigredine mistus.
12. *Dic, ubi fulvorum nunc sunt spelaea leonum?*
Pascua nunc ubi sunt parvo depasta leoni?
Quo versata loco est vetuli vis celsa leonis?
Quo catulus vixit nullo exterrente leonis?
13. *Ille, inquam, leo praedator, qui sufficienter*
Pro catulis rapere, et praedas agere ante solebat,
Compare proque leâ accumulare animalia capta,
Presso intercludens animae spiracula collo.
Ille, inquam, leo, qui sua caeca cubilia praedis
Implebat nuper, numerosâ et lustra rapinâ.
14. *Persequar, ecce, ego te (sic ipse Jehova profatur,*
Cujus ad imperium apparet natura ministra,
Arbitrio pacem qui temperat et fera bella)
Persequar, et poenas inimica a gente reposcam,
Ipsius currus me, flamma, jubente vorabit;
At scymnos catulosque tuos ferus hauriet ensis.
Ulterius tua nec jam depraedatio terram
Vastabit: legatorum mandata tuorum
Jam venti abstulerunt vacuas dispersa per auras.

CAP.

Cap. III.

ARGUMENTUM.

Perſtat vates in deſcriptione funeſtiſſimi excidii potentiſſimae urbis Ninives, cujus varias commemorat cauſas, tyrannidem, crudelitatem, fraudes, rapinas, neſandes ſuperſtitiones, ad quas et alias gentes ſeduxerit (Vs. 1—4.), ob quae ait fore, ut penitus evertatur, et cum ſumma quidem ignominia ac deteſtatione (Vs. 5—7.). Cui comminationi ut eo magis fidem praebeant Ninevitae, adducit exemplum urbis Aegyptiae No-Ammon, quam, licet fuerit potentiſſima, firmiſſimis propugnaculis, ipſo mari, quin et ſociis atque auxiliaribus nationibus munitiſſima, tamen ait expugnatam fuiſſe, deportatos incolas, proceres in vincula conjectos, multos trucidatos (Vs. 8—10.), atque eadem quoque Ninives futura fata praedicit (Vs. 11—13.). Et quum urbem videt variis praeſidiis, incolarum et civium multitudine, propugnaculorum firmamentis, vicinorum populorum auxiliis, ducum militumque ſolertia, aliisque id genus pluribus confidere, omnia vana, irrita, nihil profutura vaticinatur (Vs. 14—19.).

---

1. הוֹי עִיר דָּמִים *Vae* tibi *urbs ſanguinum*, in qua effundi ſolet a principibus et potentibus innocuorum ſanguis, ut Ezech. XXIV, 9. Habac. II, 11. Chaldaeus: וַי קַרְתָּא אַשְׁדַּת דַּם *vae urbi fundenti ſanguinem.* Hieronymus: „Deſcribitur *potentia* Ninive, et ſub lamentatione *crudelitatis* arguitur.“ כֻּלָּהּ כַּחַשׁ פֶּרֶק מְלֵאָה *Omnis illa mendacio* et

et ***dilaceratione plena,*** i. e. cujus incolae omni generi fraudum violentisque rapinis dediti ſunt. כֻּחַשׁ פֶּרֶק *ἀσύνδετον.* פֶּרֶק *Dilaceratio*, i. e. violentia et rapina; tralatio a leonibus, qui praedam, quam rapuerunt, discerpunt ac dilacerant. Vid. Pſ. VII, 3. et ſupra III, 13., ad quem locum hic videtur reſpicere. Hieronymus Hebraeum, qui ipſum inſtituit, refert פֶּרֶק interpretatum eſſe *gubernaculum*, id eſt *κυβερνισμὸν*, „ut oſtenderet et urbem fuiſſe regalem, et velut in navi cunctarum gentium tenuiſſe gubernaculum.“ Verum illa ſignificatio voci hebraeae tributa plane eſt commentitia. לֹא יָמִישׁ טָרֶף *Non recedit praeda* a te undique congeſta, i. e. praedatio. Continenter et ſine intermiſſione incolae tuae praedantur. יוּמָם h. l. intransitive capiendum, ut Exod. XIII, 22. לֹא־יָמִישׁ עַמּוּד הֶעָנָן *non recedebat columna interdiu.* Et XXXIII, 11. לֹא יָמִישׁ מִתּוֹךְ הָאֹהֶל *non discedebat e tentorio.* Sic etiam accipitur Jeſ. XLVI, 7. Nam idem verbum active ſ. transitive ſumitur cum alibi, tum Mich. II, 3., unde et noſtra verba nonnulli vertunt: *non amovebit praedam.* Ita Aben-Esra: „Non dimittet rapinam ex ſe; raptum enim omne convehunt ad eam.“ LXX: Οὐ ψηλαφηθήσεται θήρα. Syrus: ܘܠܐ ܡܬܪܓܫܐ ܒܗ ܬܒܪܐ *nec ſentitur in ea contritio.* Quod vatis menti prorſus repugnat. Retulerunt illi interpretes יָמִישׁ perperam ad מָשַׁשׁ *palpavit, contrectavit.* Recte Hieronymus: *non recedet a te rapina.* Chaldaeus: לָא פָּסִיק קְטוֹל *non deſinit occaſio.*

2. Elegans hypotyposis exercitus, qui alacri atque incitato curſu properat ad ſumendum de Ninive ſupplicium, aſpirans caedem et ſanguinem, et ad paratam ſibi praedam anhelans. Non immerito exclamat Hieronymus: „Tam pulchra juxta Hebraicum et picturae ſimilis ad proelium ſe praeparantis exercitus deſcriptio eſt, ut omnis meus ſermo ſit vilior.“ Jam auditur, inquit, קוֹל שׁוֹט *vox* ſ. *ſonus flagri* equitis hoſtilis equos agitantis. Cf. Prov. XXVI, 3. שׁוֹט לַסּוּס *ſcutica equo.* וְקוֹל רַעַשׁ אוֹפָן *Et ſonitus ſtrepitus rotarum* ſcil. curruum bellicorum. Plene eſt Exod. XIV, 25. וַיָּסַר אֵת־

אֶת־אֹפַן מַרְכָּבוֹת *femovit rotas curruum.* וְסוּס דֹּהֵר *Et* fonitus *equorum concitato curfu currentium.* De voce דֹּהֵר, praeter hunc locum non obvia, et דַּהֲרוֹת, *concitati curfus*, Jud. V, 22., vid. Schnurreri *Differtat. ad Cantic. Deborae* Vs. laud. in *Differtatt.* p. 80. et J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 401. feqq. וּמֶרְכָּבָה מְרַקֵּדָה *Et* fonitus *currus fubfultantis*, curruum fubfultantium, fubfilire enim folent currus, cum citato curfu et rapide feruntur.

3. Verba פָּרָשׁ מַעֲלֶה Kimchi cum iis, quae proxime fequuntur, וְלַהַב חֶרֶב וּבְרַק חֲנִית, conjungit hoc fenfu: *eques* fcil. fuperveniet tibi *adducens flammam enfis et fulgur lanceae*, i. e. gladium flammantem et haftam corufcantem. *Vau* ante לַהַב redundare obfervat, ut Genef. XXII, 4. בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי וַיִּשָּׂא אַבְרָהָם אֶת־עֵינָיו *die tertio elevavit Abrahamus oculos fuos.* Alii *Vau* utrumque, vocibus לַהַב et בְּרַק praepofitum, capiendum volunt ut Latinorum *et* — — *et*, vel *cum tum, tam quam.* Kimchius addit, poffe et ellipfin phrafeos כְּלֵי הַמִּלְחָמָה ftatui, ut fit: *eques* fuperveniet tibi adducens inftrumenta bellica. Praeftat fane, ob accentum diftinctivum *Rbhia* voci מַעֲלֶה impofitum, verba פָּרָשׁ מַעֲלֶה ut quae fenfum feorfim conftituant accipere. Neque tamen qui id agnofcunt inter fe confentiunt. Sunt enim, qui fic interpretentur: *eques* aderit f. irruet in te *afcendere faciens* f. *adducens* fubfequentem reliquum exercitum. Neumannus phrafin ellipticam exiftimat, quae plena talis effet: פָּרָשׁ מַעֲלֶה אֶת־עַצְמוֹ עַל הַסּוּס *eques afcendere faciens fe in equum*, quod vernacule fic expreffit: *der fich* [*aufs Rofs*] *fchwingende Reuter.* Nos quidem cum Lud. de Dieu vertimus: *eques auferens.* „Sicuti," inquit, „Verfu praecedenti minatus fuerat fonitum fcuticae et fonitum motus rotarum, fic hoc Verfu minatur equites auferentes, deinde flammantem gladium et corufcantem haftam. Eft autem *eques auferens* qui praedam multam fubducit, et quafi afcendere fecum facit. Sicut enim in Cal עָלָה *afcendit* faepe ufurpatur pro *abire, recedere*, fic in Hiphil הֶעֱלָה faepe pro *auferre*,

auferre, tollere, ut Pſ. CII, 25. אַל תַּעֲלֵנִי *ne aufer me in medio dierum meorum.*" J. H. Michaelis פָּרָשׁ, collective ſumendum, habet pro Accuſativo, et verba noſtra ſic interpretatur: *equites* ſ. *equitatum* hoſtium *adducturus* eſt Deus; collato Jeſaj. VIII, 7. *Dominus* מַעֲלֶה עֲלֵיהֶם *adducet ſuper eos aquas fluvii* etc. Et Jerem. L, 9. *En ego excito* וּמַעֲלֶה עַל־בָּבֶל *et adduco ſuper Babylonem coetum gentium.* Verum hunc ſenſum ſi vates exprimere voluiſſet, non dubito, eum ſcripſiſſe: יְהוָֹה מַעֲלֶה עָלַיִךְ אֶת־פָּרָשׁ, *Jova adducit contra te equitatum.* וְלַהַב חֶרֶב *Et flamma gladii* ſcil. adeſt, ſeu conſpicitur. Gladio vibrato et fulguranti *flamma* adſcribitur, ut Gen. III, 24. לַהַט הַחֶרֶב. Cf. Job. XXXIX, 23. Chaldaeus: וּלְהוֹב וְצִלְהוֹב סַיְפִין *et flamma aciesque gladiorum.* וּבְרַק חֲנִית *Et fulgor lanceae,* haſtae coruſcantes, ut Habac. III, 11. Deſcribit milites hoſtiles, qui Niniven oppugnabunt: alii tenebunt manibus enſes evaginatos, alii haſtas fulgentes. וְרֹב חָלָל *Et multitudo occiſi,* occiſorum in proelio. וְכֹבֶד פָּגֶר *Et gravitas cadaveris,* i. e. vis ingens cadaverum. כֹּבֶד hic habet *multitudinis* notionem, ut Num. XX, 20. 1 Reg. III, 9. עַם כָּבֵד eſt *populus multus.* פֶּגֶר *Cadaverum* ab hoſte occiſorum. Kimchi: „Non vocatur corpus פֶּגֶר niſi fuerit mortuum." Cf. 1 Sam. XVII, 46. Amos VIII, 3. וְאֵין קֵצֶה לַגְּוִיָּה *nec finis* eſt *corporibus,* infinita erit corporum proſtratorum multitudo. Ita loquutus eſt ſupra II, 10. אֵין קֵצֶה לַתְּכוּנָה *infinitus eſt apparatus.* גְּוִיָּה hoc differt a פֶּגֶר, quod de corpore vivo etiam uſurpatur (ut Geneſ. XLVIII, 18. Nehem. IX, 37.), quum פֶּגֶר tantum dicatur de mortuo, uti dictum eſt. וְכָשְׁלוּ בִּגְוִיָּתָם Ita ut *impingant in corpora eorum,* Ninevitarum, ſeu Aſſyriorum, q. d. vix tranſire aut ingredi poterunt milites prae cadaveribus vel hominibus projectis et vulneratis. In textu ſcriptum eſt יכשלו, ſed nota Maſorethica in margine monet legendum eſſe יִכָּשְׁלוּ. Alioquin dubitari poſſit haud immerito, ſitne יִכָּשְׁלוּ legendum, an יִכְשְׁלוּ. Prius illud, Futurum Niphal, reperitur in Bibliis ex officina Sanctandreana Heidelberg. 1586. fol., in Bibliis Rob. Stephani in 24. Paris.

 1546.,

1546., nec non in Bibliis Hartmannianis in 4. Trajecti ad Viadr. 1595., atque in margine Bibliorum Dan. Bombergii, Venetiis 1517. in fol. et 1518. in quat. Minus ufitatum יִכָּשְׁלוּ vero exftat in textu Bibliorum Bombergii Venet. 1517. in fol. et 1518. in quart. atque 1521. in quat. Kimchius quoque in Lexico adducit יִכָּשְׁלוּ ex hoc loco. Quod ne mendum effes putes, fciendum, adduci in Cal, deinde fubjici Niphal, ut certum fit, Kimchium ita olim legiffe. Utrumque tamen repugnat Maforae impreffae ad Hof. I, 1., ubi inter viginti et duo illa loca, quibus pro י initio vocis in margine ו legi praecipitur, et nofter eft. — Abarbenel Verfu hoc et fuperiore non adventantem ad Niniven oppugnandam exercitum, fed regis Affyriorum procerumque ejus in gentes fubactas tyrannidem atque crudelitatem defcribi exiftimat. Terruiffe illos homines *fono fcuticae* atque *curruum*, a quorum fonitu contremifceret terra. Ad quae acceffferint *equites inducentes* in currus viros ad pugnandum, qui in manibus tenerent *flammantes gladios et corufcas haftas*, utroque facientes *magnam confofforum caedem, et ingentem numerum cadaverum*, eorum, quos interfecerant. Fuiffe autem tam multos ab iis truculenter interfectos, ut *infinitus* effet *numerus corporum* projectorum in terra, *ita ut* homines euntes *in cadavera illorum impingerent.* Sed Verfus proximus fatis aperte docet, memorari hic adverfa, quae urbi Ninivae ab hofte ingruente fint eventura.

4. מֵרֹב זְנוּנֵי זוֹנָה טוֹבַת חֵן *Ob multitudinem fcortationum meretricis gratiofae* ifta illi urbi evenient. Reddit propheta caufam, cur Ninive fit evertenda ab exercitu hoftiii, quem Vs. 2. 3. defcripfit, nempe quod abufa fuerit opulentia atque potentia fua in perniciem aliarum gentium, quas primum allexit quibus potuit infidiis, donec vires imperii obtinuit; tunc pro libidine nationes quasque viciniores fibi fubegit vi bellica et technis aliis. Comparat autem Niniven eximiae meretrici, quae arte quadam impo-

nere

nere folet amatoribus fuis atque eos ad fe allicere. *Scortationibus*, זְנוּנִים, plerique interpretes intelligunt aliorum deorum cultum, artesque quibus ufa finitimis perfuadebat, optime coli numen fecundum morem ritumque, quem ipfa fequebatur. Sane זְנוּנִים fi de populo Hebraico dicitur, de cultu aliorum, praeter Jovam, deorum dici, notum, vid. e. c. Jerem. XIII, 27. Ezech. XVI, 30. Hoc vero loco, ubi de Affyriis agitur, qui Jovam numquam coluerunt, זְנוּנִים cum Abarbenele intelligere malumus de *dolofis foederibus*, quibus alias gentes ad fe pertraxerunt Affyrii, et fibi tandem fubjecerunt. Ita Jef. XXIII, 17. Tyrus inducitur tanquam meretrix, quae cum omnibus regnis terra fcortata fuerit. Cf. not. noftr. ibi ad Vs. 15. Ceterum de nomine זְנוּנִים obfervat Kimchi, illud a זָנָה derivatum geminare fecundam radicalem, ad augendam et exaggerandam fignificationem, quemadmodum ab הָגָה *gemuit* הָגִיג Pf. V, 2. eft *multus gemitus.* Chaldaeus זוֹנָה interpretatur: קַרְתָּא דְהִיא כְּטַעְיְתָא נָפְקַת בָּרָא *civitatis quae fuit ficut meretrix excurrens foris*, i. e. propudiofa. טוֹבַת חֵן *Bonae gratiae*, i. e. decorae et gratiam habentis. Chaldaeus: שַׁפִּירַת רֵוּ, et Syrus: ܫܦܝܪܬ ܚܙܘܐ *formofae adfpectu.* Abarbenel: „Inftar meretricis formofae et blandulae, quam appetunt, qui eam vident, eamque refpiciunt et ftudiofe obfervant, ficut Ifraelitae fecerunt, temere fidentes regi Affyriae, fpe auxilii, quos tamen irritos plane oppreffit.“ Cf. 2 Par. XXVIII, 20. 21., ubi narratur, Tiglathpilefarem, Affyriae regem, *gravaffe Ahafum, non levaffe. Et quamvis templi Jovae, et regiae procerumque facultatem partem cepiffet Ahafus, et regi Affyriae dediffet, nihil eum juvit.* בַּעֲלַת כְּשָׁפִים *Magiftrae*, peritae, *praeftigiarum*, quae magicis artibus homines incantat, eorumque res intervertit. הַמֹּכֶרֶת גּוֹיִם בִּזְנוּנֶיהָ *Quae gentes vendidit fcortationibus fuis*, i. e. libertate fua exutas in fervitutem redegit et fibi mancipavit. וּמִשְׁפָּחוֹת בִּכְשָׁפֶיהָ *Et familias* f. *nationes* fafcinavit et decepit *praeftigiis fuis.* מִשְׁפָּחוֹת funt h. l. *nationes, gentes,* ut

ut Amos III, 2. Chaldaeus vertit מַלְכְוָתָא *regna.* Praeſtigiarum atque artium magicarum ſtudium exprobratur et Chaldaeis Jeſ. XLVII, 9. 12.

5. הִנְנִי אֵלַיִךְ Ideo *ecce ego contra te* ero. Chaldaeus ut ſupra II, 14., ubi eadem phraſis, ita et hic: הָא אֲנָא שָׁלַח רוּגְזִי עֲלָךְ *ecce ego mitto furorem meum contra te.* Abarbenel: אֲנִי בְּהַשְׁגָּחָתִי אֲסַבֵּב חוּרְבָּנֵךְ *ego providentia mea efficiam tuam vaſtationem.* Hieronymus: „Quia vendidiſti, o Ninive, gentes in fornicationibus tuis, et familias in maleficiis tuis, et quaſi publicum proſtibulum cunctis divaricaſti pedes tuos, propterea *ego ipſe ad te veniam ſubvertendam.*" Quia vero Niniven Verſu ſuperiore meretrici comparaverat, et nunc in poena ei deſtinata deſcribenda perſtat in metaphora, atque talia ei minatur, qualia digna ſunt meretricia impudicitia. וְגִלֵּיתִי שׁוּלַיִךְ עַל־פָּנָיִךְ *Et retegam,* rejiciam *ſimbrias tuas,* imam veſtem tuam, *ſuper faciem tuam,* veſtibus autem ſublatis ſupra caput apparent quas partes natura occultari jubet, omniaque vitia corporis produntur. Ita et Jerem. XIII, 26. וְגַם־אֲנִי חָשַׂפְתִּי שׁוּלַיִךְ עַל־פָּנָיִךְ *ego quoque nudavi ſimbrias tuas ſuper faciem tuam, ut opprobrium tuum conſpiciatur.* Chaldaeus noſtra verba ſic interpretatur: וַאֲגַלֵּי בַהֲתַת חוֹבַךְ עַל אַפַּךְ *patefaciam turpitudinem ſceleris tui contra faciem tuam.* A. Schultensio in libro *de Defectibus hodiernis Linguae Hebr.* §. CCLXIII. שׁוּלִים non tam ſunt *limbi* ac *inſtitae veſtium,* quam *laciniae laxius et largius fluentes,* quae ultra talos deſcendant, et humum verrant (*Schleppen*), collato Arabico شال et سال, quae utraque radix notionem *laxi* et *penduli* habet. Jam quum Arabibus أَذْيَال (*Collectiv. nominis* ذَيْل *lacinia, cauda veſtis*) *ſyrmata,* figurate deſignent *praeſidia, munimenta, arces, nuditas* autem, عَوْرَة, iisdem *loca nuda, patentia, periculis bellorum maxime expoſita et obnoxia* ſignificet, et noſtro loco ſimilitudine ſyrmatis replicati ſuper faciem, ita ut meretricis pudenda retegantur,

hoc

hoc innui existimat, Niniven, illam reginam superbam Orientis, violandam fore, et sub hostili impetu foedissime prostituendam, laciniis arcium munimentorumque retectis aut discissis, atque nudatis regni omnibus lateribus, per quae irrumpens victor cum ludibrio exitium imperio potentissimo acceleraret. Nos tamen Niniven simpliciter meretrici comparari et poenas prostibulo dignas praenunciari arbitramur, ut Babyloni Jesaj. XLVII, 2. 3., Hierosolymae aut Judae Ezech. XVI, 36. 37., Ephraimo Hos. II, 5. 12. וְהַרְאֵיתִי גוֹיִם מַעְרֵךְ *Et ostendam populis nuditatem tuam.* Non ut honestam matronam, sed ut foedum prostibulum te tractabo. וּמַמְלָכוֹת קְלוֹנֵךְ *Et regna* adspicere faciam, regnis ostendam *ignominiam tuam*, verenda tua, quo nihil magis probrosum esse potest mulieri. „Haec autem omnia sub metaphora mulieris adulterae, quae cum fuerit deprehensa, producitur in medium, et ante oculos omnium depompatur," inquit Hieronymus.

6. וְהִשְׁלַכְתִּי עָלַיִךְ שִׁקֻּצִים *Et projiciam super te abominationes*, res abominandas, cujusmodi sunt coenum, lutum, stercus, et alia quae conjici solent in meretrices publica infamia notatas. וְנִבַּלְתִּיךְ *Et contumeliis te adficiam*, recte Hieronymus vertit, quo eodem sensu hoc verbum et Mich. VII, 6. Deut. XXXII, 15. Jerem. XIV, 21. usurpatur. וְשַׂמְתִּיךְ כְּרֹאִי. *Et ponam, reddam te tanquam spectaculum.* רֹאִי Jarchi זֶבֶל *fimum*, Aben-Esra טִנּוּף *inquinamentum* interpretantur. Cujus explicationis rationem declarat Abarbenel, qui ad כְּרֹאִי haec notat: רוֹצֶה לוֹמַר כְּדָבָר הַמְּגוֹאָל וְהַמָּאוּס שֶׁהַכֹּל מַבִּיטִים בּוֹ לְפַחִיתוּתוֹ כְּמוֹ הוֹי מוֹרְאָה נִגְאָלָה *vult dicere: quasi rem pollutam ac spretam, quam quilibet intuetur propter vilitatem suam*; ut Zephan. III, 1. *Vae* urbi מוֹרְאָה *adspectui exhibitae et contaminatae.* Sequuti hi interpretes sunt Chaldaeum, qui sic vertit: וַאֲשַׁוֵּינִיךְ מְכַעֲרָא לְעֵינֵי כָל חָזַךְ *reddamque te foedam oculis omnium qui te adspiciunt.* Verum רֹאִי h. l. commode proprio ac simplici *spectaculi* significatu sumitur, ut sensus sit: *spectaculo*,

culo, publicae ignominiae, *te exponam.* LXX παράδειγμα recte reddiderunt, quod Arabs شُهْرَة *spectaculum* vertit. Ita ab شَهَرَ *divulgavit* مَشْهُور est *ad spectaculum publicum asino vel camelo impositus et circumvectus* in versione Arabica fabularum Bidpai ab H. A. Schultens edita p. 92. Cf. de hoc usu verbi شهر in Conjugat. II. et IV. Mangeri notam ad *Vit. Timuri* Vol. I. p. 291. „Sic παραδειγματίζειν in N. T. est *traducere, publicae ignominiae exponere.* Matth. I, 19. et praesertim Hebr. VI, 6. Similiter θεατριζόμενοι sunt *publicis opprobriis expositi* Hebr. X, 33., et θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ significat: *summae ignominiae palam exponimur* 1 Cor. IV, 9. Convenit etiam Vs. 241. Aeschyli in *Prometh. Vincto,* ubi Prometheus, petrae affixus et dolore pressus, nullamque apud mortales commiserationem nactus a semetipso vocatur Ζηνὶ δυσκλεὴς θέα, *ignominiosum Jovi spectaculum.*" Kreenen.

7. וְהָיָה כָּל־רֹאַיִךְ יִדּוֹד מִמֵּךְ Unde *fiet,* ut *universitas videntium te a te refugiat,* quisquis foedatam faciem tuam, i. e. te dirutam atque vastatam conspexerit, vultum a te, tanquam a re foeda, avertet. Hieronymus: „Qui ruinas viderit Ninive, et positam eam omnibus in exemplum expavescet atque mirabitur." Verbum נָדַד notare: *aufugit tanquam a re foeda,* docent arabicum نَدَّ *aufugit,* atque syriacum ܢܕ *nauseavit, abominatus est,* unde ܢܕܝܕܘܬܐ *foeditas,* βδέλυγμα, nec non hebraicum נִדָּה *immunditiies,* q. d. res quam quis abominatur et a qua aufugit. שָׁדְּדָה נִינְוֵה *Diruta,* vastata (Chaldaeus: אִתְבְּזִיזַת *expilata est*) *Ninive,* quae gentium domina et potentia, divitiis atque splendore omnibus urbibus superior esset; vid. infra Vs. 16. sequ. מִי יָנוּד לָהּ *Quis condolebit ei?* Vid. de verbo נוּד not. ad Job. II, 11. Subitus a persona secunda ad tertiam transitus, ut fit in sermone affectu pleno. Statim revertitur ad personam secundam:

cundam: מֵאַיִן אֲבַקֵּשׁ מְנַחֲמִים לָךְ *unde quaeram conſolatores tibi?* q. d. nusquam, qui te conſolentur, inveniam, in omnium enim odium et offenſionem irruiſti, quia eis in rebus tuis ſecundis inſultaſti; cf. infra Vs. 19. Hieronymus: „Quis dolebit ſuper te, quis tuus poterit eſſe conſolator? quae quamdiu potens fuiſti, quaſi crudelis domina, non miſerebaris ſenis, nec parvulum reſpiciebas, nec praeparaſti luctus tui ſocium, quae noluiſti conſortem habere regnandi.“

8. „Miſſa jam imagine, qua Niniven publicae ac meritiſſimae ignominiae expoſitam depinxerat poeta, ipſam iterum compellat, non lugentis, imo inſultantis potius perſonam inducens, quo declaret, digniſſimam eam eſſe, quae haud melius tractetur, quam celeberrima quaedam urbs, per ipſam naturam munita et auxiliaribus etiam copiis adjuta, quaeque tamen capta, expugnata, ac miſerrime deſolata fuerit, Verſu hoc et duobus ſequentibus.“ Kreenen. הֲתֵיטְבִי מִנֹּא אָמוֹן הַיֹּשְׁבָה בַּיְאֹרִים מַיִם סָבִיב לָהּ *Nunquid melior es, quam No-Amon, quae habitat inter amnes, in cujus circuitu* ſunt *aquae?* quae aquis undique eſt circumdata atque munita. Hieronymus: „Hebraeus, qui me in Scripturis erudivit, ait, Hebraice *No* dici *Alexandriam*, *Amon* autem *multitudinem*, ſive *populos*, et eſſe ordinem lectionis: nunquid melior es ab Alexandria populoſa, ſive populorum, quae habitat in fluminibus, aqua in circuitu ejus? Non quod eo tempore Alexandria vocaretur, quippe quae longo poſt tempore ab Alexandro Magno Macedone nomen accepit; ſed quia ſub nomine primo, id eſt, *No*, ſemper Aegypti metropolis fuerit, et abundantiſſima populis. Denique et qui res geſtas Alexandri memoriae tradiderunt, principem eam fuiſſe Aegypti autumant...... Et deſcribitur ſitus Alexandriae, quae ſuper Nilum et ſuper mare poſita hinc inde, aquis et fluminibus ambiatur; hinc enim rivo Nili, inde lacu Mareotico, ex alia parte mari cingitur.“ Verum nomine נֹא אָמוֹן ſignificari eam Aegypti urbem, quae Graece

Graece Διόσπολις vocabatur, oſtendimus in not. ad Ezech. XXX, 14. „At quum duae potiſſimum fuerint hujus nominis urbes, altera in ſuperiore, altera in inferiore Aegypto ſita, disputatur, quaenam hic intelligenda ſit. Illa fuit maxime nobilitata, et Thebarum nomine celeberrima; ac praeter eam cum aliae plures fuerunt, uti notavit Forſterus in Epiſt. ad Michaelem p. 25., tum peculiariter aliqua in Aegypto inferiori ſupra Mendetem ſita, quam ita deſcribit Strabo L. XVIII. p. 1154., ut appareat, paludibus ſive lacubus cinctam eam fuiſſe. Igitur longe plerique Thebas, ſive Diospolin magnam Aegypti ſuperioris, ſignificaſſe Nahumum contendunt, et inter hos Michaelis, Grimmius, Grevius, et Jablonskius *Opusc.* I. p. 162. Ex iis autem, qui de Diospoli Aegypti inferioris apud Nahumum agi exiſtimant, fuit Bochartus *Geogr. S.* P. I. L. I. C. 1. p. 6., idque ob urbis ſitum a Strabone praeſertim l. c. deſcriptum, etſi tamen non negat, poſſe Nahumi locum etiam de magna Diospoli, ſive Thebis exponi. Porro doctiſſimus Akerbladus in *Epiſt. de Inſcript. Aegyptiaca Roſetana* p. 35. in nota obſervat, deſcriptionem No-Amonis, quae legitur apud Nahumum, non bene convenire Diospoli, quae erat in Thebaide, ſive Aegypto ſuperiore, atque haec etiam cauſa fuit, ob quam Schroederus ad h. l. de Diospoli Aegypti inferioris cogitarit. Ab utraque hac ſententia diſceſſit Forsterus in *Epiſt. ad Michaelem* p. 27. ſequ., ubi conjicit, totam Aegyptum nomine No-Amonis deſignari. Sed, uti longe ſimplicius eſt, hic de aliqua peculiari urbe, quam de tota Aegypto cogitare, cujus exemplum urbi Ninives proponatur, ita etiam univerſa deſcriptio magis convenit urbi quam regioni, adeoque optio facienda eſt inter alterutram urbem Amoni, Jovi Aegyptio, peculiariter ſacram. Haec autem optio minime difficilis eſſe poteſt, ſi modo ad deſcriptionem, qualis eſt apud Nahumum, probe attendamus, eamque cum ea, quam dedit Strabo, comparemus. Hic enim ubi Diospolin, Aegypti inferioris in Nomo Buſiritide ſitam, deſcribit, idem plane dicit, quod Nahumus Vs. 8., peculiariter his verbis:

מַיִם

מַיִם סָבִיב לָהּ, *aquae eam cingebant;* nam *prope Mendetem,* inquit, *est Diospolis, καὶ αἱ περὶ αὐτὴν λίμναι, et lacus, qui eam cingunt.* Similia habentur apud Suidam a Bocharto citatum, voce Δημήτριος, ubi eadem urbs refertur posita fuisse *ἐν τοῖς ἕλεσι, in paludibus.* Quae descriptionis similitudo quum tanta sit, quanta vix major fingi queat, consentaneum est, ut existimemus, Nahumum non aliam urbem significasse, et id, quod peculiare erat in ejus situ, hic ad veritatem expressisse, eamque ita ab alia longe celebriori urbe ejusdem nominis distinxisse, quae, etsi ad Nilum sita, non tamen paludibus undique cincta erat et munita." Kreenen. Contra alteram, Aegypti superioris Diospolin a Nahumo significari contendit P. Zorn in *Libro singulari de historia et antiquitatibus urbis quondam in Aegypto superiori longe celeberrimae* נוא אָמון *seu* נֹא-הָמון *sive* נוא, *id est, Thebarum, sive* Διοσπόλεως *majoris ad illustrationem Jerem. XLVI,* 25. *Ezech. XXX,* 15. *et Nahumi III,* 8. 9. 10. in *Opusc. SS.* T. II. p. 322. seqq. Is postquam veterum scriptorum de Thebarum Aegypti superioris magnitudine et splendore testimonia attulisset, addit p. 349 : „Nahumus autem urbem convenienter naturae ejus congruenterque descripsit, siquidem ad Nilum sita erat, et praeter ejus VII alveos mare rubrum ac mediterraneum habuit, quae velut munimenta invicta hostes ab Aegypto prohiberent. *Aquae,* inquit Nahumus, *muri ejus,* ubi Joa. Marshamus *Can. Chron.* Sec. XVIII. p. 584. *διώρυχας,* sive fossas ingentes, ut labore, ita utilitate insignes intelligit, quas fecit Sesostris, quasve luculenter descripsit idem Marshamus Sec. XV. p. 395. Praeterea quemadmodum multa alia oppida erant intra decursus Nili, ita No-Amon circumdedisse videntur *Nili ostia manu facta,* quae Plinio *falsa ora,* Ptolemaeo *ψευδοστόματα,* Straboni *διώρυχες ἐπὶ διώριξι τμηθῆσαι, fossae super alias fossas actae* dicuntur. Neque vero dicant Drusius et Calmetus, Thebas Aegyptiacas quum a mari abessent longius disjunctae, a Nahumo vix nominari potuisse. Mitto mare rubrum ac mediterraneum, utrum-

utrumque, Bocharto judice, hoc in loco designatum; יָם *mare* est ipse Nilus una cum paludibus aestuariisque, quibus undique urbs cincta fuit. De Nilo dicitur יָם et Ezech. XXXII, 23. Jes. XXVII, 1. Job. XLI, 22." Sententiam ab A. Müllero Greiffenhagio atque Calmeto defensam, intelligi a Nahumo alteram Diospolin prope Mendetem, quam praeter Nili alveos Busiritem et Athribitem varii lacus instar marium undique cingebant, speciosam quidem esse fatetur Zornius p. 354., sed debiliora esse judicat illius argumenta, quam ut ipsum a sua sententia dimoveant. „Urbs enim," inquit, „Ninevitis ob oculos ponenda erat, quae non magis natura et mirificis molibus munita, quam propter imperii amplitudinem et diuturnitatem florentissima esset, ut Ninevitae illud e fatis tantae urbis cognoscerent, quod ipso usu etiam mortales docentur." Nos quidem haud dubitamus Zornio adstipulari. יְאֹרִים de rivis e Nilo deductis usurpari, observatum ad Ezech. XXIX, 2. Genes. XLI, 1. אֲשֶׁר־חֵיל יָם *Cujus antemurale*, seu *praemunitio mare*, quo, recte monente Steudelio l. l. p. 416., Nilus fluvius h. l. intelligendus, Arabibus quoque اَلْبَحْرُ *mare* dictus, vid. not. ad Jes. XIX, 5.; ad אֲשֶׁר vero est לָהּ *cui*, urbi, subaudiendum. Negat quidem Lud. de Dieu, verba ita, ut cum interpretibus plerisque aliis, recte verti, quod חֵיל forma constructa sit, unde vertendum sit: *quae est antemurale maris*, cui quod sequitur, מִיָּם חוֹמָתָהּ *a mari est murus ejus*, bene cohaereat; si enim mare sit murus No-Amonis, eandem urbem esse antemurale maris. Verum errat Lud. de Dieu, quod חֵיל formam constructam esse ait, quum חֵיל, quod et defective חֵל scribitur, 2 Sam. XX, 15. Jes. XXVI, 1. et alias forma sit absoluta. Neque חֵיל, id est, fossa, quae urbem circumdat cum antemurali, commode *antemurale maris* diceretur.

9. Pergit in describendis urbis No-Amon praesidiis atque sociorum auxiliis. כּוּשׁ עָצְמָה וּמִצְרַיִם *Cusch robur, praesidium ejus fuit et Aegyptus.* De כּוּשׁ *Aethiopia* vid. not.

not. ad Geneſ. X, 6. et Ezech. XXX, 4. וְאֵין קֵצֶה *Ita ut finis non eſſet* copiarum auxiliarium. Ita de Schiſchako, Aegypti rege, Rehabeamo, regi Judaeorum, bellum inferente, dicitur 2 Chron. XII, 3. וְאֵין מִסְפָּר לָעָם אֲשֶׁר־בָּאוּ עִמּוֹ מִמִּצְרַיִם *innumerum fuiſſe populum, qui cum eo ex Aegypto venerit.* פּוּט וְלוּבִים הָיוּ בְּעֶזְרָתֵךְ *Phuthaei et Libyes erant in auxilio tuo,* o No-Amon, cujus Verſus praecedens meminit, ad quam per apoſtrophen propheta ſe hic convertit, ac ſi ipſam alloqueretur. De פּוּט gente quadam Africae, Aegyptiis vicina vid. not. ad Geneſ. X, 6. לוּבִים una cum Cuſchaeis inter auxiliares Aegyptiorum copias memorantur 2 Chron. XII, 3., et ibid. XVI, 8. iidem dicuntur *exercitu* eſſe *numeroſo cum curribus et equitibus.* Dan. XI, 43. Lubaei et Cuſchaei inter eos, qui Antiocho ſubjecti ſunt, nominantur.

10. גַּם־הִיא לַגֹּלָה הָלְכָה בַשֶּׁבִי Attamen *etiam haec* tam potens et tam valide munita No-Amon *in deportationem* ſ. exilium *abiit inter captivos.* Quando autem et a quibusnam victoribus urbs illa fuerit expugnata, et cives ejus extra patriam fuerint deportati, definiri nequit. Varias variorum conjecturas percenſuit Zornius l. c. p. 374. ſeqq. Ipſe (p. 387.) Salmanaſſarem, regem Aſſyriorum, Senacheribi patrem vel avum, Cuſchaeorum et Aegyptiorum victorem exſtitiſſe putat. Noſtram conjecturam vid. in Prooemio ſupra p. 226. גַּם עֹלָלֶיהָ יְרֻטְּשׁוּ בְּרֹאשׁ כָּל־חוּצוֹת *Etiam parvuli ejus alliſi ſunt in capite,* in compitis *omnium vicorum,* ut fieri ſolet in urbibus vi captis. Verbum רָטַשׁ eſt peculiaris uſus in deſcribenda immanitate militis in tenellam aetatem ſaevientis, ut patet e locis 2 Reg. VIII, 12. Jeſ. XIII, 17. Hoſ. XIV, 1. Poeta Pſ. CXXXVII, 9. utitur verbo נִפֵּץ, i. e. allidendo dirumpere. Futurum יְרֻטְּשׁוּ Praeteritis intermiſtum in Praeterito capiendum eſt, ut ſaepe in narrationibus, ut Jud. II, 1. Plura exempla vid. in Storrii *Obſervatt.* p. 162. וְעַל־נִכְבַּדֶּיהָ יַדּוּ גוֹרָל *Et ſuper honoratos ejus,* No-Amonis, *jecerunt ſortem* victores, cives nobi-

nobilissimos ut mancipia victores sorte inter se diviserunt. Cf. Joel IV, 3. Obad. Vs. 11. וְכָל־גְּדוֹלֶיהָ רֻתְּקוּ בַזִּקִּים *Et omnes magnates ejus vincti sunt compedibus*, sive *manicis*, i. e. catenis ferreis, quibus manus insertae, ut Jerem. XL, 1. 4. Ita LXX: χειροπέδαις. De verbo רָתַק praeter h. l. semel tantummodo, Cohel. XII, 6. obvio, vid. not. ad Ezech. VII, 23.

11. Jam propositum exemplum vates in suos usus convertit, et Ninivae praedicit sortem haud minus acerbam ea, quam passa fuerat Diospolis, imo illam describit ut longe miseriorem Verss. seqq., quippe cum universi imperii interitu conjunctam. גַּם־אַתְּ תִּשְׁכְּרִי Sic *etiam tu* o Ninive, *inebriaberis* irae divinae poculo, sicut et No-Amon de eodem bibit. Vid. de hac imagine not. ad Obad. 16. תְּהִי נַעֲלָמָה *Eris abscondita*, ignorata, ac si nunquam in orbe fuisses, ut in loco parallelo Obadiae Vs. 16.: *Bibent et absorbebunt*, וְהָיוּ כְּלוֹא הָיוּ *eruntque ac si nunquam fuissent*. Tolleris de medio, ita ut desinas esse in rerum natura. Alii: abscondes te prae metu et trepidatione. Hieronymus: „Dives quondam atque speciosa, quae tantos amatores habebas, *despicieris ab omnibus*.“ Is igitur *absconditam* accepit pro ea, quae sese prae pudore abscondat, uti solent qui cladem insignem acceperunt, aut dedecore aliquo affecti sunt, latere, non ausi prodire in conspectum hominum prae verecundia. גַּם־אַתְּ תְּבַקְשִׁי מָעוֹז מֵאוֹיֵב *Etiam tu*, quae a multis annis toti mundo fuisti terrori propter potentiam et tyrannidem tuam, jam in tua angustia *quaeres robur*, praesidium, *ab hoste*, i. e. auxilium et opem cogeris quaerere, ut inimicis resistas. Alii sensum hunc esse volunt: adeo in angustiis eris, ut ad eos, qui tibi vel aperti vel clandestini hostes sint, confugere coactus sis, et ab iis auxilium quaerere. Ita Hieronymus: „Et in tantam veniens necessitatem, ut a Babyloniis, sive contra Babylonios, ab inimicis tuis auxilium roges.“ Paulo aliter Grotius: „Salutem *ab hoste* posces, scil. deditione.“ Sed מֵאוֹיֵב ita esse capien-

capiendum, ut nos fecimus, docet fimilis loquendi formula Esr. VIII, 22. *Puduit me ab hofte petere exercitum et equites* לְעָזְרֵנוּ מֵאוֹיֵב בַּדָּרֶךְ *ad auxilium noftrum ab hofte*, i. e. contra hoftem, *in via*.

12. „Laudaverat poeta Vs. 8. 9. Diospolin tanquam urbem munitiffimam, et numerofiffimo Aegyptiorum et copiarum auxiliarium exercitu defenfam, quam tamen neque fitus natura feliciffimus, neque militum robur aut multitudo fatis tueri potuiffent. Igitur hanc ipfam aptiffimi exempli partem prudenter in fuos ufus convertens poeta declarat, vanam effe fiduciam, quam Affyrii in Ninives munimentis, in militibus fuis, et copiis etiam auxiliaribus collocaturi effent, quoniam haec omnia urbis totiusque imperii meritiffimum interitum avertere non poffent: atque hac in re verfatur usque ad vaticinii finem. In hoc autem Verfu imago eft, quae incredibilem paene facilitatem, qua moenia Ninives expugnanda effent, eximie ponit ob oculos. Comparantur illa cum ficubus maturis et praecocibus, quae ex arbore concuffa in os cadant ejus, qui eos comedere cupiat.“ Kreenen. כָּל־מִבְצָרַיִךְ תְּאֵנִים עִם־בִּכּוּרִים *Omnes munitiones tuae* erunt ficut *ficus cum praecocibus*, i. e. et praecoces fcil. fructus, עִם enim pro *et* fumitur interdum, ut 1 Sam. XVII, 42. אַדְמֹנִי עִם־יְפֵה מַרְאֶה *ruber et pulcher adfpectu*. Alii capiunt תְּאֵנִים de ipfis *arboribus*, minus apte. Ante hoc nomen fubaudienda comparandi particula כ, cf. not. ad Pf. LXXX, 11. De בִּכּוּרִים vid. ad Mich. VII, 1. אִם־יִנּוֹעוּ וְנָפְלוּ עַל־פִּי אוֹכֵל *Si quatiantur* arbores, *tum decidunt* fructus *fuper os comedentis*, i. e. ejus, qui illas quaffavit, ut fructus decidentes comedere poffit. Sic etiam munimenta tua omnia facile expugnabuntur, ut fine ullo negotio in hoftium poteftatem fis venturus. Hieronymus: „Omnia firmamenta tua, et muri in fublime porrecti, et altitudines turrium, quas nunc inexpugnabiles putas, et viri fortes bellatoresque tui, primitivis ficis comparabuntur, quae fi concuffae fuerint levi tactu, in os cadent devorantis.“

13.

13. הִנֵּה עַמֵּךְ נָשִׁים בְּקִרְבֵּךְ *En populus tuus*, milites tui, o Aſſyria, *mulieres* erunt *in medio tui.* Chaldaeus: חַלָּשִׁין כִּנְשַׁיָּא *infirmi ſicut mulieres* erunt, ut hoſtibus reſiſtere non poſſint. „עַם *populus* ex contextu ſaepe dicitur de *militibus*; ſic etiam Vs. 18., uti et Graecum λαὸς, Homeri *Iliad.* A. 10. et ſaepius alias. Comparantur hi milites cum mulieribus, quibus ſcilicet animo imbelli ſimiles ſe oſtenderunt. Eadem comparatione utitur Jeſajas XIX, 16. de Aegyptiis, et Jeremias L, 37. LI, 30. de Chaldaeis. Similiter Homerus *Iliad.* B. 235.

Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαΐδες, οὐκ' ἔτ' Ἀχαιοί.

O molles! mala probra, Achivae, non amplius Achivi! Et ad hujus imitationem Virgilius *Aeneid.* IX, 617.

O vere Phrygiae, neque enim Phryges! — —

In noſtro autem loco, ubi Nahumus effoeminatum animum exprobrat Aſſyriis, ſimul tangere videtur vitam mollem ac voluptatibus deditam, cui indulſerint Aſſyrii, et in qua nec opinati opprimendi eſſent.“ Kreenen. לְאֹיְבַיִךְ פָּתוֹחַ נִפְתְּחוּ שַׁעֲרֵי אַרְצֵךְ *Hoſtibus tuis aperiendo aperientur portae* urbium *terrae tuae*, quum milites tui effoeminati ſint atque imbelles, hoſtes facillimo negotio urbes tuas occupabunt. פָּתוֹחַ נִפְתְּחוּ *Aperiendo aperientur*, i. e. quaſi ſponte ſua, ſtatim ac ſine mora aperientur. שַׁעֲרֵי אֶרֶץ *Portas terrae* N. G. Schroederus, referente Kreenen, intellexit de anguſtiis ſeu faucibus, quibus per medios montes aditus in regionem clauditur aut aperitur. Verum *portae* hic commodius pro *portis urbium* regni Aſſyriaci capiuntur, ut Jerem. XV, 7. שַׁעֲרֵי הָאָרֶץ ſunt *urbes terrae.* Portis urbium et melius convenit quod additur: אָכְלָה אֵשׁ בְּרִיחָיִךְ *conſumet ignis vectes tuas*, quibus urbium tuarum portae ſunt communitae. Cf. Amos I, 5. et ibid. not.

14. Expugnatis ab hoſte urbibus minoribus futurum erit, ut Ninevitae ſuae urbi metuere incipiant, et munitiones ejus hic illic collapſas reſtaurare aggrediantur. Quibus

eorum

eorum conatibus illudit propheta, jubens per ironiam, ut reparent urbis munitiones quantocunque ſtudio voluerint, atque ad ſtrenuam defenſionem ſeſe accingant, quum certum ſit, omnia illorum molimina irrita fore: מֵי מָצוֹר שַׁאֲבִי־לָךְ *aquas obſidionis,* i. e. aquam in obſidione neceſſariam, *hauri tibi,* ciſternas tibi fac ſervandis aquis ne obſeſſis deſit potus; nam eo deficiente deditio protinus facienda eſt. Abarbenel: „Pergit propheta illiſurus illis: age Ninive, *aquas obſidionis hauri tibi,* i. e. para, quae populus cingendus obſidione parare debet; haurias aquas ad bibendum in obſidione, nam non licebit tibi urbe exire ad hauriendum aquas ex fontibus, ut bibas prae metu hoſtium.“ חַזְּקִי מִבְצָרָיִךְ *Firma,* refice *munitiones tuas,* propugnacula tua, ne facile capiantur ab hoſte. בֹּאִי בַטִּיט וְרִמְסִי בַחֹמֶר *Ingredere,* ſubige *lutum, et calca argillam,* ad lateres conficiendos, unde additur: הַחֲזִיקִי מַלְבֵּן *firma,* refice *officinam laterariam,* ad coquendos lateres, quibus urbs, ob lapidum inopiam, muniatur. Ita qui in planitie Sinear turrim aedificare moliebantur, *pro lapidibus lateres* adhibuiſſe narrantur Geneſ. XI, 3. Jarchi מַלְבֵּן notare ait *formam,* typum, cujus ope formandi ſint lateres, et הֶחֱזִיק uſitata *apprehendendi, manu tenendi* ſignificatione ſumit. Verum מַלְבֵּן *officinam laterariam,* aut *fornacem* in qua lateres coquuntur, notare, patet ex Jerem. XLIII, 9., ubi vates jubetur magnos lapides in מַלְבֵּן abdere. Et verbum הֶחֱזִיק de *reficiendis muris* dicitur Ezech. IX, 27. Nehem. III, 4. 5. ſeqq. Senſum hujus Verſus recte declarat Hieronymus: „Hauri igitur aquam, et cura, ne potus deſit obſeſſae munitioni [ſeu, ut Victorius legendum arbitratur: *muni turres,* quod ſi ſequaris poſt *obſeſſae* erit comma ponendum, et ſubaudiendum ex ſuperioribus: *civitati*], lateres confice, ut interrupta murorum ſtruas, prope eſt enim obſidio.

15. Sed quum illa omnia facturi ſitis magno ſtudio et nihil praetermiſſuri, quod ad urbem defendendam ſit neceſſarium, nihil tamen vobis proderit, nam שָׁם תֹּאכְלֵךְ אֵשׁ *ibi,* in ipſis munitionibus tuis (מִבְצָרָיִךְ Vs. 14.), *ignis de-*

vorabit te, o Ninive, incendio abſumentur munitiones tuae, injectis ab hoſte facibus. Sunt, qui *igne* intelligant hoſtes, qui ignis inſtar omnia conſumunt. Ita Chaldaeus: לְתַמָּן יֵיתוּן עֲלָךְ עַמְמַיָא דְתַקִיפִין כְּאֶשָׁתָא *ibi venient contra te gentes, quae fortes ſunt ſicut ignis.* תַּכְרִיתֵךְ חֶרֶב *Exſcindet te gladius.* Chaldaeus: יְשֵׁיצוּנֵיךְ קָטוֹלֵי חַרְבָּא *exſcindent te occiſores gladii.* תֹּאכְלֵךְ *Comedet te* ſcil. gladius; quum *os gladii*, פִּי חֶרֶב, appellare ſoleant Hebraei aciem ejus, eleganter hic *comedendi* verbo de illo utitur, uti ſupra II, 14. Vid. et 2 Sam. II, 26. כַּיָּלֶק *Sicut locuſta* olera depaſcit, ita te conſumet gladius. De יֶלֶק locuſtae ſpecie vid. not. ad Joel I, 4. Hieronymus: „Et quum haec omnia feceris, quaſi a brucho humus, ita a gladio devoraberis.“ Ad quae Hieronymi verba Victorius notat: „Eſt autem *bruchus* parva illa locuſta absque alis, nigra, gryllis vocalibus ſimillima, in terrae foraminibus ſeſe abdens, et ad paſtum egrediens, quam Reatini ab atro Maurorumque colore *morulam* vocant. Arrodit enim mirum in modum hujusmodi inſectum quicquid virens invenerit.“ Chaldaeus verba תֹּאכְלֵךְ כַּיָּלֶק ita exponit: יִתְכַּנְשׁוּן עֲלָךְ מַשְׁרְיָת עַמְמִין דְסַגִּיאִין כְּזַחֲלָא *congregabunt ſeſe contra te exercitus populorum, qui numeroſi ſunt ſicut locuſtae.* Minus recte, nam locuſtarum ſimilitudo hemiſtichio demum altero multitudinem, et quidem ipſorum Aſſyriorum, non hoſtium eorum, exprimit. הִתְכַּבֵּד *Multiplica te* modo, o Aſſyrie, nam verbum hic eſt *maſculinum*, uti ſequens de Ninive femininum. כַּיֶּלֶק *Sicut locuſta*, i. e. conſcribito exercitum numeroſiſſimum inſtar agminis locuſtarum. Cf. Joel I, 6. et ibid. not. הִתְכַּבְּדִי כָּאַרְבֶּה *Et multiplica te*, o Ninive, tam numeroſa et copioſa eſto civibus et militibus, quam ſunt locuſtae, quibus a *multitudine* (רָבָה) nomen eſt, quum nullum animal ſit foecundius. Cf. not. ad Exod. X, 15. Chaldaeus poſterius hemiſtichium quoque ad hoſtes Aſſyriorum refert; vertit enim: יַחְפּוּנֵיךְ כְּקַמְצָא יַחְסְלוּנֵיךְ כְּגוֹבָא *contegent te ut bruchus, abſument te ut locuſta.* Id ſequutus Jarchi, qui obſervat, הִתְכַּבְּדִי h. l. ſignificare tanquam *everriculo abſumere*, quo ſignificatu כַּבֵּר et הִתְכַּבֵּר a Talmudicis uſurpatur. Sed vete-

ribus

ribus Hebraeis ea notione verbum illud in ufu fuiffe merito dubitatur, quum nec in dialectis cognatis iftiusmodi fignificatus veftigium occurrat. — Steudel haud verifimile judicans, ut quos vates verbo mafculino הִתְכַּבֵּד alloquutus fit, eosdem ftatim verbo feminino הִתְכַּבְּדִי appellet, duabus locuftarum fpeciebus diverfos populos defignari exiftimat, videlicet fpecie יֶלֶק hoftes Affyriorum, per אַרְבֶּה vero Affyrios, ut hemiftichium pofterius ita fit vertendum: *multiplicat fefe* hoftis *ficut Jelek; multiplica te* modo, i. e. etiamfi te, o Affyrie, multiplices te *inftar Arbeh,* tamen expandet fe Jelek, ut in Verfu proximo fequitur; cf. not. ad Vs. fequ.

16. הִרְבֵּית רֹכְלַיִךְ מִכּוֹכְבֵי הַשָּׁמָיִם יֶלֶק פָּשַׁט וַיָּעֹף *Multiplicafti* quidem *mercatores tuos magis quam ftellas coeli,* fplendore et divitiis infignes, tamen evadent ficut *locufta,* quae fefe *diffundit, et* mox iterum *avolat,* ita etiam illi cum fuis mercibus, hofte appropinquante, aufugient. Sed Ludov. de Dieu verba יֶלֶק פָּשַׁט וַיָּעֹף ita exponit: ficut *bruchus exfpoliabit et avolabit.* „Senfus eft: ficut bruchus denudat agros eosque virore fuo, quo tanquam veftimento ornantur, quafi exuit, deinde avolat; ita hoftis, tanquam bruchus quidam, ornatiffimos tuos et praeftantiffimos viros, negotiatores nempe, quos plurimos habes, exuet, denudabit et fpoliabit, deinde abibit. Praeterita funt pro futuris. פָּשַׁט proprie eft *exuere, veftem detrahere et exfpoliare.*" Verum ex interpretatione priore, quae eft Hebraeorum plerorumque, hic Verfus melius congruet cum eo, qui proxime fequitur. Steudel fententiae fuae ad Vs. 15. enarratae convenienter pofterius hujus Verfus hemiftichium cum pofteriore Verfus praecedentis conjungere cenfet hoc fenfu: (etiamfi te, Affyrie, multiplices inftar Arbeh) tamen *expandet fe Jelek avolabitque* Arbeh, i. e. exercitus tuus, quantumvis copiofus, cedere cogitur hoftilibus copiis (quemadmodum Joel I, 4. in locum locuftarum Arbeh fucceffit Jelek); hemiftichio priori per parenthefin interjecto. Sed verbum וַיָּעֹף ad אַרְבֶּה fubaudiendum, nec hoc Verfu expreffum, referendum effe, nobis quidem parum verifimile eft.

17. מִנְּזָרַיִךְ כָּאַרְבֶּה *Coronati,* ſ. *diademate* (נֵזֶר) *inſignes tui,* i. e. principes, proceres tui, innumeri ſunt *ſicut locuſta.* Dageſch forte in litera נ vocis מִנְּזָרַיִךְ eſt euphonicum, ut in מִקְּדָשׁ Exod. XV, 17. Vocem Abarbenel cum Kimchio explicat: שָׂרִים אֲשֶׁר נֵזֶר וַעֲטָרָה עַל רָאשֵׁיהֶם *principes quorum capitibus diadema et corona ineſt.* Non differt igitur ſignificatu a נָזִיר Geneſ. XLIX, 26. Deut. XXXIII, 16. Vulgatus *cuſtodes tui* reddidit, quaſi מִנְּזָרַיִךְ idem eſſet quod מִנְּצָרַיִךְ, ob literarum ז et צ cognationem. וְטַפְסְרַיִךְ כְּגוֹב גּוֹבָי *Et duces tui ſicut locuſta locuſtarum,* i. e. ſicut ingens multitudo locuſtarum. Alii: *ſicut praegrandes locuſtae,* ad analogiam phraſium קֹדֶשׁ קֳדָשִׁים *ſanctitas ſanctitatum,* omnium ſanctiſſimus, Dan. IX, 24., aut רָעַת רָעַתְכֶם *ſumma malitia veſtra,* Hoſ. X, 15. Verum nil obſtat, quo minus et magnam copiam ea phraſi indicari exiſtimemus, quod rei magis eſt accommodatum. Vocis טַפְסְרִים ſingularis, טִפְסַר, occurrit Jer. LI, 27., ex quo loco non minus atque e noſtro intelligitur, eſſe *dignitatis* nomen, qualis vero, aut quaenam illius nominis ſignificatio, definiri vix poterit. Eſſe, per literarum metatheſin, idem quod Perſarum *Satrapa,* سِتْرَب *Sitrap,* eſt C. B. Michaelis conjectura ad laudat. Jeremiae locum, quem et Simonis ſuam fecit in *Arcano Formar.* p. 652., nec non J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1026. Quod tamen nimis lubricum. Buxtorfius in *Lex. Chald.* p. 905. nomen contractum exiſtimat ex טוֹפֵס שֶׁל שַׂר *typus,* vel טוֹפֵס *tenens, Locum tenens principis, vice-princeps, praefectus, gubernator, loco principis in aliquo loco conſtitutus.* Verum טוֹפֵס ſine argumento idoneo a Buxtorfio *tenens* vertitur. Nomen graecum autem, טוֹפֵס, τύπος, *typus,* dubito, num ad vocis jam a Jeremia uſurpatae explicationem adhiberi poſſit. N. G. Schroederus טִפְסַר *phalangem* notare exiſtimat, et coaluiſſe conjicit e טפס (طغس) *compingere,* et דסר (دسر) *denſum, craſſum eſſe,* ut *phalanx* nomen acceperit a *compacta militum denſitate,* qua in acie dis-

disponebatur, prout Arabes a تسر *phalangem densius constipatum* تُوسَّر appellant. Chaldaeus interpres utroque loco, quo occurrit, V. T. hanc vocem, ut vernaculam, retinet; atque in Targum Jonathanis Deuter. XXVIII, 12. est *angeli* nomen. Hebraeum טַף non solum *parvulos, infantes* significare, verum etiam *totam familiam*, apparet e 2 Chron. XX, 13. XXXI, 18. Videtur cum طَايِفَةٌ *turba hominum, agmen,* uti sono, ita significatu cognatum. Quare non absona fuerit conjectura, טַפְסַר proprie notare *agminis principem.* הַחוֹנִים בַּגְּדֵרוֹת בְּיוֹם קָרָה *Quae* locustae *considunt in maceriis* hortorum et vinearum *in die* tempore *frigoris,* hyeme, שֶׁמֶשׁ זָרְחָה וְנוֹדַד sed cum *sol oritur, tum fugit* quaevis illarum, omnes avolant, וְלֹא־נוֹדַע מְקוֹמוֹ אַיָּם *nec agnoscitur locus ejus,* uniuscujusque illarum, *ubi fuerint.* Bene Hieronymus sensum hujus Versus atque superioris declarat hoc modo: „Sed et cum multiplicata fueris ut bruchus, et ut locusta in unum pariter congregata, et congregaveris sicut astra coeli divitias tuas, sicut locustae et bruchus, et parva genimina locustarum, quae vocantur *attelabi*, sole incalescente, avolant, nec reperiuntur; sic tu dispergeris et fugies. Natura enim haec locustarum est, ut in frigore torpentes per calorem volitent.“ Consentit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. C. II. T. III. p. 276. edit. Lips. „Quasi diceret: tu quidem es urbs populosissima, ut incolae tui tibi videantur esse *locustis* numero pares, et *moenibus tuis* multi mercatores et principes asylum quaerunt, quomodo locustae in sepibus, quum frigent. Sed non est, quod confidas tam numerosae multitudini, aut horum mercatorum opibus, vel principum et ducum tuorum viribus intumescas. Quippe, orto sole locustae avolant, et sepem eam deserunt, quae in tempore frigoris pro suffugio ipsis fuerat; sic populi, mercatores, principes, qui, cum res tulit, ad moenia tua confugerant, quamprimum rei alibi melius gerendae occasio ac spes affulgebit, unanimi consensu te ita derelinquent, ut ne minimum quidem illorum supersit vestigium.“

18.

18. „Quum poeta antea Vs. 13. principibus ac ducibus Aſſyriorum exprobraſſet animum effoeminatum et in graviſſimis periculis ſecurum, unde de ipſa urbe defendenda nimis ſero cogitaturi eſſent (Vs. 14.), hic, ſermone ad ipſum poſtremum Aſſyriorum regem directo, eandem inertiam, eandem ſecuritatem iis objicit, utpote quae urbis ſimulque univerſi imperii ruinam non trahere non poſſet. Itaque univerſam Aſſyriorum militiam comparat cum grege, qui paſtoribus dormientibus ſine ordine per montes oberrat, et cui adeo, cum improbis adeſt periculum, miſere pereundum eſt.“ Kreenen. נָמוּ רֹעֶיךָ מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Dormuerunt paſtores tui, o rex Aſſyriae*, negligenter ſe geſſerunt praefecti et duces tui, eos enim paſtorum imagine ſiſti, notum, vid. e. c. Jerem. XXII, 22. et not. ad Ezech. XXXIV, 2. יִשְׁכְּנוּ אַדִּירֶיךָ *Cubabunt*, quieſcunt per ſomnum, *magnifici tui*. Verbum שָׁכַן h. l. et Pſ. XVI, 9., ut Arabicum سَكَنَ de *quiete nocturna* intelligendum. Cf. A. Schultens *Animadverſſ. philologg.* ad h. l. Verba נוּם et שָׁכַן quidam interpretes intelligunt de *ſomno* et *quiete mortis*, de qua verbum שָׁכַן et Pſ. VII, 6. dicitur, ut ſenſus ſit, occiſis gladio hoſtili ducibus et praefectis exercitus regis Aſſyrii, fore ut totus exercitus diſſipetur et peſſum eat. Sed magis ad rem accommodatum videtur, de procerum, quorum curae reipublicae ſalus concredita erat, ſumma incuria et ſecordia cogitare. נָפֹשׁוּ עַמְּךָ עַל־הֶהָרִים וְאֵין מְקַבֵּץ *Diſperſus eſt populus tuus ſuper montes, et nemo eſt qui colligat*, milites tui diſperſi more ovium errantium, et quae paſtore carent, et nullus dux ſupereſt, qui diſperſos in agmen recolligat. Eadem imago Jeſ. XIII, 14. Ad נָפֹשׁוּ Lud. de Dieu haec notat: „Ponitur hic pro נָפֹצוּ, quod mirum videri non debet, quum ejusdem ea ſint pronunciationis. Hebraei enim נָפֹשׁוּ non pronunciant *Naphoſchu*, ſed *Naphoſu*, neque נָפֹצוּ pronunciant *Naphotſu*, ſed etiam *Naphoſu*, et ſic paſſim apud Orientales שׁ et צ per ſimplex *S* efferuntur.“ Jarchius quoque jam longe antea נָפֹשׁוּ idem eſſe quod נָפֹצוּ obſervaverat, literis ejusdem organi

gani (dentalibus) inter ſe permutatis. Exſtant penes De-Roſſium duo codices, in quibus נפצו eſt ſcriptum. A. Schultens in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l. (*Opp. minn.* p. 345.) noſtrum נָפֹשׁוּ refert ad radicem נָפַשׁ, نغش, quam Arabibus oſtendit uſurpari de *gregibus ſine paſtore divagantibus.* Tum vero נָפְשׁוּ ſcribi debuiſſet. Hieronymus: „Cunctis principibus interfectis, qui reſiſtere poterant adverſariis, reliquus populus tuus imbellis et ignobilis diſperſus eſt in montibus, et nemo de ducibus inveniri poteſt, qui congreget eos, et de collectis rurſum cogat exercitum "

19. אֵין כֵּהָה לְשִׁבְרֵךְ *Non eſt ſanatio fracturae tuae,* ruina tua irreparabilis eſt. De nominis כֵּהָה ſignificatu non plane conſentiunt interpretes. Chaldaeus: לֵית דְּכָאֵב לֵיהּ עַל תַּבְרָךְ, totidemque verbis Syrus: ܘܠܝܬ ܕܟܐܒ ܠܗ ܥܠ ܬܒܪܟܝ *non eſt, cui doleat ob fractionem tuam,* quia omnes gaudent de ruina tua, ut mox in altero hemiſtichio dicitur. Sane nomen כֵּהָה de *ſpiritu hebete,* i. e. de *animo perculſo et triſti* ponitur Jeſaj. LXI, 3., ut radix Arabica كهي inter alia denotat *imbecillis, puſillanimis et meticuloſus fuit,* et Chaldaicum כְּהָה in Aphel, *doluit, dolore adfectus fuit.* Coccejus *mitigationem* interpretatur, proprie *hebetationem* notare exiſtimat, ut minus acris ſit et vehemens dolor. Hebraei רְפוּאָה *curationem, ſanationem* vulneris interpretantur, a *corrugandi* notione, quam hebraeo כֵּהָה tribuunt, quod cum incipit ſanari vulnus, tunc cutis circumcirca corrugatur. Ita Levit. XIII, 6. כֵּהָה הַנֶּגַע de plaga quae ſanari incipit dicitur. Ita h. l. LXX: Οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου, quod Arabs ſic reddidit: وليس شفا لانكسارك *nec eſt medela fracturae tuae.* Quo ſenſu ſi verba accipias, optime conveniunt iis, quae ſtatim ſubjuncta ſunt: נַחְלָה מַכָּתֵךְ *aegra,* aegerrima, *peſſima* (ut recte Hieronymus) eſt *plaga tua.* Ita Chaldaeus: מַמְרְעָא מַחְתָּךְ

מַחְלָתֶךָ *aegra eſt plaga tua,* quomodo eandem phraſin reddit Jerem. X, 19. LXX: Ἐφλέγμανεν ἡ πληγή σου. GROTIUS: „*Inflammata* vulnera ſolent exitium adferre. Quaſi dicat: quum Ninus ſit dedita, milites diſperſi, duces torpidi, nonne vides periiſſe res tuas ſine remedio?" Ceterum ad *regem* Aſſyriae hoc Verſu orationem converti, non ad *urbem*, ut Vſs. 11 — 17., docent ſuffixa maſculinae perſonae ſecundae, pro quibus Kreenen ſine neceſſitate feminina reponenda exiſtimat. כֹּל שֹׁמְעֵי שִׁמְעֲךָ תָּקְעוּ כַף עָלֶיךָ *Omnes audientes famam tuam plaudent manibus,* quicunque audierint famam cladis tuae ſummo gladio afficientur. שִׁמְעֲךָ, proprie *auditio tua,* hic eſt *quod alii de te audiunt,* fama cladis tuae, ut Jeſ. XXIII, 5. שֵׁמַע צֹר eſt *fama ruinae Tyri. Complodere manus* eſt geſtus laetantium, vid. Pſ. XLVII, 1.; quare recte Chaldaeus hic addidit: חֲדַיאִן *gaudent,* Cf. Jeſaj. LV, 12. כִּי עַל־מִי לֹא־עָבְרָה רָעָתְךָ תָּמִיד *Nam ſuper quem non transiit malitia tua ſemper?* Nullus eſt populus, qui non fuerit a te vexatus continenter, quem non aſſiduis malis et incommodis affeceris. Quocirca quicunque certiores fient de clade tua, plaudent manibus laetantes. HIERONYMUS: „Omnes qui Niniven ſubrutam, et Aſſyrium regem ſuperatum audierint, et potentiſſimam urbem et regem, dominatorem quondam urbis [alii: *orbis*] vulneratum, et jacere ſeminecem et in ſuo ſanguine volutari, vel ſtupebunt propter rei magnitudinem et inſperatum nuncium, et comprimentmanus ſuas, vel certe prae magnitudine gaudii inſultantes, tibi applaudent manibus, et quodam gaudii ſtrepitu concrepabunt. Nullus enim eſt, qui poſſit ſuper te dolere, et everſioni et vulneri tui donare lacrymas, quia nullus eſt, ſuper quem tua malitia non ſemper transierit."

CAP.

CAP. III.

1. *Heu urbs ſanguine paſta, eheu urbs ebria caede!*
Eque meris conflata dolis, et fraudibus apta,
Ex rapto vivens, convectis plena rapinis,
Quae praedas agere et rapere haud ullo tempore omittis,
2. *Horribilem ſcuticae ſtrepitum, qui verberet auras,*
Mox audire tibi dabitur, ſonitumque rotarum,
Quemque edet ſonipes, dum percutit ungula campum,
Auriga et quem ſubſultans, agitante, quadriga.
3. *Cernere erit gladium flammantem, haſtamque coruſcam ut*
Vibret eques ſublimis, ut edita maxima ſtrages
Dimittat leto innumeros, et ut undique plena
Arva cadaveribus denſis conſtrataque conſtent,
Corpora corporibus, dum ſe per mutua trudent,
Impingent, ſeſeque evertent, neſcia finis.
4. *Quandoquidem nullo ſcortatio tecta pudore*
Eſt tibi jam longo patrata in tempore crebra,
Blanda, venuſta nimis, meretrix, cui gratia formae
Eſt incredibilis, ſcelerum quae mira magiſtra,
Incantare hominum noſti, ac pervertere mentes,
Mancipiorum inſtar gentes quae vendere ſueſti
Scortando, ad libitumque domos mutare vetuſtas,
Praeſtigiis captas dementatasque ſtupendis.
5. *Ecce ad te venio tandem (vox certa Jehovae eſt,*
Cui rerum natura ad nutum militat omnis)

Utque

Utque tuum eſt meritum, partes nudata pudendas
Proſtabis, tibi detracto velamine per me,
Sublatamque alte diducet ſimbria veſtem.
Gentibus oſtendam tua probra et crimina cunctis,
Atque ignominiam patefactam regna videbunt.
6. *In te projiciam (et merito) foediſſima quaeque*
Stercore pollutamque olido coenoque lutoque
Exemplo ſtatuam, quod cernens quisque pius ſit,
Juſtitiamque colat fugiens injuria facta.
7. *Tunc abs te longe fugient quicunque videbunt*
Ac dicent: actum eſt! vaſtata et perdita Nini
Urbs, proſtrata ſolo, lapidum ſpectatur acervus!
Alloquio quis eam ſolabitur? heu, ubi quaeram
Conſolatores, queis tanta aerumna levetur?
8. *Num ſperes demens, fore, uti melior tua ſit ſors,*
Quam No-Ammonis populoſae, quae ſedet inter
Flumina, tum circumfuſis incingitur undis
Communita mari, quod mari huic ſufficit inſtar,
9. *Chuſaei quamvis validi atque Aegyptia turba*
Fine carens numeroque, Afri Libyesque propinqui
Suppetias tulerint tibi, et auxiliaribus armis
Adfuerint, bellum cum rege potente gerenti;
10. *Haec quoque deportata fuit, captivaque ducta*
Migravit moerens, aliis ceſſitque colonis.
E gremiis matrum crudeli a milite rapta,
Et ſaxis impacta, viarum compita turba
Parvula conſperſit cerebro ſanieque ſluente.
Tantus honor nullius erat, quin ſortis adiret
Arbitrium, addictus, unius ſors eſſe jubebat.
Magnates boiis omnes manicisque revincti
Ferratis, legem belli gemuere dolendam,
11. *Tu quoque, crede mihi, praegrandis erit ebria luctu*
Praeque pudore latens non conſpicére metuve.
Hoſtis erit, tua quem tibi mens ſperabat amicum
Auxilium implorans, et quaerens robur ab ipſo.

12. *Qua-*

12. *Qualis amat leviter ficus concussa subinde*
Praecoqua decidere, et quatienti se comedendam
Praebere, haud aliter male propugnacula firma
Ariete vix tangente cadent ingente ruina.
13. *Femineos animos populi queiscunque habitaris*
Induerunt, portasque patentes hostibus ultro
Esse suis dederunt; consumtis vectibus ignis
Saeviit in medios, omnemque viam interclusit.
14. *Obsidionales undas haurire memento*
Ut durare queas; tua propugnacula muni:
Calcatum subigensque lutum lateres eoque firmos,
Fornacem instaurans Ita tempora tristia poscunt.
15. *Hic ipsi incumbentem operi vagus hauriet ignis,*
Hosticus exscindet gladius, teque ore vocabit
Haud secus ac bruchus teneras deruncinat herbas
Aut olera, et labem campis atque invehit hostis.
Ut te multiplices bruchi de more volantis,
Densa locustarum aut qualis vis ingruit agris,
Nil tamen efficies, vincetque potentior hostis.
16. *Mercatorum in te numerosum funditur agmen,*
Quale micat coelum stellis ardentibus aptum,
Quarum nemo unquam numerum subducere possit.
Grassatus simul est bruchus, mox avolat herbis.
17. *Principibusque tuis simile ingenium atque locustis,*
Et ducibus qualis praegrandibus esse locustis
Mos solet; hae cum frigidior forte horruit aura,
In sepes se abdunt, velut hybernis latitantes:
At quando incipiunt terrae orto sole calere,
Diffugere omnes, ut nec locus amplius ullus
Agnosci possit, fuerint qua parte moratae.
18. *Ferreus incubuit somnus pastoribus, o rex*
Assyriae, quibus imperium tibi constitit olim:
Magnates cecidere tui, et jam in montibus errat
Dispersus populus, quasi grex custode remoto,
Nec quisquam est, qui relliquias unire vagantes
19. *Aut velit aut possit. Tam est irreparabile damnum,*

Tam

Tam ruptura tua eſt nullo ſanabilis aevo,
Impoſitumque tibi eſt adeo immedicabile vulnus.
Nec ſatis hoc poenae eſt. Quotquot diriſſima fata
Haec tua cognorint fando, hos miſeratio tanget
Nulla tui prorſum, quia laeto jubila plauſu
Teſtati, merito perpeſſam iſta omnia dicent,
Judicia agnoſcentque Dei juſtiſſima, quando
Quae quis patrârit patitur. Sic talio poſcit.
Namque quis eſt populus, quem non vexaveris ipſa
Continue, aſſiduisque malis afflixeris ante.

IN HABACUCUM PROOEMIUM.

De Habacuci patria et aetate nihilo certiora, quam de Nahumo aliisque pluribus vatibus Hebraeorum proferre possumus. Quid vestigando tamen et scrutando reperire queamus, experiamur. Primae Chaldaeorum in terram Judaicam irruptionis tempore Nostrum aetatem egisse intelligitur ex illis, quae I, 5. 6. leguntur: *Adspicite per gentes, et cernite admirabundi, quoniam fiet opus* v e *s t r o   t e m p o r e*, *quod vobis dictu videatur incredibile. Nam ego Chaldaeos suscito, acerbam festinamque gentem, vadentem quam late terra patet, ad occupandas habitationes non suas.* Chaldaeos tum non longe antea emersisse, rerumque potitos esse illud arguit, quod illorum irruptionem *rem incredibilem* vocat, illosque tum primum Hebraeis innotuisse, inde colligitur, quod vates ipsorum mores accuratius describit, quam ut hostis jam diu noti mores ac indoles describi solent. Jam quum in Hebraeorum monumentis nulla ante Jojakimi tempora hostium Chaldaeorum mentio fiat [1]),

ſiat [1]), haud longe a vero aberrabimus, ſi primum ſaltem noſtrorum vaticiniorum Caput Jojakimi aetati aſſignemus. Quod ut faciamus et illud nos movet, quod tum, cum vates quae Verſibus 12. et 13. Cap. I. legimus [2]) ſcriberet, Judaea quidem eam, quae 2 Reg. XXIV, 2. memoratur, Chaldaeorum invaſionem experta eſſe videtur, ſpei tamen adhuc locus relictus fuit, rempublicam Judaicam non penitus everſum iri. Quae vero Cap. II. de Chaldaeorum alienas terras invadendi cupiditate, eorumque in devictos populos tyrannide exſtant querimoniae, Jechoniae tempori, quum Chaldaeorum potentia magis invaluiſſet, eorumque ſaevitiae Judaeae quoque graviſſima vulnera inflixiſſet, rege proceribusque e patria abductis, atque terra vaſtata et expilata [3]), magis videntur convenire. Denique quod Capite III. continetur carmen, quo vates Jovam ardentiſſimis precibus orat, ne populum ſibi electum penitus perdi ſinat, ipſo illo tempore, quo urbs Hieroſolymitana a Chaldaeis per triennium

---

1) 2 Reg. XXIV, 1. ſeqq.

2) *Nonne tu antiquus es, Jova, mi ſancte Deus? Non moriemur! Tu, Jova, eum* (Chaldaeum) *poenae deſtinaſti; tu, o numen, eum ad puniendum fundaſti. Qui purioribus es oculis, quam ut ſcelus videas, nec adſpicere facinus potes.*

3) 2 Reg. XXIV, 10. ſeqq.

nium dura obſidione premeretur [4]), effuſum crediderim. E quibus omnibus conficitur, Habacucum triſtiſſimis ſub Jojakimi, Jojachini et Zedekiae temporibus vitam egiſſe [5]). Quocum congruit, quod vetus fama in apocryphis Danielis additamentis [6]) ſervata Habacucum tradit cibaria ad Danielem inter leones jacientem, ab angelo vectum, detuliſſe. Quod vates noſter in apocrypha

---

4) 2 Reg. XXV, 2. 3.

5) Huic ipſi aetati Habacucum aſſignant quoque J. C. Friedrich in Commentatione quae inſcribitur: *Hiſtoriſch-kritiſcher Verſuch über Habakuks Zeitalter und Schriften*, in *Biblioth. Literat. bibl. univ.* ab Eichhornio curat. P. X. p. 379. ſeqq., et A. C. Ranitz *Introduct. in Habacuci Vaticinia* (Lipſ. 1808.) p. 17. ſeqq. Hieronymus in *Prologo* ad Commentar. in Habac.: „Illud quoque diſce, prophetiam eſſe contra Babylonem, et Nabuchodonoſor regem Chaldaeorum, ut quomodo prior propheta Naum, quem Abacuc ſequitur, vaticinium habuit contra Niniven et Aſſyrios, qui vaſtaverunt decem tribus, quae vocabantur Iſrael, ita Abacuc prophetiam habeat adverſus Babylonem et Nabuchodonoſor, a quibus Juda et Jeruſalem templumque ſubverſa ſunt. Et ut ſcias, eo tempore fuiſſe Abacuc, quo jam duae tribus, quae vocabantur Judas, ductae erant in captivitatem, Daniel docere te poterit, ad quem in lacum leonum Abacuc cum prandio mittitur: quanquam apud Hebraeos haec ipſa non legatur hiſtoria. Igitur ſive quis recipit Scripturam illam, ſive non recipit, utrumque pro nobis eſt: aut enim recipit, et jam poſt factam rem liber Abacuc texitur: aut non recipit, et quaſi propheta ſcribit, qui ventura cognoſcit."

6) In Graeca Alexandrina verſione XIV, 32.

pha Danielis appendice [7]) *filius Jeſu de tribu Levi* dicitur, in medio relinquimus. Nec magis curamus, quae Pſeudo-Epiphanius atque Dorotheus de Habacuco tradunt, omni fundamento deſtituta [8]). Ad argumentum potius hujus libri contemplandum nos convertimus.

Totus hic liber verſatur tam in querimoniis de Chaldaeorum ferocia, inſolentia atque tyrannide, quam in praeſagiendis poenis, quae illos maneant, quod ſe immitius et iniquius gererent in populum, quem Jova ſibi peculium elegerat. Quae ſingula ita perſequitur vates, ut in medias res rapiens lectores, ſtatim in exordio oculis eorum repraeſentet tumultus bellici et everſi ordinis et ſtatus civilis triſte ſpectaculum, hoſtiumque humanas divinasque leges migrantium furorem, cujus adſpectu ipſius poetae animus maxima perculſus fuerat moeſtitia [9]). Tunc ſurgit vatis mens ad divini numinis contemplationem, in eaque aliquantum requieſcit, dum Deum cogitat, qui ferre inſanos hoſtium conatus aequo animo, illorumque injurias inultas tolerare nequeat [10]). Cap. II. eorum, qui imminentis exitii metu

---

7) XIV, 1. Ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ, υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευί.

8) Collecta illa reperies in J. G. Carpzovii *Introduct. in libros canonicos V. T.* p. 398. ſeqq.

9) I, 2—14.

10) I, 12—17.

metu perculsi meliora tempora fere desperarent, animos erigit oraculoque divinitus accepto, quo vana futura esse barbarorum et rebellium molimina, edocet, numinisque praesidium piis ejus cultoribus promittit [11]). Quo in loco exornando mire sibi placens poeta, depingit ferocientis victoris interitum, poenasque illi eo consilio inferendas, ut omnibus appareat, Jovam scelera aversari, eumque solum pie colendum esse, frustra ab idolis auxilium exspectari, Jovam vero omnia, quae gentibus barbaris minatus sit, certissimo eventu comprobare, ejusque voluntati universam rerum naturam obsequentem se praebere [12]). Subjungitur Cap. III. carmen, in quo timoris et spei, angoris et fiduciae affectus ex argumento eorum, quae in superioribus vaticiniis poetae mens praesagierat, mire alternant, denique tamen firma auxilii divini fiducia omnes dubitationes vincit, atque vates futurae salutis spe confirmatus in laudes Jovae effunditur [13]).

Carmina, quae hoc libro continentur, prophetica, dramatico schemate vestita, prophetae cum Deo mutua colloquia referunt, in quibus vates piorum suae gentis personam sustinens, eorum cogitationes et querelas Jovae judici quasi cum

11) II, 1—4.

12) II, 5—20.

13) III.

cum expoſtulatione proponit. Hinc eum audias concitatius loqui ſub initio, rationes divinae gubernationis a Jova exigere, et cur tantum impiis permittat conqueri. Stylo utitur pro rerum ac inſtituti diverſitate vario, gravi tamen, puro, terſo, conciſo, atque argumenti, quod tractat, indoli ſic attemperato, ut verba ſenſui reſpondeant, et nunc humillimae ſupplicationi, nunc graviſſimae denunciationi, nunc laudibus, quibus divina in Iſraelem collata beneficia extollit, exacte congruant. Quidquid Hebraeorum dicendi genus habuerit vehemens, grande, magnificum, id vatem noſtrum aſſequutum eſſe, nemo negaverit [14]).

Subjungimus, more noſtro, elenchum eorum, qui Habacuco explanando peculiarem operam dicarunt.

R. Abarbenelis *Rabbinicus in Habacuc Commentarius Latine redditus a* Joa. Dider. Sprechero. Helmſtad. 1709. in octon.

Der Prophet Habacuc ausgelegt durch Mart. Luther, Vitembergae, 1526. in quatern.

Er-

14) Ingenium noſtri poetae et quae ejus ſtylo ſint priva, poſt Eichhornium (*Einleitung in das A. T.* P. III. p. 294. edit. ſec.) pluribus expoſuit S. F. G. Wahl in Prooemio in Habacucum hebraice editum, atque verſione et annotationibus illuſtratum, p. 27. ſeqq.

Erfordiae eod. anno, in octon. Eſt in Lutheri Operibus germanicis Viteberg. editt. T. V. p. 335. Jenenſ. T. III. p. 246. Altenburg. T. III. p. 418. Lipſ. T. VIII. p. 462. Halenſ. T. VI. p. 3090. Latine, interprete *Joa. Lonicero*, prodiit hac epigraphe: *Habacuc propheta cum adnotationibus Mart. Lutheri*, Argentorati, 1526. in oct. Exſtat in Lutheri Operr. latt. Viteberg. editt. T. IV. p. 484. Adde, quae de hoc Commentario praefatus eſt Joa. Georg. Walch ad Opp. germanicor. Lutheri edit. Halenſ. T. VI. p. 29.

Wolfgangi Fabricii *Capitonis Enarrationes in prophetam Habacuc*, Argentorati, 1526. in octon.

Joa. Jac. Grynaei *Hypomnemata in Habacuc*, Baſileae, 1582. in octon. Cujus etiam exſtat *Commentarius in Haggaeum, Obadiam et Habacuc*, Genevae, 1581. in octon.

Anton. de Guevara *Commentarius et ecphraſis in Habacuc prophetam, et in Pſalmos Davidicos breves annotationes*. Madriti, 1585. in quat. ibid. 1593. fol. Auguſt. Vindelicor. 1603. Antverp. 1609. in quat.

David. Chytraei *Lectiones in prophetiam Habacuc*, in ejusd. Opp. T. II. Lipſ. 1592. fol.

Anton. Agellii *Commentarius in prophetam Habacuc*, Antverpiae, 1597. in octon.

Helvici Garthii *Commentarius in prophetam Habacuc*, Vitemb. 1605. in octon.

Ildephonsi de Padilla *in Habacuc prophetam Commentaria, adnotationes ad literam et discurſus ad mores complectentia.* Madriti, 1657. in quat. duob. volumm. Sulzbaci, 1674. quat. Rom. 1702. fol.

Matthiae Haffenrefferi *Commentarius in Nahum et Habacuc,* Stutgardiae, 1663. in octon.

Salom. van Till, Theol. Dordraceni, *Phosphorus propheticus, ſeu Moſis et Habacuci vaticinia, novo, ad iſtius Canticum, et hujus librum propheticum, commentario illuſtrata, et cum juſta rerum hiſtoria accuratius collata, hisce accedit Diſſertatio paradoxà theologico-chronologica de anno, menſe et die nati Chriſti.* Lugd. Batav. 1700. in quat.

Henrici Esch, Dieners am Wort Gottes in der Herrſchaft Mörmpter, *gründliche Erklärung des Propheten Habacucs, in welcher gezeigt wird ein Abriſs von dem Reiche Chriſti unter den ſieben Zeiten des Neuen Teſtaments verglichen mit der Offenbarung Johannis.* Weſel, 1714. in quat.

Joa. Georg. Abichtii *Adnotationes ad vaticinia Habacuci prophetae,* Vitemberg. 1732. in quat.

Jo. Gottl. Kalinsky *Vaticinia Habacuci et Nahumi illuſtrata* etc., vid. ſupra p. 230.

Die

Die Weiſſagung des Propheten Habakuks, überſetzt und mit Anmerkungen erläutert von FRIEDR. MONRAD. *Aus dem Däniſchen überſetzt von Joh. Phil. Engelbrecht.* Göttingen, 1759. in octon.

Habakuk, vates olim hebraeus, inprimis ipſius hymnus denuo illuſtratus. Adjecta eſt verſio theodisca (Auct. CHRIST. GOTTL. PERSCHKE). Frcof. et Lipſ. 1777. in octon.

JO. MELCH. FABER *Commentatio critica in loca quaedam Habacuci prophetae.* Onoldi, 1779. in quat. Ejusdem Continuatio, ibid. eod. anno.

Habakuk der Prophet nach dem Ebräiſchen Text, mit Zuziehung der älteren Ueberſetzungen, übertragen und erläutert von BEDA LUDWIG. Frankf. 1779. in octon.

Habakuk, neu überſetzt, nebſt einer Einleitung, philologiſchen, kritiſchen, exegetiſchen und äſthetiſchen Anmerkungen, einer neuen Recenſion des Original-Textes und einem Anhange beſonderer philologiſch-kritiſcher Abhandlungen, von SAM. FRIEDR. GÜNTH. WAHL. Hannover, 1790. in octon.

Chabacuci vaticinium, commentario critico atque exegetico illuſtratum; ſpecimen novae verſionis omnium prophetarum minorum, auctore BERGER POSCHOLAN KOFOD. Havniae, 1792. in octon.

Jo.

Jo. Ad. Tingstadii *Animadversiones philologicae et criticae ad vaticinia Habacuci*, Upsal. 1795. in quat.

Frid. Plum *Observationes* etc. vid. Vol. II. p. 267.

Henr. Car. Alex. Haenlein *Symbolae criticae ad interpretationem vaticiniorum Habacuci.* Erlang. 1795. in octon. Repetitae ante *Epistol. Judae* auctoris *commentario critico atque perpetua annotatione illustrat.*, Erlang. 1799. et 1804. in octon.

Die Visionen Habakuks neu übersetzt mit historischen und exegetisch-kritischen Anmerkungen. Nebst einer Abhandlung über den Prophetismus der alten Welt, und insbesondere der biblischen Propheten, von G. C. Horst, Prediger zu Lindheim in der Wetterau. Gotha, 1798. in octon. Cf. Ejusd. Commentat. super Habacuco ejusdemque vaticiniis in *Museo theolog.* ab Henkio instructo, T. I. P. I. 1803.

J. C. Friedrich *historisch-kritischer Versuch über Habakuks Zeitalter und Schriften. In der Allgem. Biblioth. der bibl. Literat. herausgeg. von* J. C. Eichhorn P. X. p. 379. seqq.

Introductio in Habacuci Vaticinia, auctore Aug. Car. Ranitz. Lips. 1808.

Chabakuk, aus dem Ebräischen übersetzt von Gottl. Euchel, Copenhagen, 1815. in oct.

Haba-

Habakuk, neu übersetzt und erläutert von D. Carl Wilh. Justi, Leipz. 1821. in octon.

Der Prophet Habacuc mit einer wörtlichen und einer freien metrischen Uebersetzung, einem vollständigen philologisch-kritischen und exegetischen Commentare; nebst einer Einleitung über den ersten Fortgang der hebräischen Poesie, über Metrik, Weissagung u. s. w., von Abrah. Alex. Wolff, Darmstadt, 1822. in octon.

HABA-

HABACUC.

Cap. I.

ARGUMENTUM.

Moestus deplorat propheta reipublicae Judaicae calamitatem, queritur de violentia et injuria, populo ab hostibus inflicta, opemque divinam ardentissimis precibus implorat Vs. 2—4., jamque Deum majora adhuc mala populo per hostes barbaros, regnaque ubique evertentes, infligenda esse, tristis auguratur, atque ferociam Chaldaeorum, omnia vastantium, omniaque divina humana proterve spernentium vividis imaginibus depingit, Vss. 5—11. Sed ipsa haec victorum insolentia et sacrilegia temeritas ad Deum convertit poetae animum, eumque spe erigit fore, ut Jova impatiens injuriae genti sibi sacrae illatae, auxilium afflictis ferat, neque permittat, ut cultores veri numinis prorsus exstirpentur, atque barbarorum superstitio victoriis porro propagetur, Vss. 12—17.

---

1. De מַשָּׂא *Effato* vid. not. ad Jes. XIII, 1. אֲשֶׁר חָזָה vid. not. ad Jesaj. I, 1. De nomine חֲבַקּוּק haec observat Hieronymus in Prologo: „Scire nos convenit, corrupte apud Graecos et Latinos nomen *Ambacum* prophetae legi, qui apud Hebraeos dicitur *Abacuc*, et interpretatur *amplexus*, sive, ut significantius vertamus in Graecum, περίληψις, id est, *amplexatio*. Qui vel ex eo quod amabilis Domini

est

eſt vocatur *amplexatio*, vel quod in certamen et luctam et, ut ita dicam, amplexum cum Deo congreditur, *amplexantis,* id eſt, *luctuantis* ſortitus eſt nomen. Nullius enim tam audaci voce auſus eſt Deum ad disceptationem juſtitiae provocare, et dicere ei: cur in rebus humanis et in mundi iſtius πολιτείᾳ tanta rerum verſatur iniquitas?" Deſcendit quippe nomen חֲבַקּוּק (formae שַׁעֲרוּר *maxime horridus*) a חָבַק quod in Piel eſt *amplecti.* Geminus vero quum detur amplexus, hoſtilis alter luctatorum, alter amicus et ſuavis, qualis parentum eſt, tenero liberos ſuos affectu proſequentium, hinc duplex illa Hieronymo enata eſt vocis explicatio. Et priorem quidem tuetur etiam Abarbenel, qui in Praefatione ad ſuum in Ezechielem Commentarium id nominis obtigiſſe tradit prophetae *quia rationibus validis ſuam cauſam adſtruxit, et cum Deo contendit de proſperitate Nebucadnezaris,* כְּאִילּוּ הָיָה מִתְחַבֵּק עִם הַשֵּׁם לְרִיב עַמּוֹ *quaſi eſſet conjunctus cum Deo ad contentionem populi ſui.* Sed praeſtat haud dubie poſterior, quae et magis congrua eſt verbo, ut a parentibus iſtud nomen Noſtro eſſet fauſti ominis cauſa impoſitum. Cur enim cum Wahlio et Horſtio חֲבַקּוּק pro nomine ſymbolico aut myſtico habeamus, quod propheta ſibi tribuiſſet cum munus propheticum in ſe ſuſciperet, nulla ratio idonea exſtat.

---

2. In medias rapiens res lectorem vates ſtatim initio erumpit in querimoniam ſive expoſtulationem cum Deo, admiratus, cur populo ſuo oppreſſo atque vim ab hoſte patienti non opituletur. Induit propheta perſonam vulgi, rationis, qua Deus gubernare ſolet res humanas, ignari. עַד־אָנָה יְהוָה שִׁוַּעְתִּי וְלֹא תִשְׁמָע אֶזְעַק אֵלֶיךָ חָמָס וְלֹא תוֹשִׁיעַ *Quousque, Jova, vociferabor* ad te, *et* me clamantem *non exaudis? quousque clamabo ad te? violentia* exercetur, *nec* tamen *eripis* ex hoſtium manu. Sunt, maxime inter Chriſtianos interpretes, qui hoc Verſu et duobus proximis vatem queri exiſtiment de ſui populi moribus corruptiſſimis, vim

vim jure ſuperiorem eſſe, ſanctiſſimasque juſtitiae et aequitatis leges perverti; quam ob cauſam graviſſima ſupplicia per hoſtes feroces et barbaros ei infligenda inde a Verſu 5. minetur. Verum quum nominibus חָמָס et עָמָל hoc Verſu et proximo uſurpatis, infra Vss. 9. et 13. aperte hoſtium violentia et tyrannis ſignificetur, illa nec alio ſenſu hic capienda eſſe arbitramur. Multum, ſi quid ſentio, ita accedet elegantiae totius carminis ſtructurae. De Chaldaeorum inſolentia atque ſaevitia Noſtrum conqueri, monent et Hebraei interpretes, idemque obſervat Hieronymus, a ſuo Hebraeo magiſtro haud dubie edoctus: „Cauſſatur," inquit, „adverſum Deum propheta, cur Nabuchodonoſor templum vaſtet, et Judam, cur Jeruſalem quondam urbs Domini deſtruatur. Quare clamet populus et non exaudiatur? vociferetur ad Dominum oppreſſus a Chaldaeis et non ſalvetur? Quare etiam ipſe propheta, vel populus, ex cujus perſona nunc loquitur, ad hoc vixerit, et hucusque perductus ſit, ut iniquitatem hoſtium et ſuum videat laborem?" חָמָס Kimchi recte exponit *propter violentiam quae Iſraeli infertur.* Chaldaeus hunc Verſum ſic expreſſit: הֲלָא גְלֵי קֳדָמָךְ קְבָלְנָא קֳדָמָךְ עַל חֲטוֹפִין הֲלָא יְכֹלָא קֳדָמָךְ לְמִפְרַק *Annon manifeſtum eſt coram te, me clamitare coram te propter rapinas? annon eſt apud te ſervandi poteſtas?*

3. לָמָּה תַרְאֵנִי אָוֶן *Quare videre me facis,* oſtendis mihi *iniquitatem,* i. e., ut Jarchi recte interpretatur, בִּזָּה וְחָמָס *direptionem et violentiam* ab hoſtibus illatam. Vel, ut vult Aben-Esra, אָוֶן poſitum eſt pro אַנְשֵׁי אָוֶן *iniquis.* Ita Chaldaeus: לְמָא אֲנָא חָזֵי אֲנוֹסִין *quare ego video oppreſſores?* Quare finis, ut homines iniqui affligant populum tuum? וְעָמָל תַּבִּיט *Et* quare ejusmodi *laborem,* aerumnam, *intueris,* ſuſtines intueri, וְאֵינָךְ עוֹזֵר *neque fers opem?* ut Jarchi recte addit. Abarbenel obſervat, reſpicere vatem verba Num. XXIII, 21. וְלֹא הִבִּיט אָוֶן בְּיַעֲקֹב וְלֹא־רָאָה עָמָל בְּיִשְׂרָאֵל *non adſpicit iniquitatem in Jacobo, nec videt praevaricationem in Iſraele.* Unde colligit, prophetam hoc velle,

velle, oftenfam ipfi fuiffe in vifione iniquitatem illam atque perverfitatem, quam perpetrarent Ifraelitae, quemadmodum Ezechiel C. VIII. meminit, oftendiffe ipfi Deum in vifione idolorum cultum, quem Judaei exercebant. Nos quidem vatis menti obverfatum effe locum illum Numerorum minime negamus, fed verba illuc ufurpata Noftrum hic in alium fenfum flexiffe exiftimamus, ut quas Mofes de fceleribus Ifraelitarum adhibuiffet phrafes, iisdem Habacucus ufus fit ad fignificandam injuriam et violentiam, qua Judaeos opprimerent Chaldaei. Vocem תַּבִּיט omnes interpretes veteres aliter legiffe judicat J. M. Faber in *Comment. Crit. in loca quaedam Habacuci Contin.*; „Graecus et Vulgatus," inquit, „invenerunt in codicibus fuis הַבִּיט. Nam ille habet *ἐπιβλέπειν* fcil. *ὥστε* [*ἱνατί μοι ἔδειξας κόπους καὶ πόνους ἐπιβλέπειν;*], hic: *videre* [*Quare oftendifti mihi iniquitatem et dolorem, videre praedam et injuftitiam contra me?*]. De hac lectione (הַבִּיט) ita ftatuo, ut eam hebraici textus lectioni praeferendam, et ante illas literas הַבִּיט praefixum ל, ab eadem litera praecedentis vocis ultima (עָמָל) abforptum et injuria fcribarum omiffum effe putem. Ita etiam hunc Infinitivum, quem Vulgatus, retenta conftructione Graeca reddidit *videre*, Arabs recte interpretatus eft, *ut viderem* [لأنظر شقوة]. Grotius autem, quum latinam illam lectionem *videre* hac dura fane ellipfi explicaret: *videre facis*; haud dubie forma verbi noftri deceptus eft. Etenim הַבִּיט hanc fignificationem conjugationi Hiphil alias propriam nusquam habet. Etiamfi vero illam textus lectionem תַּבִּיט rectius interpretari velimus *intueberis*; nihilominus tamen ftructura orationis ipfa et confilium prophetae alteram lectionem, הַבִּיט, quam Vulgatus et Graecus interpres manifefto habent, flagitat. Quis enim talem prophetae concinnitatis ftudiofi fermonem ferat: *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?* quousque *vociferabor ad te propter rapinam, et non falvabis? quare facis me videre,* i. e. me ferre pateris *iniquitatem et labo-*

laborem? intueberis praedam et injuſtitiam? Nonne unusquisque hoc in poſtremo membro iterata offendetur *ſecunda* perſona, *intueberis?* Nonne in illa perpetua perſonarum viciſſitudine, *primam* potius, *intuebor,* hic deſiderabit? Accedit, quod hoc idem verbum הַבִּיט ita Vs. 5. a propheta repetitum eſſe apparet, ut ad noſtrum locum neceſſario referri debeat; quandoquidem propheta Vs. 5. Judaeis minatur, fore, ut *ipſi* quoque mox *adſpiciant* mala, quae nunc, Deo ſic permittente, *ſe adſpicere* Vs. 3. queritur. Cujus rei ſi quis rationem habere voluerit, nullum prorſus locum *ſecundae* perſonae, תַּבִּיט, in Vs. 3. relictum eſſe, intelliget. His praemiſſis Verſum 2. et 3. ita vertendum arbitror: *Quousque ego clamabo, quum tu me non exaudias? quousque vociferabor ad te propter rapinas, quum tu me non defendas? Quare iniquitatem et miſeriam me ſubire ſinis? adeo ut calamitate et periculo me circumdatum undique eſſe videam?* Quod quum propheta exemplo quodam praecipuo declaraſſet, pergit has deinceps minas ex oraculo divino addere: ſubibitis etiam vos, o Dei veſtri contemtores, calamitatem magnam et debitam; namque *ſuſcitabo Chaldaeos*, qui injuſtitiae veſtrae, qua huc usque juſtos affeciſtis, poenas a vobis repetent. Hujus concinnitatis optimus interpres Syrus fuit, ſive חַבִּיט, ſive אַבִּיט expreſſe in codice ſuo, ex quo verteret, legerit [ܘܚܙܐ ܐܢܐ ܠܚܛܘܦܝܐ *et video rapinam*]. Eandem lectionem הַבִּיט, ſive אַבִּיט in Chaldaica verſione expreſſit Jonathan: וּמְסַתַּכַּל בְּעָבְדֵי לֵאוּת שְׁקַר *et* quare *ego conſpicio operantes laborem falſitatis?* Quae quum ita ſint, ego quidem haud video, quem ad modum hebraica lectio תַּבִּיט, utpote quae nulla, niſi ſua ipſius auctoritate nitatur, defendi amplius poſſit." Haec Faber, cui ſane concedendum, melius fluere orationem, ſi legatur אַבִּיט ſive הַבִּיט, quippe cui optime congruat et לְבֹגְדִי, quod proxime ſequitur, et תַרְאֵנִי, quod praeceſſit. Attamen quum vix credibile ſit, אַבִּיט, quod legentis et ſcribentis animo ſponte ſeſe ingerit, ſi unquam in ullo codice exſtiterit,

terit, nunc ita evanuiſſe, ut in nullo plane eorum, qui hodie exſtant, codicum reperiatur; equidem prophetam ipſum in hisce verbis ſcribendis paulo negligentiorem atque orationis flumen minus curantem exiſtimaverim. Ineſt ceterum huic phraſi, per ſe ſpectatae, ſenſus ſatis congruus reliquo contextui: mirum eſt, te ſinere nos ab hoſtibus barbaris impune vexari, quum nihil eorum quae homines faciunt te lateat. וְשֹׁד וְחָמָס לְנֶגְדִּי *Et quare devaſtatio et violentia coram me?* cur ſinis, ut patriae vaſtatio atque hoſtium ſaevitia mihi continuo obverſentur? Chaldaeus: בְּזוּזִין וַחֲטוֹפִין לְקִבְלִי *praedatores et graſſatores* ſunt *coram me.* Verba, quae hemiſtichium hujus Verſus alterum faciunt, וַיְהִי רִיב וּמָדוֹן יִשָּׂא, Kimchi bene expoſuit: וַיְהִי לְנֶגְדִּי מִי שֶׁיִּשָּׂא אֵלַי רִיב וּמָדוֹן *eſt coram me qui tollat contra me rixam et contentionem,* i. e. exiſtunt mihi adverſarii inſolentes, qui me conviviis ac injuriis laceſſant. Suſtinet autem vates, ut monuimus, totius populi perſonam. Aben-Esra aute רִיב ſubaudiendum אִישׁ cenſet, ut Pſ. CIX, 4. תְּפִלָּה eſt pro אִישׁ תְּפִלָּה *vir precis,* יִשָּׂא autem יִשָּׂא רֹאשׁוֹ וְיִגְבַּהּ *effert caput ſuum ſeſeque extollit* interpretatur. Quum autem collective haec ſint ſumenda, totius loci, ex Aben-Eſrae ſententia, haec erit mens: וַיִּהְיוּ אַנְשֵׁי רִיב וּמָדוֹן אֲשֶׁר יִשְׂאוּ רֹאשָׁם *exiſtunt homines litigioſi et contentioſi,* adverſarii inſolentes, *qui caput extollunt.* Hunc ſenſum expreſſit Chaldaeus: דִּבְתַחֲרוּתָא וּבְזְדוֹנָא אִנּוּן מִתְגַּבְּרִין *qui* (praedones et graſſatores) *contentione et ſuperbia praevalent.* Simili modo Hieronymus: *et factum eſt judicium et contradictio potentior.* Sunt etiam, Kimchio referente, qui יִשָּׂא *ferendi, geſtandi* ſignificatione accepto, ſenſum hunc faciant: *litem et contentionem hoſtis fert et portat Iſrael.* LXX: Γέγονε κρίσις, καὶ ὁ κριτὴς λαμβάνει. Quod non ſolum Arabicus interpres, qui e Graeco vertit, expreſſit (صَارَ ٱلْحُكْمُ وَٱلْحَاكِمُ يَأْخُذُ), verum et Syrus imitatus eſt: ܗܘܐ ܕܝܢܐ ܘܕܝܢܐ ܐܦܐ ܡܣܒ *eſt judicium et judex*

judex accipit munus. Graecum interpretem pro וּמָדוֹן legiſſe וּמֵדִין, exiſtimavit Wahlius, atque ita probavit, ut idem in textum hebraeum a ſe recenſitum pro vulgari וּמָדוֹן reciperet. Nos tamen haud dubitamus, וּמָדוֹן eſſe genuinum.

4. עַל־כֵּן תָּפוּג תּוֹרָה *Propterea,* quia non vindicas populum, *refrigeſcit lex,* negligitur; quia non ſumis poenas ab hoſtibus, qui populum tuum vexant et opprimunt, multi a te deficiunt, et legem tuam non curant. Verbum פּוּג, quod, uti docet Syriaca dialectus, proprie *refrigeſcere* notat, hinc *langueſcendi, ceſſandi* notionem induit; vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 1702. LXX: Διὰ τοῦτο διεσκέδασται νόμος. Hieronymus: *propter hoc lacerata eſt lex.* Chaldaeus et Syrus verbum hebraicum retinent. Verba quae ſequuntur, לֹא־יֵצֵא לָנֶצַח מִשְׁפָּט, Graecus Alexandrinus ſic vertit: οὐ διεξάγεται εἰς τέλος κρίμα, quod ſequutus Hieronymus: *et non pervenit usque ad finem judicium,* quorum verborum ſenſum hoc modo exponit: „Adhuc propheta vel populus loquitur ad Dominum, quod non veritate adverſus ſe, ſed potentia judicatum ſit, et nihil ex lege et juſtitia ſuſtinuerit. Unde et ipſum *judicium non habuerit finem ſuum.* Finis autem judicii eſt judicare juſte. Et hoc quare loqui audeat, in conſequentibus monſtrat, dicens: quia impius Nabuchodonoſor praevaluit adverſus juſtum Judam, et hanc eſſe cauſſam, quod dixerit, judicium non perveniſſe ad finem, quia iniquum ſit atque perverſum, ut Joſias rex juſtus a rege Aegyptio trucidetur, et Daniel, Ananias, Miſael et Azarias ſerviant, et imperet Babylonius imperator." Sed nomine τέλος interpretem Graecum potius *perpetuitatis, ſempiternitatis* notionem, quam נֶצַח pluribus V. T. locis obtinet, videtur expreſſiſſe. Eam ſane expreſſit Chaldaeus: וְלָא נָפֵיק לְאַפְרֵשׁ דִּינָא *nec prodit in aeternum judicium,* i. e. numquam animadverſurus eſt Deus in improbos. Alii: *non exit judicium ad victoriam,* ut bona cauſſa vincat. Sed *victoriae* ſignificatio nomini נֶצַח ſine ratione tribuitur. Genuinum ſenſum perſpectum haud dubito ab A. Schultens, qui in *Animad-*

Animadverſſ. philologg. ad h. l. obſervat, נֶצַח hic ſumendum eſſe ut Arabicum نَصَحَ, *veritas, non fucata ſinceritas,* ut noſtrorum verborum ſenſus hic ſit, *verum,* juſtum, *non exit judicium,* ſed מְעֻקָּל *perverſum,* ut in fine Verſus dicitur. *Veritatis* ſignificatum nomini hebraeo vindicat Schultenſius quoque locis 1 Sam. XV, 29., et Thren. III, 18. Schultenſianam explicationem commendat et confirmat locus parallelus Jeſaj. XLII, 3., ubi pro נֶצַח uſitatius et minus ambiguum אֱמֶת ponitur: לֶאֱמֶת יוֹצִיא מִשְׁפָּט *ad veritatem proferet judicium,* i. e. verum, juſtum judicium proferet. Jarchi quoque noſtra verba exponit: הַדָּת (לֹא־יֵצֵא) לַאֲמִיתוֹ *lex non procedit ad veritatem ſuam,* i. e. juſtitiae et aequitatis praecepta non, uti fas eſt, obſervantur. Bene Syrus: ܘܠܐ ܢܦܩ ܕܝܢܐ ܒܬܪܝܨܘܬܐ *nec prodit judicium cum aequitate.* Efferunt ſeſe impii, quum videant, Deum malefacta eorum non punire, magisque ſaeviunt in bonos quosque viros, rumpentes leges divinas atque humanas. כִּי רָשָׁע מַכְתִּיר אֶת־הַצַּדִּיק *Nam impius cingit* (*inſtar coronae,* כֶּתֶר) *juſtum* eumque premit. מַכְתִּיר ſignificat aliquem *circumſidere* atque circumdare nocendi cauſa, ut Jud. XX, 43. כִּתְּרוּ אֶת בִּנְיָמִין *circumſederunt Benjaminitas.* Vid. et Pſ. XXII, 13. סְבָבוּנִי *circumdant me juvenci multi, robuſti Baſanis* כִּתְּרוּנִי *cingunt me.* Chaldaeus: אֲרֵי רַשִׁיעַיָּא מְסַלְעֲמִין לְצַדִּיקַיָּא *nam impii devorant juſtos.* Syrus: ܗܟܢ ܡܒܐܫ ܥܘܠܐ ܠܙܕܝܩܐ *tractat male impius juſtum.* עַל־כֵּן יֵצֵא מִשְׁפָּט מְעֻקָּל *Propterea prodit judicium perverſum,* i. e. cum improbus opprimit pium, judicant omnes, non valere jus, nec eſſe, qui jus dicat, ſurſum deorſum verti omnia. Chaldaeus: עַל כֵּן לָא נָפֵיק דִּינָא כֵּוָן *ideo non prodit judicium rectum.* Abarbenel: „Loquitur propheta more disputatoris, qui ponit theſin, contra quam objiciat. Hoc fere modo: quando deprehenditur vir malus torquere bonos, tunc nulla ſpes juris et aequi inter homines. Nec abſonum eſt, prophetam denotare per *juſtos,* ex ſententia inter-

interpretum, pios illos, quos interfecerant Chaldaei, aut abduxerant captivos. Quin fi regnum Judaicum conferatur cum Nebucadnezare, erat illud juftum in judiciis fuis, in religione fua, atque in legibus fuis, Nebucadnezar autem plane contrarius.“

5. רְאוּ בַגּוֹיִם וְהַבִּיטוּ *Videte*, circumfpicite *inter gentes, et intuemini!* Deus refpondet ad fuperiorem expoftulationem, et ipfos Judaeos alloquitur. Hieronymus: „Ad fuperiores querelas cauffantis prophetae et dicentis: *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?* et reliqua usque ad finem hujus exordii, vox Domini refpondentis inducitur, ut hanc iniquitatem, quam in folo Ifrael fieri putat, cernat in gentibus, et quod Chaldaeis, non ut propheta arbitrabatur, Judas tantum et Jerufalem traditi fint, fed omnes per circuitum nationes, et tantum eum effe valiturum ruiturumque poftea, ut fi quis praedixerit quod futurum eft, pro rei magnitudine videatur incredulum.“ Abarbenel hoc Verfu prophetae orationem continuari exiftimat: „Exponit propheta, cur indignetur: *circumfpicite inter gentes et intuemini! abrepti in admirationem admiramini!* Hoc fenfu: conftat, femper hos fuiffe mores gentium, hanc fubjugare illam, et ad leges fuas cogere. Verum confideratis his feculi moribus, et rebus alias in orbe geftis, cum ftupore mirabimini facinora Nebucadnezaris aetate veftra perpetrata, inufitata plane, et fupra humanam conditionem pofita; quod nempe unus aliquis, isque non ex regio fanguine ortus, emergat, et fubjuget totum terrarum orbem, atque imperet inftar monarchae, nemine repugnante, quod creditu erit difficile, fi qui audient.“ Verum quum arcte cohaereat nofter Verfus cum proximo, quo Deum loqui nulla eft dubitatio; jam hoc Verfu Dei verba incipere arbitramur cum Hieronymo, qui nexum et fenfum hujus commatis bene expofuit. Verba רְאוּ בַגּוֹיִם LXX verterunt: Ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ, quae Arabicus interpres reddidit: أُنْظُرُوا يَا مُتَغَافِلُونَ *videte o negligentes!* eodem verbo ufus,

ufus, quod infra II, 4. in Hebraeo exftat. Graecam verfionem fequutus eft non folum Syrus, qui ܚܙܘ ܡܣܪܚܢܐ *videte arrogantes*, five *transgreſſores* vertit, verum et Paulus, apoftolus, Act. XIII, 41. verba haec in teftimonium contra Judaeos proferens. Pro בַגּוֹיִם Graecum interpretem in fuo codice hebraeo vel בוֹגְדִים vel בזוים legiffe, conjecit Cappellus *Crit. S.* T. I. p. 156. edit. Hal. Contra Ed. Pocock in *Notis. Miſcellann.* Maimonidis *Portae Moſis* a fe Oxon. 1655. edit. additis p. 32. Graecum interpretem non aliam atque nos vocem in fuo codice reperiffe contendit, verum illam pro plurali a fingulari בַגּוֹא habuiffe (formae קַנּוֹא *zelotes*), a בָּגָא, quod cum Arabico بغا *injuſtus fuit, ſe ſuper aliquem extulit, ſuperbe, inſolenter ſe geſſit,* convenit. J. M. Faber tamen in *Commentat. Crit.* p. VI. cum Cappello Alexandrinum legiffe בוֹגְדִים cenfet, quod idem interpres Vs. 13. hujus Capitis et II, 5. noftri prophetae, nec non Prov. XIII, 15. Hof. VI, 7. Zeph. III, 4. verbo καταφρονεῖν pro hebraico בָּגַד ufus eft. Pro verbis, quae fequuntur, hebraicis, וְהִתַּמְּהוּ תְּמָהוּ *et admirabimini* (Hithpael, pro הִתְתַּמְּהוּ) ac *obſtupeſcite!* (cf. Jef. XXIX, 9.) Alexandrinus pofuit θαυμάσατε καὶ ἀφανίσθητε, quod Cappello l. l. fufpicionem movet, illum legiffe תְּמָהוּ וְהִתַּמּוּ, mutato primum ordine, deinde et verborum altero ad תָּמַם relato. „At quae hoc," inquit Ed. Pocockius l. l. p. 40., „ftatuendi neceffitas, quum nihil in Graecis amplius contineri videatur, quam in Hebraicis, fi eo, quo jam, et modo et ordine leguntur? Nam הִתַּמְּהוּ bene per θαυμάσατε reddi, non eft, qui dubitet; quidni et תְּמָהוּ per ἀφανίσθητε? Neque enim illud poftulare videtur, ut quis prorfus confummetur aut confumatur, fed prae admiratione et ftupore ab eo quo fuerat ftatu mutetur, et quafi corrumpatur; quam effe thematis תָּמַהּ vim oftendit ejus in lingua Arabica ufus, in qua تَمِهَ eft *corrumpi* et *in pejus mutari*, inde de cibo dictum valet, تغير ريحه وطعمه *mutatos eſſe ejusdem odorem*

 et

et saporem; item de ove dicitur, cujus lac statim mutatur et corrumpitur. Ac talis hic sufficere videtur mutatio ex mente Grotii, qui ad hunc locum ita commentatur: *καὶ ἀφανίσθητε, nempe τὰ πρόσωπα,* ut Matth. VI, 16. *expallescite.* Syrus interpres, qui e fonte Hebraico vertit, dictionem priorem, הִתַּמְּהוּ, reddit ܐܬܕܡܪܘ, posteriore תְּמָהוּ retento, praefixa tantum copulae nota, ܘܬܘܗܘ, quod in lingua Syriaca idem sonat, ac in Arabica, الدهش *stuporem, confusionem,* ex admiratione nimia ortam. Ita enim Bar-Ali ܬܘܗܐ explicat, at ܐܬܕܡܪ simpliciter per تَعَجَّبَ *admiratus est.* Eodem prorsus modo, quo R. Tanchum verbum תְּמָהוּ hoc loco, qui التكرير *repetitio,* inquit, est, للتاكيد *confirmationis ergo, ac forsan verborum altero voluit* التعجب *admirationem, altero* الدهش *stuporem, confusionem, qualem admiratio e re aliqua insolenti oborta parere solet exprimere,* adeoque simplex תָּמַהּ majus aliquid significare videtur, quam aut הִתַּמָּה apud Hebraeos, aut ܐܬܕܡܪ apud Syros; neque infrequens puto, ut tam apud Hebraeos, quam apud Arabes conjugationes auctae, ut הִתְפַּעֵל et تَفَعَّلَ et إِسْتَفْعَلَ, minus aliquid, diversum licet, quam thema simplex, innuant, scilicet conatum et apparatum ad rem faciendam, eamque vel vere vel simulato facere, quum simplicius illud eandem revera ac serio facere denotet." Haec Pocockius, cujus observationem integram adscribere visum est, quum ea et Fabri et ceterorum recentiorum Criticorum diligentiam videatur effugisse. כִּי־פֹעַל פֹּעֵל בִּימֵיכֶם *Nam opus operans* scil. ego, Jova, s. *operaturus sum in diebus vestris,* לֹא תַאֲמִינוּ כִּי־ יְסֻפָּר quod *non credetis cum narrabitur,* si quis illud futurum esse nunc praedixerit.

6. Exponit nunc, quod sit opus illud incredibile, quod se brevi operaturum esse dixerat Versu superiore.

כִּי־

כִּי־הִנְנִי מֵקִים אֶת־הַכַּשְׂדִּים *Nam ecce! excitaturus fum Chaldaeos.* „Merito mirum," inquit Grotius, „quod *Chaldaeos,* qui tempore Ezechiae, Manaffis, Jofiae, foederati (?) erant Judaeis. Si quod autem malum metuendum erat, id ab Aegyptiis venturum putabatur. Simile hoc praedictum Jefajae, qui ab Affyriis, quibus maxime tunc fidebant Judaei, graviffima mala ventura fignificavit, nihil minus quam hoc opinantibus Judaeis, Cap. VII." כַּשְׂדִּים, quos non folum Graeci Alexandrini, verum et alii veteres interpretes *Chaldaeos* conftanter vocant, in veterum Hebraeorum monumentis paffim occurrere conftat pro populo bellicofo et feroce, certae regionis, quae propter Babylonem fita fuiffe fertur, et cujus metropolis fuit Babylon, unde Babylonii, five gentes, quae circa Babylonem habitabant, dicuntur Chaldaei, et Nebucadnezar ipfe, rex Babyloniae, Chaldaeus, כַּסְדָּיָא, Efrae V, 12. Eft tamen rarior mentio hujus populi in hiftoria antiqua, nec patet etiam accurate, unde nomen et ortum trahat. In V. T. libris primum Genef. XI, 28. 31. occurrit אוּר כַּשְׂדִּים, *Ur Chasdim,* pro quo LXX χώρα τῶν Χαλδαίων ponunt, unde egreffus Abrahamus iter facturus in Palaeftinam fe contulerit Carrhas, quem locum Stephanus, protomartyr, Actor. VII, 2. docet fuiffe in Mefopotamia, idemque ratio profectionis Abrahami fuadet, ut Bochartus *Phaleg.* L. VII. C. 6. p. 87. docuit, et Jofua quoque ipfe id confirmat in oratione fua ad Ifraelitas XXIV, 2., quorum majores ait habitaffe בְּעֵבֶר הַנָּהָר *trans fluvium,* fcil. Euphratem, i. e. in Mefopotamia. Inde in libris V. T. hiftoricis et propheticis altum de Chaldaeis eft filentium, usque ad feriora tempora, quibus regnum Babylonicum coepit emergere, atque in carmine prophetico, quod inter Jefajana legitur XXIII, 13. 14. Chaldaei defcribuntur, ut populus qui brevi ante obfcurus fuiffet, et in defertis vagatus, et ab Affyriis collecti fuerint in populum. In aliis vero carminibus ejusdem voluminis, fed ferioribus, XIII, 19. XLVII, 1. XLVIII, 14., memorantur tanquam populus potens ac celebris, terram tenens Babylonicam.

Gentem antiquam (גּוֹי מֵעוֹלָם) Chaldaicam appellat Jeremias V, 15. Praeterea in libro Jobi I, 17. Chaldaei defcribuntur ut praedones, qui vi invaferint armenta Jobi eaque rapuerint. Graecorum et Romanorum fcripta evolventi Chaldaei occurrunt *triplici* generis ac loci. Et quidem primo in illis memoratur regio *Chaldaea*, quae adjacet *Arabiae defertae*. Sic Ptolemaeus *Geograph.* L. V. c. 20., et Strabo *Geogr.* L. XVI. c. 1. §. 6. poftquam defcripfiffet Chaldaeos philofophos, addit: Ἔστι δὲ καὶ φῦλόν τι τῶν Χαλδαίων, καὶ χώρα τῆς Βαβυλωνίας, ὑπ' ἐκείνων οἰκουμένη, πλησιάζουσα καὶ τοῖς Ἄραψι καὶ τῇ κατὰ Πέρσας λεγομένῃ θαλάττῃ. *Eft et Chaldaeorum natio, et Babylonia regio ab iis habitata, Arabibus et mari proxima, quod Perficum appellatur.* Chaldaea igitur haec Strabonis eft regio fubjecta Babyloni, late excurrens in finum maris Perfici, quae ipfa alias Babylonia dicebatur. Ad hos Chaldaeos referendus haud dubie rex ille, quem Dicaearchus apud Stephanum Byzantinum fub voce Χαλδαῖοι, a Nino *quartum decimum*, ait appellatum effe *Chaldaeum*, et *Chaldaeos congregaffe*, eorumque opera *condidiffe*, h. e. perfeciffe Babylonem (Ἀπὸ δὲ τούτου [Νίνου] τέταρτον ἐπὶ δέκα βασιλέα γενομένον, ᾧ τοὔνομα Χαλδαῖον εἶναι λέγουσιν, ὅν φασι καὶ Βαβυλῶνα τὸν ὀνομαστοτάτην πόλιν περὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν κατασκευᾶσαι, ἅπαντας εἰς ταυτὸ συναγαγόντα τοὺς καλουμένους Χαλδαίους). Praeter hos Chaldaeos Strabo L. XII. Cap. 3. §. 19. Chalybes hoc eodem nomine fignat, docens fimul, illud effe recentius. Οἱ δὲ νῦν Χαλδαῖοι, inquit, Χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο. *Qui autem nunc Chaldaei, Chalybes olim appellabantur.* Sunt autem hi accolae Ponti, proximi Mofynoecis et Tibarenis, ut patet ex eodem Strabone l. c. §. 18. Cf. Bocharti *Geograph. S.* P. I. L. III. Cap. XII. Denique memorantur Chaldaei in montibus Armeniae proximis et fubjectis a Xenophonte in *Cyropaedia* L. III. Cap. 2. §. 7. 12., ubi narrat, poft Armeniorum regem a Cyro ad officium et fub obfequium Cyaxaris revocatum, occupatos a Cyro cum Armeniis effe illos Chaldaeorum montes,

tes, et gentem illam, postquam pars victa esset, et a Cyro humaniter habita, assumtam in foedus. Eos l. l. §. 7. sic depingit: Εἶχον δὲ οἱ Χαλδαῖοι γέῤῥα τε καὶ παλτὼ δύο. Καὶ πολεμικώτατοι δὲ λέγονται οὗτοι τῶν περὶ ἐκείνην τὴν χώραν εἶναι, καὶ μισθοῦ στρατεύονται ὁπόταν τις αὐτῶν δέηται, διὰ τὸ πολεμικώτατοι καὶ πένητες εἶναι· καὶ γὰρ ἡ χώρα αὐτοῖς ὀρεινή τέ ἐστι, καὶ ὀλίγη ἡ τὰ χρήματα ἔχουσα. *Gestabant autem Chaldaei crates et tragulas binas, ac bellicosissimi feruntur esse inter ejus regionis incolas. Etiam stipendia faciunt, quum ipsorum opera quis eget, quod et periti rei militaris sint et pauperes. Quippe solum incolunt montuosum, et cujus exigua pars opulenta est.* Et §. 11. unus ex Chaldaeis, qui loquens inducitur, dicit, *quosdam Chaldaeos esse, qui rapto viverent, ac terram neque scirent colere, neque possent, quippe qui victum armis quaerere consuescunt. Semper enim latrocinari solitos, stipendiaque crebro meruisse, partim apud Indorum regem, partim apud Astyagem.* (Εἰσὶ δέ τινες τῶν Χαλδαίων οἱ ληϊζόμενοι ζῶσι, καὶ οὐδ' ἂν ἐπίσταιντο ἐργάζεσθαι, οὐδὲ ἂν δύναιντο, εἰθισμένοι ἀπὸ πολέμου βιοτεύειν· ἀεὶ γὰρ ἐληΐζοντο καὶ ἐμισθοφόρουν, καὶ πολλάκις μὲν παρὰ τῷ Ἰνδῶν βασιλεῖ, πολλάκις δὲ καὶ παρ' Ἀστυάγει). Chaldaeos Armeniae vicinos idem Xenophon memorat quoque *de Expedit. Cyri* L. IV. C. 3. §. 4. Chaldaeos hosce Xenophontis ad septentrionem Mesopotamiae J. D. Michaelis in *Spicileg. Geograph. Hebraeor. exter.* P. II. p. 77. seqq. origine haud diversos existimat a Chalybibus illis, sive Chaldaeis, quos Strabo describit inter Ponti accolas; populum antiquissimis temporibus fuisse erraticum, qui inde a Mesopotamia boreali, primisque Armeniae montibus ad septentrionalem usque Armeniam, ipsamque, quae Pontum Euxinum attingit, Chalybum regionem, vagari potuerit; postea boreales illos Chaldaeos in australes regiones erupisse, Babylonia etiam potitos, linguamque ibi Aramaeam adscivisse, quum antea Slavica usi fuissent lingua, id quod Michaelis ex nonnullis Chaldaicis nominibus propriis, barbaram sonanti-

nantibus, veluti הַמֶּלְצַר, בֵּלְטְשַׁאצַּר, נֵרְגַל, שֵׁשְׁבַּצַּר, aliisque in צַר *Tzar* desinentibus colligit, quum id nomen Slavis *dominum* significet. Verum hanc Michaelis opinionem de Slavica Chaldaeorum origine solide refutavit J. C. Adelung in opere glossologico, cui titulum *Mithridates* fecit, P. I. p. 321. seqq., ostenditque, Chaldaeos illos, כַּשְׂדִּים, qui in veterum Hebraeorum monumentis memorantur, ortu Aramaeos fuisse, quippe quod lingua illorum, quam cum Syris et Assyriis fere communem habuerunt, satis arguat; vid. l. l. p. 315. Cum his autem Chaldaeis nihil habuere commune Chaldaei accolae Ponti, Chalybes prius appellati. Xenophontis quoque Chaldaei longius multo a Ponto fuerunt remoti, quam ut cum illis Ponti accolis Chalybibus confundi queant, quia Cyrus illo tempore extra fines Mediae non longe progressus erat in Armeniam. Num Chaldaei s. Casdaei a *Chesed*, כֶּשֶׂד, illo, filio Nahori, cujus Genes. XXII, 22. fit mentio, ortum ducant, quod vult J. C. Friedrich in Commentatione super ortu, patria et antiquissima historia Chaldaeorum (in *Biblioth. Literat. univers. bibl.* ab Eichhornio instr. P. X. p. 434.), prorsus incertum, plane commentitium vero, quod idem Vir Doctus nomen כֶּשֶׂר *peregrinatorem*, *pastorem* notare ait, ab Arabico كَسَدَ, cui notionem *migrandi* tribuit, quod potius notat: *non distracta fuit, nec emtores invenit res,* unde كَسَادَ in Corano, Sur. IX, 24. de *rerum venalium difficili distractione* dicitur. Nobis quidem quae scriptores exteri, praesertim Xenophon et Strabo, de Chaldaeis tradunt comparantibus cum his, quae in V. T. libris de iisdem reperimus, hanc fere satis verisimiliter statui posse videntur: Casdaei, sive Chaldaei, origine Syri euro-boreales, antiquissimis temporibus per varia se diffuderunt Mesopotamiae loca; alii septentrionalia ejus regionis Tigrim versus, ubi fuit *Ur Chaldaeorum,* coluerunt, alii vero insederunt montes, qui Armeniam a Mesopotamia dirimunt, indeque, quum plures illorum ex rapto viverent, eosdem credibile est percurrisse Meso-

Mesopotamiam, media sui parte meridionali incultam, et praedae intentos, per eam late esse vagatos, saepe etiam, trajecto Euphrate, transivisse in Arabiam borealem, et praeda potitos ad sua reversos, quod hodienum facere populos quosdam illius tractus, potissimum Curdos, ex scriptis eorum, qui istas regiones adiere, satis constat. Illorum igitur Chaldaeorum, qui montana Armeniam inter et Mesopotamiam tenuere, plures, per terras Euphrati et Tigridi vicinas sparsi et vagantes, a rege quodam Assyriae, cui ipsi in bellis commode servierant, translati videntur in agrum Babylonium, maxime meridionalem, ut adversus Arabes, similis indolis homines, imperium cum Babylone ab australi illa Assyriaci imperii parte tuerentur. Hi autem praecipue, qui circa Babylonem consederant, Chaldaei, industrii, ingenio et manu prompti, partim sese applicarunt ad studia disciplinarum arcanarum, inprimis divinationis ex astris, eaque de caussa coeli siderumque motus diligenter observarunt, partim tractarunt artem bellicam, et servierunt Assyriae regibus, quibus subjecti erant. Hujus gentis opera usi Nabopalassar, ejusque filius Nebucadnezar, ortu ipsi Chaldaei, quum deficerent ab Assyriis, sibi compararunt imperium et magnam Asiae occidentalis partem sibi subjecerunt. Cf. librum nostrum *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 36. seqq. Hos igitur Chaldaeos, nunc primum extra fines suos occidentem versus prorumpentes, Hebraeis antea nondum visos, Habacucus jam graphice depingit. Vocat eos הַגּוֹי הַמַּר *gentem amaram*, i. e. asperam, truculentam, „quod non habet affectum misericordiae et commiserationis, sed amara est sicut absinthium in negotiis suis," uti exponit Abarbenel. Concinit Jeremias, qui L, 42. de iis dicit: אַכְזָרִי הֵמָּה וְלֹא יְרַחֵמוּ *crudeles sunt, nec misericordia afficiuntur.* A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. הַגּוֹי הַמַּר *gentem acrem* vertit, „quia," inquit, „ut Latinis *acer* dicitur, qui *fortis* est, teste Servio et Nonio Marcello, sic מַר eodem sensu hic venire puto.

Ara-

Arabice certe radix مَرَّ *amarum esse* ad *robur* et *virtutem* usitatissime transfertur, unde مِرَّةٌ *robur, potentia,* et ذُو مِرَّةٍ (*possessor roboris*) idem qui قَوِيٌّ *fortis, robustus, validus.* Sic مَرِيرٌ *acris* est *validus, fortis.* Contra עַז, quod *fortem* proprie sonat, de *amaro* sumtum invenio Jud. XIV, 14. in aenigmate Simsonis: וּמֵעַז יָצָא מָתוֹק *de forte exiit dulce,* quae non opposita videri possent, nisi *acris* et *fortis* notiones confundi constaret. Eodem modo Chaldaicum תְּקַף *fortem esse* ad *acrimoniam* refertur in Talmude; et Arabicum مَضَرَ *acrem esse* videtur ab Hebraico מָרַץ transsumtum. Si tamen τὸ מַר de *amarulentia* potius et *acerbitate* Chaldaeorum hic capere lubeat, non multum repugnabo." Appellat Chaldaeos porro populum הַנִּמְהָר *festinantem*, i. e. expeditum, velocem, qui mira celeritate et agilitate bella conficit. Hebraei exponunt eum, *qui consilia sua praecipitat*, i. e. temerarium, ferocem rapidumque in consiliis, coll. Jesaj. XXXII, 4. וּלְבַב נִמְהָרִים יָבִין לָדָעַת *animus temerariorum discet intelligere* הַהוֹלֵךְ לְמֶרְחֲבֵי אֶרֶץ *Qui pervadit latitudines terrae*, i. e. terram, quam late patet, invadit et occupat. LXX: Ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς γῆς. Cf. Apoc. XX, 9. לָרֶשֶׁת מִשְׁכָּנוֹת לֹא־לוֹ *Ad occupandum habitacula* quae *non ei*, non sua; terminis suis non contentus conatur alienas terras suae subjicere ditioni. לָרֶשֶׁת proprie *ad hereditandum*, i. e. quasi jure hereditario occupandum et possidendum. Hieronymus: „Quod vobis dixeram: *Aspicite in gentibus, et videte, et miramini, et obstupescite, quia opus fiet in diebus vestris, quod nemo credet, quum narrabitur*, hoc est, quod sequens sermo describit: *Ecce ego suscitabo* Nabuchodonosor et *Chaldaeos*, gentem pugnacissimam et velocem, cujus roboris et ad bellandum audaciae omnes pene Graeci, qui barbaras historias conscripserunt, testes sunt. Haec non est contenta finibus suis, sed huc illueque discurrens

rens ſuper terrae latitudinem pervagatur. Et hoc eſt opus ejus, non ut terram vomere exerceat, ſed ut rapto vivat et gladio, et ut poſſideat urbes non ſuas.“

7. אָיֹם וְנוֹרָא הוּא מִמֶּנּוּ מִשְׁפָּטוֹ וּשְׂאֵתוֹ יֵצֵא *Terribilis et formidabilis eſt* illa gens, *ex ipſa judicium ejus et elatio ejus egreditur,* i. e. tantum ſibi licere putat quantum lubet; jus et auctoritatem faciendi quidlibet pro arbitrio a ſe ipſa ſumit. שְׂאֵת, proprie *elatio*, cum Kimchio intelligimus de animo alta ſpectante et ſuper ceteras gentes ſeſe efferente; ſignificat enim alias *ſublimitatem, majeſtatem,* qua quis ſuper alios eminet, vid. Geneſ. XLIX, 3. Job. XIII, 11. Alii ſynonymum putant voci מַשָּׂא, quod ab eadem radice נָשָׂא derivatur, et quemadmodum illam alii *onus*, alii *effatum* exponunt, ita et noſtrum nomen quidam interpretantur *effatum* ſcil. imperantis, ut ſignificetur, Chaldaeos pro lubitu aliis imperare, non pactis aut certis legibus agere, quas inter ſe gentes obſervare ſolent. Ita Chaldaeus, qui וּגְזֵרְתֵיהּ *et decretum ſuum* vertit. *Decretum* Symmachus quoque, Hieronymo referente, reddidit. Fortaſſe eadem fuit mens Graeci Alexandrini interpretis, qui λῆμμα vertit, quod Suidas non ſolum *vaticinium,* verum et τὰ ἐξ οἰκείας καρδίας ἀποφθέγματα, *quae ex proprio corde proficiſcuntur eloquia* notare ait. Arabicus, qui e Graeco vertit, interpres haec habet: وَمَنْظَرُهَا مِنْهَا يَخْرُجُ *et viſus ejus,* i. e. quod ipſi videtur, arbitrium ſuum, *ab ipſa procedit.* Alii a *ferendi, portandi* notione, quam verbum נָשָׂא obtinet, noſtrum שְׂאֵת, ut diximus, *onus* interpretantur. Ita Jarchi: מִמֶּנּוּ שׁוֹפְטִים מִמֶּנּוּ מְלָכִים הַמְּטִילִים מַשָּׂא וְאֵימָה עַל הַכֹּל *ex eo* (populo Chaldaico) *judices, ex eo reges, qui omnibus onus et terrorem imponunt.* Addit, מִשְׁפָּט h. l. eſſe quod lingua Gallica appellatur *juſtice,* i. e. ſupplicium. Conſentit Hieronymus: „Quod autem ait: *Ex ſemetipſa judicium et onus ejus egreditur,* vel ita intelligendum eſt: de ſua gente conſtituet principes, et poteſtas ejus et gladius aliarum gentium

tium satellites non habebit, vel certe, quo modo fecit fiet ei, et sic vastabitur, ut ipsa vastavit." Syrus: ܘܡܘܠܗ ܡܦܩ *et frontem suam exerit.*

8. וְקַלּוּ מִנְּמֵרִים סוּסָיו *Et leves* sunt *prae pardis equi sui*, pardos, animal velocissimum, pernicitate superant. Oppianus *Cyneget.* Vs. 75. de pardo:

Ὠκύτατον θείει, καὶ τ' ἄλκιμον ἰθὺς ὀρούει,
Φαίης ὁππότ' ἴδοιο διηερίην φερέεσθαι.

Celerrime currit, et fortiter recta irruit. Diceres, cum videres, eam aëriam ferri. Plura alia e veteribus scriptoribus collegit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. C. VII. T. II. p. 104. edit. Lips. LXX: Ἐξαλοῦνται ὑπὲρ παρδάλεις, *exsilient super pardos.* Equos Chaldaeorum ob levitatem in saltu commendari existimarunt, quae in pardis est summa. Cyrillus ad h. l.: Πηδητικὴ δὲ λίαν ἡ πάρδαλις, καὶ πολὺ λίαν εὐπετὴς εἰς τὸ καταθρώσκειν δύνασθαι τῶν διωκομένων. *Pardus ad saltum est valde agilis, et promptus ad insiliendum in eos, quos insequitur.* Syrus: *Leviores sunt* ܡܢ ܢܫܪ̈ܐ *aquilis*, quarum in Hebraeo in fine demum commatis fit mentio. Sed recte Bochartus observat l. l., scribis id imputandum esse, qui, una litera mutata, scripserunt ܢܫܪ̈ܐ pro ܢܡܪ̈ܐ. Addit vates: חַדּוּ מִזְּאֵבֵי עֶרֶב *acutiores* sunt equi Chaldaeorum *lupis vesperae*, s. *vespertinis.* Verbo חַדּוּ, *acuti sunt*, quid significetur, non consentiunt interpretes. Nonnulli *voracitatem* indicari volunt, quae quidem verissime convenit lupis, non item equis, ad quorum descriptionem haec comparatio pertinet. Aliis *acutus* h. l. idem est quod *celer*, *velox*, quomodo Graecum ὀξὺς saepe pro ταχὺς sumitur. Ita Hieronymus: *velociores lupis vespertinis.* Sed *velocitatem* expressit similitudo, quae praecessit, cum pardis instituta. Nisi igitur Nostrum sic in ταυτολογίας otiosae vitium incidisse admittamus, aliud quid hac comparatione illum spectasse existimandum erit. Sunt, qui verbum חָדַד ad *oculorum* et *visus acumen* referant,

de

de quo illud Arabibus usurpari ostendit A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. Lupum acutissime cernere testatur, praeter alios, Bocharto l. l. p. 158. laudatos, Aelianus *Histor. Animal.* L. X. c. 26. Ὀξυωπέστατόν ἐστι ζῶον· καὶ μέντοι νυκτὸς, καὶ σελήνης οὐκ οὔσης, ὅ δε ὁρᾷ. *acutissimi visus est animal, quippe etiam noctu, et luna non lucente videt.* Equi autem licet Latinis et Graecis ab oculorum acie non celebrentur, Arabibus tamen hanc eorum virtutem cognitam esse satis, docet Schultens adducto proverbio: أَبْصَرُ مِنَ ٱلْفَرَسِ *equo oculatior,* quod in *Meidani Proverbiorum Arabicorum Parte* edit. ab H. A. Schultens (Lugd. Batav. 1795. 4.) p. 35. No. LX. plenius sic legitur: أَبْصَرُ مِنْ فَرَسٍ بِبَهْمَاءَ فِي غَلَسٍ *perspicacior equo in deserto in tenebris.* A فَرَسٌ *equus* A. Schultens l. c. verbum تَفَرَّسَ observat notare *acerrime aliquid oculis intentis contemplari.* „Equis," addit, „hoc pacto visus ὀξύτητα tribui videmus. Hoc autem magis חַדּוּ ad *visum* referre placet, quod additur עֶרֶב, *acutiores sunt visu quam lupi vespertini;* id enim ὀξυδερκίαν immensum auget, quod *noctu* cernant." Malim tamen cum Bocharto חַדּוּ referre ad *animum,* et tam lupos quam equos hic ὀξεῖς et *acres* dici, quia quicquid agendum sibi proponunt acriter exsequuntur et summa contentione. Sic apud Virgilium *Georg.* III, 264. est *acre genus luporum,* et *Aen.* IV, 156. Vid. et *Aen.* I, 444. VIII, 3. Vehementiam et acritudinem, qua equi Chaldaeorum irruere in hostiles acies solerent, ob eandemque lupis conferri, censet quoque Oedmann in *Observatt. miscellann. ex hist. nat. ad illustrand. S. Cod. petitis* P. V. C. 2. p. 18. vers. teuton. Quod autem lupos propheta vocat זְאֵבֵי עֶרֶב *vespertinos,* facit ad vehementiam, qua irruunt, exaggerandam, quod sub noctem grassantur truculentius, postquam fame per totum diem in rabiem

rabiem verſi ſunt. Cf. Bochartum l. l. p. 154. ſeqq. LXX noſtram dictionem verterunt λύκους τῆς Ἀραβίας, quia diverſis vocalibus legerunt עֲרָב. Quod licet non omnino improbet Bochartus (p. 157.), quum Arabiam olim lupis ſcatuiſſe, ex veterum teſtimoniis abunde conſtet; veriſſime tamen judicat, eſſe tam hic, quam Zephan. III, 3. lupos *veſpertinos* intelligendos, „*primo* enim," inquit, „ſic intelligunt Maſorethae, a quorum lectione (עֶרֶב) non receſſerim, niſi coactus. *Secundo,* Chaldaeus, Syrus, Symmachus, Hieronymus, Hebraei omnes idem ſequuntur. *Tertio,* quamvis in Arabia lupi ſint frequentiſſimi, tamen his non video a ſcriptoribus eximium quidquam tribui, cur eos Syriae aut Judaeae lupis prophetae praetulerint. *Quarto,* Jerem. V, 6. זְאֵב עֲרָבוֹת eſt *lupus veſperarum,* ſeu *veſpertinus,* non *Arabiarum,* nam עֲרָב, pro *Arabia,* Plurali caret. Pari igitur ratione וְאֵבֵי עֶרֶב ſunt *lupi veſperae,* non *lupi Arabiae.*" Hieronymus: „Equi quoque et equites, qui de longe venient, tam pernices ad perſequendum et cuncta populanda erunt, ut pardos ſuperent, et lupos veſpertinos. Siquidem lupi ſaeviores eſſe dicuntur nocte vicina, et tota die fame ad rabiem concitati." וּפָשׁוּ פָּרָשָׁיו *Et geſtiunt equites ſui,* ſive: *geſtit equitatus ſuus.* In verbo פָּשׁוּ interpretando non conſentiunt interpretes. Plures *diffundendi ſeſe* ſignificatu illud capiunt, quo Nah. III, 18. נָפֹשׁוּ pro נָפֹצוּ uſurpatum vidimus. Ita Aben-Eſra, qui הִתְפַּשְּׁטוּ exponit, et Hieronymus: *et diffundentur equites ejus.* Alii, Chaldaeum ſequuti, qui וְיִרְבּוּן vertit, *multiplicant ſeſe,* ſeu *abundant* reddunt itidem ex verbi פּוּץ ſignificatione, ש et ץ inter ſe permutatis. Syrus: ܘܦܪܚܘܢ ܦܪ̈ܫܘܗܝ *et volant equites ejus,* LXX ἐξιππάσονται vertunt, forſan quod pro פָּשׁוּ legerunt פָּרְשׁוּ, et Arabice فرس eſt *equitare.* Falſo J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2000. aſſerit, legi in duobus Kennicotti codicibus ופרשו pro וּפָשׁוּ. Abeſt potius quod ſequitur וּפָרָשָׁיו in duobus Kennicottianis codicibus, librariorum lapſu perquam facili ob פָּרָשָׁיו, quod praecedit.

Ludov.

Ludov. de Dieu adſcita ſignificatione Aethiopici פּוּשׁ *ſanum eſſe*, vertit: *ſani*, i. e. robuſti, validi ſunt *equites ejus*, ut poſtquam laudaſſet vates equos Chaldaeorum a levitate et velocitate, jam laudet equites a ſano robuſtoque corporis habitu. Nos adſtipulamur A. Schultensio, qui in *Animadverſſ. philologg.* tam ad Jerem. L, 11., quam ad noſtrum locum, verbum פּוּשׁ utroque loco, uti et Malach. III, 10., ubi de vitula laſciviente et ferociente dicitur, illuſtrat ex Arabico فاش (pro فيش) *gloriatus eſt, ſuperbivit.* Ita ſenſus emergit aptiſſimus: *ſuperbiunt*, faſtu geſtiunt *equites ejus*, ut 1 Sam. VIII, 11., ut equi comprehendantur, et nomen פָּרָשִׁים ſolum de *equis* uſurpari, docuit Ludovicus de Dieu ad Jeſaj. XXII, 6., vid. Jeſaj. XXI, 7. 9., XXVIII, 28. Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. VI. T. I. p. 35. ſequ. edit. Lipſ. Apud Latinos idem uſu venit, teſte Macrobio *Saturn.* L. VI. Cap. 9. *Omnes antiqui ſcriptores, ut hominem equo inſidentem, ita et equum, quum portaret hominem, equitem vocaverunt, et equitare non hominem tantum, ſed et equum dixerunt.* Quam egregie et naturae convenienter *ſuperbia* equis tribuatur, nemo ignorat. Eos Virgilius *Georg.* III, 117. dicit *greſſus glomerare ſuperbos.* Et Homerus *Iliad.* Z. 509. de equo: Κυδιόων, ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, *ſuperbiens, alte caput fert.* Damir apud Bochartum: في طبع الفرس الزهو والخيلاء *in natura equi faſtus eſt et ſuperba exultatio. Geſtiendi, ſuperbiendi* notio, verbo פּוּשׁ tributa, quam bene quadret locis Jerem. L, 11. Mal. III, 20., ea conſideranti patebit. Equites laudat hemiſtichio altero: וּפָרָשָׁיו מֵרָחוֹק יָבֹאוּ *et equites ejus*, populi Chaldaici, *venient e longinquo,* nec tamen longo itinere defetiſcentur, יָעֻפוּ כְּנֶשֶׁר חָשׁ לֶאֱכוֹל *advolabunt ut aquila feſtinans ad comedendum* praedam; aquilam rapidiſſime alis ferri et ſummo cum impetu, maxime cum in praedam ruit, veteres magno conſenſu teſtantur, quorum teſtimonia attulit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. II. C. II. T. II. p. 570. edit.

edit. Lips. Hinc Hebraei eorum, qui ad pugnam ruunt, velocitatem et impetum conferre solent cum aquilis, adeoque aquilis in praedam involantibus. Ita Deuter. XXVIII, 49. *Excitabit Jova contra te gentem remotam, ab extremis terrae finibus,* כַּאֲשֶׁר יִדְאֶה הַנָּשֶׁר *ut involat aquila.* Similiter Homerus de Hectore *Iliad.* X, 308.

Οἴμησεν δὲ ἀλεὶς, ὥς τ' αἰετὸς ὑψιπετήεις.

Irruit cum impetu conversus ut aquila altivolans. Eodem pertinet, quod Saulem et Jonathanem, viros pugnacissimos, David fuisse asserit aquilis velociores, 2 Sam. I, 23. Et quod de Chaldaeis dicit Jeremias IV, 13. קַלּוּ מִנְּשָׁרִים סוּסָיו *velociores aquilis* sunt *equi eorum.* Vid. et Jerem. XLVIII, 40. XLIX, 22. Thren. IV, 19.

9. כֻּלֹּה לְחָמָס יָבוֹא *Universitas ejus*, tota illa gens, *ad vim* faciendam *venit*, ut violentiae impetu populos opprimat. לְחָמָס pro לַעֲשׂוֹת חָמָס. Difficilioris interpretationis sunt verba quae sequuntur, מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה, maxime ob harum vocum primam, hoc solo loco obviam. Eam cum Jarchio plures referunt ad verbum גָּמָא, cujus Piel Job. XXXIX, 24. legitur, ubi de equo: יְגַמֶּא אֶרֶץ *absorbet terram,* i. e. absolvit cursu brevi temporis spatio tractum terrae, non aliter ac si absorberet et deglutiret terram ante se; unde nostra verba ita exponunt: *absorbitione* sive *haustu faciei ipsorum erunt similes euro,* vehementissimo vento. Alii *haustum* pro *desiderio* capiunt, quo sensu voce מְגַמַּת usus est Kimchi in Scholiis ad Ps. XXVII, 8. Quibus hoc placet, ii hunc locum sic explicant: *desiderium facierum ipsorum Orientem versus.* Cui interpretationi quum obstet, quod Chaldaei, illaturi bellum Hierosolymae, in occidentem tendebant, hunc nodum solvit Abarbenel ita, ut verbis *desiderium facierum ipsorum orientem versus* hoc significari existimet, Chaldaeorum negotium hoc unum esse, rapere et praedari, et cum praeda remeare in regionem suam, quae ad plagam orientalem sita; non parcere eos terris, quas invadunt, quum ipsis non sit animus, sedem in

in illis figere, fed eis direptis et expilatis orientem verfus redire. Nos vocem מְגַמַּת commode *occurfum, impetum* verti poffe arbitramur, quum גָּמַם جَمّ Arabibus inter alia fignificet: *appetebat, prope fuit inftititque* res, five adventus alicujus. קָדִימָה nobis eft *eurus,* ventus vehementiffimus et maxime in illis terris noxius, qui alias קָדִים dicitur, cui nomini hic additum ה *emphaticum,* feu *αὐξητικὸν,* quo fignificatio intenditur (vid. not. ad Hof. VIII, 7.), ante illud vero כ, comparandi nota fubaudienda, ut vertendum fit: *occurfus* f. *impetus facierum ipforum,* i. e. eorum, eft *ficut ventus orientalis vehementiffimus.* Eundem fenfum expreffit Chaldaeus: מְקַבֵּל אַפֵּיהוֹן דָּמָן כְּרוּחַ קָדִים קְרוּמָא *antrorfum facies eorum fimiles funt vento orientali vehementi.* Ita et Symmachus: *ἡ πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν ἄνεμος καύσων.* Quod fequutus Hieronymus (ita tamen ut מְגַמַּת non exprimeret): *facies eorum ventus urens.* Ad quae in Commentario: „Quomodo ad flatum venti urentis virentia cuncta arefcunt, ita ad adfpectum eorum omnia vaftabuntur." Steudel (*Archiv* Vol. II. p. 418.) ftatum conftructum nominis מְגַמַּת h. l. paffivo fenfu capiens, verba מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה fic vertit: *impetus contra facies eorum* eft ficut impetus *contra eurum,* i. e. illis fefe opponere aeque vanum eft, ac fi quis fefe euro adurenti opponere vellet. Quod nobis tamen durius videtur. Syrus: ܚܙܘܐ ܕܐܦܝܗܘܢ ܩܫܐ *adfpectus vultuum eorum durus,* terribilis eft. Kimchi quoque מְגַמַּת exponit נֹכַח *coram.* Confonat Michaelis *Supplemm.* p. 331., fed ita ut vocem noftram hebraicam ad arabicum جَبَا (pro جَبُو) referat, quod cum derivatis Arabum philologi شَخَصَ *adparuit* interpretantur. Hinc جَبَا *quod de re quavis extrinfecus adparet,* جَبَاءٌ *adparentia, res exftans et confpicua.* Significatione *anticae, oppofiti* מְגַמַּת cepit quoque Graecus Alexandrinus interpres, etfi ceterum a vero fenfu aberravit: *ἀνθεστηκότας προσώποις αὐτῶν*

αὐτῶν ἐξεναντίας. Ludov. de Dieu collato Arabico جمة *multitudo, copia*, noſtra verba ſic vertit: *pleraeque facies eorum Orientem verſus* ſpectant, ut ſenſus ſit: „hi Chaldaei non vos tantum Judaeos, qui ipſis ad meridiem fere ſiti eſtis, meditantur quos ſubjugent, ſed plerique eorum Aſſyriam verſus mentem habent, quae ipſis Orientalis eſt, ut univerſum Aſſyriorum regnum, qui jam rerum potiuntur, invadant et occupent.“ Sententia frigida, nec veriſimile, vatem hoc ſuae orationis tenore tale quid tetigiſſe, quod ad Judaeos plane non ſpectaret. Nec magis probanda altera, quam Ludov. de Dieu propoſuit, interpretatio: „Apud Syros,“ inquit, „ܓܡܪ ex geminantibus ſecundam ſignificat, teſte Ferrario: *amputavit, excidit, ſuccidit*. Jeſ. XVI, 8. ponitur pro הָלְמוּ *contuderunt, perdiderunt*, inde et ܡܓܡܪ גְּמִים *ſuccifus, radicitus*. Hinc verti poſſet: *exciſio faciei ipſorum*, i. e. quam facie ſua prae ſe ferunt et minantur, *orientem verſus* tendit.“ וַיֶּאֱסֹף כַּחוֹל שֶׁבִי *Et congregat* abripitque *inſtar arenae captivitatem*, i. e. captivos innumeros; ita שֶׁבִי et Num. XXI, 1. Deut. XXI, 10. Pſ. LXVIII, 19. uſurpatum.

10. וְהוּא בַּמְּלָכִים יִתְקַלָּס *Illa quoque* gens Chaldaeorum, ſ. ille hoſtis, *regibus illudit*. Hieronymus: *et ipſe de regibus triumphabit*. וְרֹזְנִים מִשְׂחָק לוֹ *Et duces* ſ. principes *riſus* ſ. *ludibrio ipſi* ſunt. הוּא לְכָל־מִבְצָר יִשְׂחָק *Ille ad omnem munitionem ridet*, loca munita, ſive oppida fuerint, ſive caſtella et propugnacula, non curat. Chaldaeus: הוּא לְכָל כְּרַךְ תַּקִּיף מְעִיק *ille omnem arcem validam in anguſtiam adigit*. וַיִּצְבֹּר עָפָר וַיִּלְכְּדָהּ *Et colligit pulverem*, terram, *aggerem*, ut recte Hieronymus, *et capit eam*, ſcil. עִיר מִבְצָר *urbem munitam*, quod ex ſuperiore eſt ſubaudiendum. Senſus: ſtructis aggeribus expugnat quaelibet loca munita.

11. אָז חָלַף רוּחַ וַיַּעֲבֹר *Tunc transit ſpiritus et ſupergreditur* ſcil. fines et terminos aequitatis et modeſtiae; ex tanto rerum ſucceſſu creſcet ei (hoſti ſ. regi Chaldaeo) animus

animus ſupra modum et inſoleſcet plus aequo. Verba חָלַף et עָבַר hic eodem ſenſu uſurpantur quo Jeſaj. XXIV, 5. עָבְרוּ תוֹרֹת חָלְפוּ חֹק *transeunt leges, ſupergrediuntur ſtatutum.* רוּחַ h. l. maſculine ſumitur, ut Job. IV, 15. et alias ſaepe. חָלַף רוּחַ ſunt qui vertant: *mutat ſpiritum;* ſed *mutandi* ſignificatum obtinet hoc verbum tantummodo in forma *Hiphil.* Nec ſenſus, ea ſignificatione adſcita, enaſcitur ſatis concinnus. Alii verba hebraea ſic reddunt: *tum transit ſicut ventus et transgreditur,* quod ſic intelligunt: terras venti inſtar pervadit. Quam nos indicavimus ſententiam, commendat et verborum חָלַף atque עָבַר loco Jeſajae parallelo uſus, et illud quod ſtatim additur: וְאָשֵׁם *reum ſe facit,* delinquit contra Jovam, tribuendo hanc potentiam, has ſuas vires, Deo ſuo, quod noſter hisce verbis exprimit: זוּ כֹחוֹ לֵאלֹהוֹ quaſi *haec vis ipſius Deo ſuo,* quorum verborum ſenſum Abarbenel recte ita explicat: „Victoriam ſuam, ac res a ſe fortiter geſtas, proſperumque ſuum ſucceſſum accepta referet diis ſuis, immemor, haec omnia a Deo ſummo proficiſci.“ Chaldaeus Verſum integrum ſic vertit: בְּכֵן עַל דְּרָמַת רוּחֵיהּ עֲלוֹהִי עֲדָא מִמַּלְכוּתֵיהּ וְחָב עַל דְּאַסְגִּי יְקָרָא לְטַעֲוָתֵיהּ *ideo propter elationem ſpiritus ſui discedit a regno ſuo,* a regno abolebitur, *et peccavit eo quod multiplicaverit gloriam idolo ſuo.* Grotius: „Eſt ἔλλειψις participii [ante זוּ] *dicens,* et voculae *quod,* ut ſit ſenſus: *dicens has ſuas eſſe vires, ut qui ſibimetipſi ſit pro Deo.* Vid. Dan. III., et confer quae infra Vs. 16.“ Simili modo Capanei, unius e ſeptem illis ducibus, qui Thebas obſederunt, impietatem deſcribit Statius *Thebaid.* IX, 545.

Agnovit longe preſſitque dolorem
Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto
Hortatur librans: ades o mihi dextera tantum
Tu praeſens bellis, et inevitabile numen;
Te voco, te ſolam ſuperum contemtor adoro.

Et idem III, 605.

Virtus mihi numen, et enſis
Quem teneo.

Imitatus eſt Statius VIRGILIUM, qui Mezentium (*contemtorem divum*, Aen. VII, 648.) ſic loquentem inducit *Aen.* X, 773.:

Dextra, mihi deus, et telum, quod miſſile libro,
Nunc adſint.

Ad ea quae tertio Danielis Capite narrantur, hunc Verſum refert quoque HIERONYMUS: „Quum autem comportaverit aggerem, et nihil viribus ſuis obvium fuerit, tunc mutabitur ſpiritus ejus in ſuperbiam, et Deum eſſe ſe credens, imaginem auream ſtatuet in Babylone, quam univerſas gentes adorare compellet. Quod quum fecerit transibit in beſtiae figuram, et poſtea corruet: pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt: καὶ πλημμελήσει, id eſt, *et delinquet*, hanc habente Scriptura Sancta conſuetudinem, ut *Vaſam*, id eſt, *delinquet*, ponat pro eo quod eſt, *deſinet eſſe* quod fuerat. Tale quid et nos habemus in linguae noſtrae idiomate, dicentes: *vapulavit exercitus*, pro eo quod eſt, *interfectus et caeſus eſt.* Et: *peccavit vinea et ager*, pro eo quod eſt, *vindemia et fruges non habuere proventum.* Quod autem in fine capituli dicitur: *haec eſt fortitudo ejus Dei ſui*, εἰρωνικῶς eſt legendum, ut ſit ſenſus: haec eſt fortitudo ejus, quam ei dedit Bel, Deus ſuus, ad cujus cultum omnes nationes etiam per ſcripturam et comminationem mortis ſaeviſſimo imperio compellabat.“

12. Excitat nunc vates ſpem ſuam, antiquam repetens memoriam eorum, quae Deus populo ſuo aut praeſtitit, aut promiſit beneficia, ex quibus argumentum ſumit, ut ſperet, non ita fore populum Judaicum premendum a Chaldaeis, ut plane opprimatur et exſcindatur. הֲלוֹא אַתָּה מִקֶּדֶם יְהוָֹה אֱלֹהַי קְדֹשִׁי לֹא נָמוּת *Nonne tu ab antiquo Jova*, fidelis et immutabilis Deus (Exod. VI, 2. 6. 7.), *Deus meus,* numen meum tutelare, *ſanctus meus*, quem ſacroſanctum colo et veneror, vid. Jeſaj. I, 4. XII, 6. XLIII, 3., *non* igitur *moriemur*, i. e. quum nos te talem veneremur Deum qui nos ſemper ab hoſtibus vindicavit, non permittes ſcio, ut Chal-

Chaldaei nos ad internecionem deleant. *Mori* enim natio aliqua dicitur, cum penitus exterminatur. Dictio לֹא נָמוּת est una ex octodecim illis, quae Hebraei תִּקּוּן סוֹפְרִים *ordinationem* five *conftitutionem fcribarum* vocant, in quibus quidam volunt olim aliter fcriptum fuiffe, quam hodie legimus, et fcribas veteres, id eft, Efram cum fuis collegis veterem lectionem emendaffe et correxiffe, et hoc quidem loco olim fcriptum fuiffe לֹא תָמוּת, ut fenfus fit: tu aeternus es et immutabilis, nec ulli mortali conditioni obnoxius. Certe hoc expreffit Chaldaeus, qui hemiftichium hujus Verfus prius fic expofuit: הֲלָא אַתְּ יְיָ בְרֵית עַלְמָא מִבְּרֵאשִׁית אַתְּ אֱלָהָא דַיָּן קְשׁוֹט עַל כֹּל בְּרִיָתָךְ קַדִּישׁ בְּעוֹבָדֵי הֵימָנוּתָא מֵימְרָךְ קַיָּם לְעָלְמִין *nonne tu, Jova, creafti mundum a principio? tu Deus es judex veritatis*, i. e. judex juftus *fupra omnes creaturas tuas, fanctus in operibus fidelitatis, verbum tuum manet in aeternum,* i. e. tu manes in aeternum, quod hebraico לֹא תָמוּת refpondere patet. Id vero in לֹא נָמוּת immutatum fuiffe a fcribis illis veteribus, quod phrafin לֹא תָמוּת Dei aeterni et immortalis majeftati non bene convenire putarent. Eft tamen cum a Judaeorum legibus, quibus vel minimum in textu facro apicem mutare et innovare prohibentur, tum ab ipforum religione ac reverentia erga fcripta fua facra prorfus alienum, ut quicquam quod fcriptum invenerunt fuftinuerint corrigere et mutare. Dictiones illas, quas Judaei תִּקּוּנֵי סוֹפְרִים vocant, effe meros lufus ingenii Judaeorum, qui ut dictis fuis aliqua e fcriptis facris conftet auctoritas, pro recepta apud ipfos interpretandi fcripta facra methodo, interdum literas vel voces integras aliis permutarint, ut ex iis placita fua confirmarent, neque igitur illas pro lectionis varietate in codicibus reperta habendas effe, pluribus oftendit ex ipfis antiquiorum quorundam Rabbinorum monumentis Jo. Gottl. Kalinsky in Differtatione, quam infcripfit: *Origo obfervationum Maforethicarum, quas* תיקוני סופרים, *ordinationes fcribarum appellare folent*, Lipf. 1715. 4. Cf. Buxtorfii *Anticrit.* p. 750. לֹא נָמוּת expresferunt quoque Graecus

Z 2 Ale-

Alexandrinus interpres atque Hieronymus. Nec aliter legisse Syrum, inde apparet, quod ܢܡܘܣܐ ܣܡܗ posuit. Videlicet vocem נָמוּת, recte observante J. M. Fabro in *Comment. Crit.* p. 10., pronunciatum a praelegente audisse videtur, ut Judaei nostri, Syria oriundi, pronunciare solent, *Namus*. יְהוָה לְמִשְׁפָּט שַׂמְתּוֹ *Jova, ad judicium* exercendum in populum tuum, eumque castigandum *posuisti eum*, hostem Chaldaeum, non autem, ut populum tibi charum penitus exscindat. Sic apud Jeremiam XLVI, 28. Jova postquam dixisset, se omnes gentes, per quas Judaeos sit dispersurus, funditus deleturus, addit: *te vero non funditus delebo*, וְיִסַּרְתִּיךָ לַמִּשְׁפָּט *sed castigabo te ad judicium*, ut discas, non ut pereas, moderate. וְצוּר לְהוֹכִיחַ יְסַדְתּוֹ *Et, o petra! ad castigandum constituisti eum*, Chaldaeum, non ut nos funditus evertat. *Petra Israelis*, צוּר יִשְׂרָאֵל, appellatur Jova et apud Jesajam XXX, 29., et in carmine Mosis Deut. XXXII, 4. 15. 18. 37., quod sicut rupes tutissima sunt perfugia contra hostium impetus et latrocinia, ita Jova, populi Hebraici tutelare numen, ei certissimum auxilium praestat. Verum יָסַד, proprie *fundavit*, hic habet simplicem *constituendi* notionem, ut Jes. XXIII, 13. Esth. I, 8.

13. טְהוֹר עֵינַיִם מֵרְאוֹת רָע *Mundior es oculis quam ut videas malum* idque non punias. Cf. Ps. V, 5. 6. וְהַבִּיט אֶל עָמָל לֹא תוּכָל *Et intueri molestiam*, quam hostes tuo populo afferunt, *non potes*. Justior es et in misericordiam propensior, quam ut possis diutius pati populum tuum ab iniquis hominibus durius premi atque affligi. לָמָּה תַבִּיט בּוֹגְדִים *Quare ergo intueris inique agentes*, violentos hostes, eorumque ferocitatem non cohibes? תַּחֲרִישׁ בְּבַלַּע רָשָׁע צַדִּיק מִמֶּנּוּ Cur *taces cum devorat*, penitus opprimit, *impius justiorem se?* Hieronymus: „Cur pateris, inquit, ab impio Nabuchodonosor justum opprimi Israel? Non quod perfectus sit qui opprimitur, sed quod opprimente se justior sit."

14. וַתַּעֲשֶׂה אָדָם כִּדְגֵי הַיָּם כְּרֶמֶשׂ לֹא־מֹשֵׁל בּוֹ *Et* cur *facis homines sicut pisces maris? sicut reptile*, cui *non* est, qui

qui *in eum dominetur?* Cur ita permittis homines alios ab aliis vexari et opprimi, quaſi nullum habeant principem et patronum, ad quem in potentiorum injuria et vexatione confugiant, ut ſimiles reddantur piſcibus et reptilibus, quibus nullus eſt qui eos defendat et tueatur, unde et ſeſe invicem devorant, et piſcatorum fraudi praeda ſunt propoſiti. Recte HIERONYMUS hujus ſimilitudinis vim illuſtrat: „Quomodo piſces, qui non habent principem, et irrationabilia jumenta, et multitudo reptilium absque providentia, ſubjacet fortiori, et quiquumque plus valuerit viribus, dominatur in alterum; ſic inter homines, animal rationale, et ad ſimilitudinem tuam conditum, non valebit ratio, non merita; ſed vires corporis et irrationabilis fortitudo." רֶמֶשׂ hic intelligendum eſſe de *reptilibus*, quae natant in aquis, ſuadet et parallelum in priori hemiſtichio דְּגֵי הַיָּם, et illud, quod Verſu proximo ea adhibet, quae non niſi aquatilibus, et piſcatoribus conveniunt, qualia ſunt rete, ſagena, hamus. מֹשֵׁל בּוֹ dubitari poteſt, num intelligendum ſit de homine, qui in illa animalia dominetur, an vero de aliquo e ſuo genere, quem ſequantur. Alunt homines ovium, caprarum, porcorum, taurorum et camelorum greges, quibus paſcendis et tuendis invigilant, et ſi quid ex illis vi aut furto a quoquam fuerit ablatum, jure aut armis repetunt. Idem dicendum de quibusdam avibus, quas cicurant et alunt, quales ſunt anſeres, gallinae, columbae. At quis unquam vidit aut piſces maris aliasve maritimas beſtias ab aliquo nutriri, aut illorum dominum quemquam appellari? Quare ſi quis in altum mare aut hamum demittat, aut rete expandat, nemo queritur, nemo prohibet, quia nemo ſibi inferri putat injuriam. Deinde animantium quaedam ex ſuo genere duces habent, quos ſequantur, et quaſi gregis principes. De taurorum gregibus dixit VIRGILIUS juxta naturam utique horum animalium *Aeneid.* L. XII, 718., poſtquam duorum taurorum pugnam deſcripſiſſet:

Stat pecus omne metu mutum, muſſantque juvencae,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur.

Tali

Tali autem duce e ſuo genere quum careant piſces aliàque aquatilia animantia, unde minores eſcae ſunt majoribus, iis commode comparari poſſunt homines, cum ii, quibus minus eſt virium, potentioribus ludibrio ſunt et praedae.

15. Perſequitur ſimilitudinem a piſcatura deſumtam, atque hoſtem Chaldaeum, gentes et populos imperio ſuo ſubjicientem comparat piſcatori piſces undecunque reti, ſagena et hamo expiſcanti atque congreganti indeque gaudenti. כֻּלֹּה בְּחַכָּה הֵעֲלָה *Univerſitatem ejus*, i. e. omnes illos ſcil. piſces *hamo educit* educens, i. e. piſcator. הֵעֲלָה pro הֶעֱלָה (cum *Zere* ſub ה praeformativo), cui ſimile הֵעֲבַרְתָּ Joſ. VII, 7. Chaldaeus: כֻּלְּהוֹן דָּמַן לְצַיָּדִין דְּאָחֵיד נוּנָא בְּחַכְּתָא *omnes*, hoſtes Chaldaei, *ſimiles ſunt piſcatori, qui capit piſcem hamo.* יְגֹרֵהוּ בְּחֶרְמוֹ *Colligit eum*, ſ. eos omnes, כֻּלֹּה, initio Verſus, *ſagena ſua.* Dictionem יְגֹרֵהוּ ſunt qui *attrahunt, abripiunt* vertant, a גָּרַר *trahere*, *trahendo auferre*, *abripere.* Ita LXX: Καὶ εἵλκυσεν αὐτὸν ἐν ἀμφιβλήστρῳ. Hieronymus: *Traxit illud in ſagena ſua.* Syrus: ܘܡܬܢܓܕ ܒܡܨܝܕܬܐ *et trahitur reti.* Sed Chaldaeus, qui כָּנֵישׁ *colligit*, vertit, eumque ſequuti Hebraei interpretes noſtrum verbum ad גור referunt, ſignificatu haud diverſum ab אָגַר, *collegit*, *congregavit*, quomodo גור et Pſ. LVI, 87. ſumitur, ad quem loc. vid. not. et cf. Pſ. LIX, 4. CXL, 3. וְיַאַסְפֵהוּ בְּמִכְמַרְתּוֹ *et colligit eos in reti ſuo.* Hieronymus: „Quia ſupra *piſces* nominaverat, idcirco metaphoram piſcium ſervat in ceteris, ut quomodo piſcator mittit hamum, et rete, et ſagenam, ut quod *hamus* non potuit, *rete* comprehendat, quod evaſerit rete, *ſagenis latioribus* comprehendetur: ita et rex Babylonius cuncta vaſtaverit, et univerſum hominum genus ſuam praedam fecerit" עַל־כֵּן יִשְׂמַח וְיָגִיל *Propterea*, propter felicem ſagenae ſuae jactum, ſive propter felices ſuos ſucceſſus in ſubjugandis populis *laetatur et exſultat.*

16. עַל־כֵּן יְזַבֵּחַ לְחֶרְמוֹ *Propterea*, quod gentes omnes tam facile redigit ſub poteſtatem ſuam, *ſacrificat*, divinos hono-

honores tribuit, *ſagenae ſuae*, i. e. לְזִינֵיהּ *armis ſuis*, ut Chaldaeus vertit. Non Deo ipſum dirigenti et quaſi deducenti, ſed ſibi, prudentiae, ſagacitati, conſilio, viribus, copiis, animi fortitudini atque audaciae acceptas fert victorias, atque inde inſoleſcit et ſuperbit. Quod Chaldaeus dicitur ſacrificare ſagenae ſuae, ſ. armis ſuis, eo vates „inſulſam quandam," inquit Dougtaeus *Analectt. SS.* ad h. l. p. 295., „idololatriae ſpeciem in paganis videtur perſtringere, qua *ſagenam* et *rete*, h. e. arma ipſa bellica deorum loco vere habebant. *Ab origine rerum*, inquit Justinus L. XLIII. c. 3., *pro diis immortalibus veteres Haſtas coluere, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtae adduntur.* De acinace vero, ſive haſta Perſica Lucianus in *Tragoed.* Σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύουσι. *Scythae nimirum acinaci ſacrificant.* Id ipſum tradit Arnobius *adverſus Gentes* L. VI. [p. 196. ed. Lugd. Bat. 1651. *Ridetis, temporibus priſcis acinacem coluiſſe Scythiae nationes*]. Ammianus Marcellinus L. XVII. c. 12. de Quadis: *Adepti veniam juſſa fecerunt eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravere ſe permanſuros in fide.*" Alii, veluti Kimchi et Grotius, hoc ſignificari exiſtimant, hoſtem Chaldaeum contemto Deo ſummo, victorias ſuas tribuere propriae virtuti, induſtriae ac viribus. Cf. not. ad Vs. 11. וִיקַטֵּר לְמִכְמַרְתּוֹ *Et ſuffitum facit*, ſacrificia offert, ut Deo, *ſagenae ſuae.* כִּי בָהֵמָּה שָׁמֵן חֶלְקוֹ *Nam per iſta*, retia et ſagenas ſuas, *pinguis eſt portio ejus*, i. e. armis ſuis comparavit ſibi conditionem lautam et opulentam. Tralatio a conviviis. וּמַאֲכָלוֹ בְּרִאָה *Et cibus ſuus pingue quid.* בְּרִאָה hic ut neutrum capiendum eſt, quum מַאֲכָל ſit maſculini generis. *Sagenâ* et *reti* Jarchi intelligit ſimulacrum, cui ſuas victorias acceptas tulerit rex Chaldaeorum. Ita Hieronymus quoque, qui hujus Verſus ſenſum ita exponit: „Quod ait: *Laetabitur atque gaudebit et immolabit ſagenae ſuae, et ſacrificabit reti ſuo*, idolum ſignificat, quod fecit in campo Dura, cui quaſi grandi ſagenae immolavit pinguiſſimas victimas, totas quas vicerat nationes ad cultum

cultum ejus cogens [Dan. III, 1. feqq.]. In ipfis quippe, hoc eft, in idolis fuis, incraffatum effe fe credens, et fuam partem, id eft, omnes fe habere divitias, quafi grandes pifces etiam principes quosque atque reges fuo fubjugavit imperio, quas *efcas electas* vocat."

17. הַעַל כֵּן יָרִיק חֶרְמוֹ *Num propterea*, ut conditio ejus pinguior evadat, et cibus lautior, *evacuabit fagenam fuam*, deplet et exonerat pifcibus, ut poftea eam rurfum jaciat ad novam capturam? Quid fibi velit ftatim fubdit verbis propriis: וְתָמִיד לַהֲרֹג גּוֹיִם לֹא יַחְמוֹל *et* num *continuo occidere gentes non parcet?* Num tu, Jova, eum femper fines late per terras graffari et fine miferatione totas gentes perdere? Chaldaeus: הַעַל אִלֵּין יִשְׁלַח מַשִׁרְיָתֵיהּ בִּתְדִירָא לְאוֹסָפָא עַמְמִין וְלָא בְחַיִס *nunquid propterea mittet exercitus fuos, ut perpetuo confumat gentes fine mifericordia?* Hieronymus: „Et quia femel pifcatione opulentiffima faturatus eft, et fagenam fuam, id eft, fuum replevit exercitum, propterea gentes interficere, id eft, femper pugnare et jugulare non ceffat."

Cap. I.

1. Oraculum quod edidit Habacucus vates.

2. Quousque, Jova, me clamante non exaudies? me apud te injuſtitiam conquerente non ſuccurres?

3. Cur facis, ut iniquitatem videam? Adſpicis facinora! Perniciem et violentiam habeo in conſpectu, vigentque lites et certamina.

4. Itaque ceſſat lex, nec juſtum prodit judicium, quoniam impius circumvenit inſontem, ideoque eſt perverſa jurisdictio.

5. Adſpicite per gentes, et cernite admirabundi! quoniam fiet opus veſtro tempore, quod non credituri eſtis cum narrabitur.

6. Nam ecce ego Chaldaeos ſuſcito, acerbam feſtinamque gentem, vadentem quam late terra patet ad occupandas habitationes non ſuas.

7. Ea horribilis eſt ac terribilis, ex ſe ipſa jus et dignitas ejus procedit.

8. Suntque et pardis velociores ejus equi, et veſpertinis lupis acriores, geſtitque ejus equitatus. Equites ejus procul adveniunt, advolantes uti ad vorandum properans aquila.

9. Univerſi ad ſaeviendum veniunt; faciem habent occurſu ſimilem euro, captivos ſicut arenam colligunt.

10. Ipſa reges habet ludibrio et principes deriſui; ipſa quamvis munitionem ridet, et humo congeſta capit.

11. Tum vero ſpiritu gliſcens transit modum et reum ſe facit ſuas illas vires Deo ſuo tribuens.

12. *Nonne tu antiquus es, Jova? Deus meus? Sanctum meum numen! Non moriemur! Tu, Jova, eum ad judicium* exercendum *destinasti, tu, o petra, eum ad puniendum fundasti.*

13. *Qui purioribus es oculis, quam ut scelus videas, nec adspicere facinus potes. Cur adspicis violentos, tacesque dum absorbet improbus meliorem se?*

14. *Cur reddis homines quasi pisces marinos? sicut repentes, qui carent dominatore?*

15. *Iste omnes hamo extrahit, cogit eos in suam sagenam, atque in rete suum congerit, et idcirco laetatur et gestit.*

16. *Itaque sagenae suae sacrificat, et reti suo adolet, quod per ea conditio ejus opima victusque pinguis est redditus.*

17. *Ideone deplebit (porro) suam sagenam, et continuo gentes occidere non parcet?*

Cap. II.

Argumentum.

Exſpectans vates, tanquam ſpeculator in loco alto conſtitutus, quid ad preces ſuas Deus reſpondeat, oraculum jubetur promulgare (Vs. 1—4.), quod hoſtis Chaldaei ſuperbi, avari, violenti atque idolorum cultui dediti excidium et merita ſupplicia declarat (Vs. 5—20.).

---

1. עַל־מִשְׁמַרְתִּי אֶעֱמֹדָה *Super cuſtodia mea ſto,* quibus verbis Chaldaeus haec praemiſit: אֲמַר נְבִיָּא *dixit propheta.* מִשְׁמַרְתִּי ſunt qui *paſſive* capiant, de loco, quo vatem obſervent, et quaſi obſeſſum teneant illi, qui exſpectant, quid Jova per ipſum ſit reſponſurus ad quaeſtionem ſupra (I, 13.) propoſitam. Ita Zach. III, 7. et Mal. III, 14. eadem dictio paſſive uſurpatur de mandatis Dei, quod ea ſervanda et cuſtodienda hominibus tradidit. Rectius tamen מִשְׁמֶרֶת h. l. *active* capitur, metaphorà deſumtà a vigilibus, qui per vices et certas horas ſtationem ſuam obeunt (veteres enim noctem in quatuor vigilias distribuiſſe, quas אַשְׁמוּרוֹת vocabant, obſervavimus ad Pſ. XC, 4.), et quid eveniat obſervant. Hujusmodi vigilibus comparantur prophetae, cum exſpectant, quid Deus ipſis ſit patefacturus, et Jerem. VI, 17. Ezech. III, 17. Hoſ. V, 1. וְאֶתְיַצְּבָה עַל־מָצוֹר *Et conſiſto ſuper munimento,* arce, turri, in cujusmodi locis ſpeculatores et vigiles ſtare ſolent. Ut miles, inquit, qui in arce aliqua vigilias agens exſpectat unde auxilium veniat, ſic ego exſpecto tempus illud, quo Deus mihi reſpondeat ad inter-

interrogata. מָצוֹר veteres Hebraei, Kimchio referente, expoſuerunt עוּגָה, *circulum,* quaſi *locum incluſum,* a צוּר *arctare.* Ita ſane Jarchi verba noſtra interpretatur: „Vates facto circulo ſtetit in ejus medio, et conſtituit apud ſe, ſeſe non inde exiturum, donec ipſe dixerit Deus, cur differat poenam improborum.“ Satis vetuſtam eſſe hanc interpretationem, patet e commentario Hieronymi, cujus haec ſunt verba: „Pro *munitione* et *petra* [quomodo LXX et Syrus verterunt], in cujus locum Symmachus interpretatus eſt *concluſum,* in Hebraico ponitur *Maſur,* quod Theodotio *gyrum,* Aquila et Quinta editio *circinum* transtulerunt.“ Chaldaeus tamen מְצוּדְתִי *munitio,* i. e. arx, turris vertit, quae ſane ſpeculatori ſeu vigili, quocum vates ſeſe comparat, melius convenit. וַאֲצַפֶּה מַה־יְדַבֶּר־בִּי וּמָה אָשִׁיב עַל־תּוֹכַחְתִּי *Ut ſpecularer,* exſpectarem, *quod loquuturus ſit mecum* Jova, *et quid reſpondeam ſuper disceptatione mea.* Supra enim Vs. 3. ſeqq. cum Deo disputaverat et rogaverat, cur impios ſinat impune graſſari. Id autem fecit nomine populi, cui nunc reſponſum dare cupit, quod a Deo avide exſpectat. Chaldaeus עַל־תּוֹכַחְתִּי haud male vertit עַל בָּעוּתִי *ad poſtulationem meam.* נוֹכַח notum eſt ſumi pro *disceptare, disputare,* veluti Jeſaj. I, 18., ſimiliter יִתְוַכָּח Mich. VI, 2.; hinc תּוֹכַחַת eſt *disputatio,* qua propheta quaſi arguit adverſus Deum. Verbum enim proprie *arguere, argumentis contendere* ſignificat. Jarchi dictionem illam intelligit paſſive de reprehenſione, quae vati a populo ſit facta, de qua tamen in ſuperioribus nil legitur.

2. Accipit divinum mandatum: כְּתֹב חָזוֹן *Scribe viſum,* i. e. quod per viſionem tibi ſum patefacturus; literis illud manda, ut non modo praeſentibus, verum etiam poſteris notum fiat. וּבָאֵר עַל־הַלֻּחוֹת *Et explana* illud viſum, dilucide ſcribe, *ſuper tabulis,* cf. Jeſaj. VIII, 1. XXX, 8. Chaldaeus haec verba ſic reddit: כְּתִיבָא נְבוּאֲתָא וּמְפָרְשָׁא עַל סִפְרָא דְאוֹרַיְתָא *ſcripta eſt prophetia haec et expreſſa in libro legis.* Ad quae Jarchi obſervat, interpretem ſic vertiſſe,

tiſſe, quaſi pro כָּתוּב legerit כָּתוּב (cum Schurek). Reſpexiſſe vero locum Levit. XXVI, 34., ubi praedicitur, fore, ut *terra quieſcat in ſabbathis ſuis,* quo innuatur ſeptuaginta annorum ſpatium, quo Judaei in terris exteris exſules ſint detinendi. לְמַעַן יָרוּץ קוֹרֵא בוֹ *Ut percurrat qui legerit in eo,* „ut ſtatim aſſequatur qui illud legerit; *unde de plano legi poſſet,* dicebant Latini," uti recte Grotius. Id Jeſaj. VIII, 1. dicitur בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ, vid. not. ad eum loc. Hieronymus: „Scribere autem jubetur planius, ut poſſit lector currere, et nullo impedimento velocitas ejus et legendi cupido teneatur." Similiter Steudel: ut qui illud legerit ſtatim procurrere poſſit.

3. כִּי עוֹד חָזוֹן לַמּוֹעֵד *Nam adhuc viſum,* i. e. quod futurum per viſum tibi patefaciam, differetur *ad ſtatutum tempus.* Quod Hieronymus ita vertit: *quia adhuc viſus procul,* et in Commentario: „Et hoc [ut literis mandetur oraculum] praecipit, quia adhuc viſio procul eſt, et in tempore conſtituto." Ne igitur vaticinium jam proponendum ex hominum memoria excidat, aut oblivioni detur, vates jubetur illud literis conſignare. וְיָפֵחַ לַקֵּץ *Et loquitur de fine,* i. e. de tempore futuro, ſive de iis quae futuro tempore evenient. יָפֵחַ, Futurum *Hiphil* verbi פּוּחַ, proprie *flare, proflare,* haud raro *proloqui, fari* ſignificat, vid. Prov. VI, 19. XII, 17. XIV, 5. Pſ. XXVII, 12., ad quem loc. cf. not. קֵץ, *Finis,* hic idem quod alias אַחֲרִית הַיָּמִים *poſtremum dierum,* tempus futurum, Geneſ. XLIX, 1. Jeſ. II, 2. Eodem ſenſu עֵת קֵץ *tempus finis* Dan. VIII, 17. ſeu מוֹעֵד קֵץ ibid. Vs. 19., et קֵץ הַיָּמִים Dan. XII, 13. uſurpantur. ל ante קֵץ notat *de, ſuper, ut* Pſ. XXII, 31., ubi vid. not. Senſu noſtra phraſis convenit cum ea, quae Dan. VIII, 17. legitur: לְעֶת־קֵץ הֶחָזוֹן *ad tempus futurum* pertinet *haec viſio,* de tempore futuro loquitur haec prophetia. Steudel לַקֵּץ mallet *pro fine,* i. e. eventu intelligere, i. e. patefacit futura eo ſucceſſu, ut quae minantur exitum habeant. Quod ipſum tamen verba proxima exprimunt.

munt. Kimchio et Cocceio יָפֵחַ eſt nomen, *indicem, praeconem* notans (proprie: *proferentem, loquentem*) a verbo יָפַח, cui eandem cum פּוּחַ ſignificationem tribuunt, ut ſenſus ſit: *praeco,* vel *teſtis* ille, i. e. vaticinium hoc, aderit *ad finem* usque praeſtituti termini. Ludov. de Dieu noſtra verba ſic vertit: *Nam adhuc viſio ad tempus conſtitutum* pertinget, *et loquens* (proprie *ſpirans*) *ad finem* pertinget. Et illi יָפֵחַ non eſt Futurum Hiphil verbi פּוּחַ, ſed nomen participiale verbi יָפַח, cujus forma Hithpael, הִתְיַפֵּחַ, legitur Jerem. IV, 31., nec non Pſ. XXVII, 12. וִיפֵחַ חָמָס *et ſpirans violentiam.* Senſum hunc facit: neque viſio ſuo complemento, neque inſpirans prophetam Deus perque eum loquens, aut loquens nomine Dei propheta, ſine ſuo fruſtrabitur. N. G. Schroeder in *Obſervatt. ſelectt. ad origg. Hebrr.* p. 64. verba וְיָפֵחַ לַקֵּץ vertit *et anhelat* viſio *praefinitum tempus,* per proſopopoeiam ipſam viſionem tanquam perſonam introductam exiſtimans, ſalutis Judaeorum cupidiſſimam, conſtitutumque illud liberationis tempus quaſi anhelantem. וְלֹא יְכַזֵּב *Nec mentietur,* ſ. fallet viſio illa, ſ. prophetia. אִם־יִתְמַהְמָהּ חַכֵּה לוֹ *Si moratur,* ſi tibi cunctari videtur illius vaticinii exitus, *exſpecta eum,* neque animum deſponde. כִּי בֹא יָבֹא לֹא יְאַחֵר *Nam veniendo veniet,* certiſſime eveniet quod hoc oraculo praedicitur, *non procraſtinabitur,* non ſemper differetur. Vel, ut Steudel intelligendum putat, non retardari, non retineri poterit, quin irrumpat.

4. Jam incipit oraculum, quod vates ſupra Vs. 2. promulgare eſt juſſus. Et hoc quidem Verſu generalem praemittit propoſitionem, quae totius vaticinii ſummam continet. הִנֵּה עֻפְּלָה לֹא־יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ *Ecce tumefactus, non planus eſt animus ejus in ipſo,* hoſte Chaldaeo, i. e. temerario faſtu ſeſe effert, nec modus eſt ullus ſuae aliena ad ſe rapiendi cupiditati. Verbum עָפַל proprie eſt *tumere, intumeſcere,* uti collato Arabico عَغَلَ pluribus docuit N. G. Schroederus in libro ſupra laudato p. 54. ſeqq. Hinc

עפל

עֹפֶל eſt *clivus*, proprie *locus tumidus*, h. e. in planitie altius elatus, prout Latinis *tumulus* a *tumendo* dicitur. „Forma Hiphil legitur Num. XIV, 44., ubi de Iſraelitis in Cananaeam irrupturis adverſus Moſis interdictum dicitur: וַיַּעְפִּלוּ לַעֲלוֹת אֶל־רֹאשׁ הָהָר *tumidos ſe faciebant ad aſcendendum in verticem montis*, quibus verbis ſuperba et arrogans fiducia, qua in formidoloſos hoſtes invadere audebant ſimulque proterva ferocia, qua Moſi, Deoque ipſi obnitebantur, exprimitur. Hunc eſſe ſenſum illorum verborum extra dubitationem ponit locus parallelus Deut. I, 43., ubi in ejusdem illius facti narratione uſurpatur verbum הֵזִיד, cum הֶעְפִּיל tam propria, quam translata notione prorſus conveniens: *Non morigeri eratis, ſed pervicaciter reſiſtebatis praeceptis Jovae*, וַתָּזִדוּ וַתַּעֲלוּ הָהָרָה *et proterve egiſtis montemque aſcendiſtis.* Quare quum h. l. עֻפְּלָה *tumefacta*, ſcil. נֶפֶשׁ *anima* dicitur eſſe בּוֹ *in eo*, ſcil. hoſte Chaldaeo, non dubium eſſe poteſt indicari ejus tumidum faſtum et audaciam protervam, qua contra jus et fas omne alienas terras invadit et ad ſe rapit (I, 6.). Quam עֻפְּלָה *tumidam* Noſter vocavit animam, eandem ſtatim dicit לֹא־יָשְׁרָה, *non planam*, ſ. *rectam*, pro more Hebraeorum, quo id quod affirmarunt per negationem contrarii adhuc fortius affirmare ſolent, ut modo Vs. 3. בֹּא יָבֹא לֹא יְאַחֵר, Jeſaj. III, 9. הִגִּידוּ לֹא כִחֵדוּ *indicarunt, non celarunt*; Ezech. XVIII, 21. 28. חָיֹה יִחְיֶה לֹא יָמוּת *certiſſime vivet, non morietur.* Eodem modo regi Chaldaeo h. l. animus ineſſe dicitur *tumidus, non planus,* i. e. minime modeſtus, qui intra juſti et aequi fines ſe non continet. Verbum יָשַׁר a primaria notione *aequi* geminam obtinet ſecundariam alteram *recti,* quod *inflexo et curvo*, alteram *plani*, quod *elato et tumido* opponitur. Poſteriore occurrit manifeſte Jeſaj. XLV, 2., הֲדוּרִים אֲיַשֵּׁר *tumida,* loca clivoſa, *complanabo*. Eademque *plani* notione יָשְׁרָה h. l. eſt capiendum oppoſitionis lege. Optime hujus hemiſtichii ſenſum declaravit Jarchi: „Anima improbi iſtius continuo eſt in excandeſcentia et cupiditate, anhelans ut deglutiat, nec ſatiatur. *Non eſt rectus animus in eo,* ut

ut dicat: ſufficit quod jam antea acquiſivi; quocirca ſuper illum veniet poena." Hoſti huic faſtu ſuo temerario atque inſatiabili aliena invadendi cupiditate in perniciem ruenti altero hemiſtichio opponitur populus Judaicus ab illo oppreſſus: וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה *ſed juſtus in veritate*, ſ. *ſinceritate ſua*, i. e. ſincere pius, *vivet*, ſalvus erit, ut Jerem. XXXVIII, 2. הַיֹּצֵא אֶל־הַכַּשְׂדִּים וְחָיָה *qui egreſſus fuerit ad Chaldaeos vivet.* צַדִּיק *Juſtum* vocat populum Judaicum comparate ad Chaldaeos, ut ſupra I, 13., ubi vid. not. Plerique haec verba ſic vertunt: *at juſtus per fidem ſuam*, fiduciam, quam in Deo ponit, *ſalvus erit.* Sed obſervandum, vocem צַדִּיק per accentum *Merca* arctiſſime cum בֶּאֱמוּנָתוֹ jungi, et hanc accentu distinctivo *Tiphcha* a poſtrema hujus Verſus voce, יִחְיֶה, ita divelli, ut indicetur, בֶּאֱמוּנָתוֹ eſſe ad ſubjectum, צַדִּיק, non ad praedicatum referendum, hoc ſenſu: ille *qui in veritate ſua* ſ. *per veritatem ſuam juſtus eſt.* אֱמוּנָה h. l. eſt de *ſinceritate*, ſincera probitate, capiendum, ut Proverb. XII, 22. XXVIII, 20. Pſ. XXXVII, 3., ad quem loc. vid. not. Sunt tamen codices et manuſcripti et typis exarati haud pauci, ab J. H. Michaelis in *Nott. Critt.* ad h. l. indicati, in quibus voci צַדִּיק *Tiphcha* eſt appoſitus, בֶּאֱמוּנָתוֹ vero cum יִחְיֶה per accentum *Merca* junctum. Sed in libris plerisque voces priore ratione distinguuntur, quam nos potiorem arbitramur. Atque is quidem genuinus hujus loci ſenſus nobis videtur. Ab eo tamen discedunt interpretes tam veteres quam recentiores longe plerique, qui hunc Verſum tribus ſuperioribus ita conjungunt, ut hic clauſulam faciat prooemii, quod Verſibus 1—3. vaticinio promulgando praemiſſum eſt. Neque hi tamen in verbis praeſertim primi hemiſtichii interpretandis inter ſe conſentiunt. Sunt, qui vertant: *Ecce elata eſt, non recta eſt anima ejus in ipſo*, vel: *ecce cujus anima elata eſt, ea non recta eſt in ipſo;* vel denique, *cujus anima non recta eſt in ipſo, ea elata eſt*, hoc ſenſu: qui perverſe ſentit, impius, faſtuoſe deſpicit, quae divino juſſu a me praedicuntur. Ita Chaldaeus:

הָא

הָא רְשִׁיעַיָּא אָמְרִין לֵית כָּל אִלֵּין *en! impii dicunt: omnia iſta non ſunt* futura. Similiter Hieronymus: *Ecce qui incredulus eſt non erit recta anima ejus in ſemet ipſo.* Eum vero ſuffixum in נַפְשׁוֹ ad Deum retuliſſe, et verba hebraea hoc cepiſſe ſenſu: *anima incredula non eſt recta in Dei* oculis, ſ. apud Deum, i. e. Deus illa non complacet, docent quae in Commentario ad haec verba illuſtranda attulit: „Si quis autem incredulus eſt hujus ſponſionis meae, et me dicente: *veniens veniet et non tardabit,* ceperit ambigere, et in ſe tacitus fluctuare, putans non eſſe venturum quod moratur ad tempus, hic meae animae displicebit, juxta illud [Jeſaj. I, 14.]: *Neomenias et ſabbatha veſtra odit anima mea.* Quod autem *animam ſuam* Deus dixit, pro mente et cogitatione debemus accipere, ut ſit intellectus: meo ſenſui displicebit. Sicut autem displicebit ille qui, me promittente, dubitaverit venturum eſſe quod ſpondeo; ita juſtus qui crediderit promiſſioni meae, vivet in fide ſua.“ LXX: *Ἐὰν ὑποστείληται οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ,* quae Hieronymus ſic vertit: *ſi retraxerit ſe, non placebit animae meae in eo.* Arabs vero: وَإِنْ ضَجِرَ لَمْ تُسَرَّ نَفْسِي بِهِ *et ſi angore,* ſive *taedio afficitur, non exhilaratur anima mea in eo,* i. e. cujus animus timore perturbatur, adeoque fidem non habet iis, quae a vate, meo, Jovae, juſſu praedicuntur, mihi non probatur. Graecam Alexandrinam noſtri loci interpretationem ſequutus ſcriptor epiſtolae ad Hebraeos X, 38. Interpretem Graecum pro עֻפְּלָה legiſſe עלפה, et נַפְשִׁי pro נַפְשׁוֹ, exiſtimat Grotius, „ſenſu,“ inquit, „optimo. *Si quis defecerit,* in exſpectando ſcilicet (nam עלף vertitur Graece per ἐκλείπειν et ὀλιγοψυχεῖν), *is mihi non placebit.* Dei ſunt verba. Ὑποστέλλεσθαι eſt *minus facere quam oportet,* Act. XX, 20. 27. Gal. II, 12. Hinc ὑποστολή opponitur τῇ πίστει dicto Capite ad Hebraeos Vs. 39.“ Ludov. Cappellus in *Annotatt. in Habac.,* quae continentur in Ejusd. *Commentariis et Nott. Critt. in V. T.* a Jac. Cappello editis

 Amſte-

Amſtelod. 1689. fol. p. 108. in eo quod Graecus interpres vertit ἐὰν ὑποστείληται, *ſi quis ſe ſubtraxerit*, metaphoram ductam obſervat a militibus, qui quum ducendi ſunt in aciem ad pugnam ex metu ſe ſubducunt, ac ordines deſerunt. Talibus militibus non delectatur dux exercitus. „Porro quod LXX יָשְׁרָה לֹא reddiderunt οὐκ εὐδοκεῖ, hinc eſt, quod vocem illam non derivarunt a יָשַׁר *rectus fuit*, ſed a שׁרר, quaſi ſcriptum eſſet יָשֹׁרָה, ut ſit Futurum Cal cum He paragogico a שָׁרַר, quod verbum Arabibus ſignificat εὐδοκεῖν, *delectari re aliqua.*“ Ed. Pocockius tamen in *Nott. Miſcellann.* Maimonidis *Portae Moſis* a ſe editae additis, p. 42. ſeqq. negat opus eſſe ut ſtatuamus, Graecum interpretem עֻלְּפָה et בִּפְשִׁי, ut vult Grotius, atque יָשְׁרָה pro רָשְׁלָה, quae eſt Cappelli conjectura, legiſſe. Et ad prius quidem, quod attinet, ὑπεστείληται non magis τῷ עֻלְּפָה, quam τῷ עֻפְּלָה convenire obſervat, „quum ex ſententia R. Tanchum עפל idem valeat ac עלף in illo Jonae IV, 8. וַיִּתְעַלָּף *et defecit*, aut Jeſaj. LI, 20. בָּנַיִךְ עֻלְּפוּ *filii tui defecerunt*; qui etiam praeter vulgo receptam verbi עפל notionem, qua *elatum eſſe* et *extolli* ſignificat, tertiam quandam recenſet a Graeco ὑποστέλλεσθαι minime alienam, videlicet تاخر, بعد, *longe remotum eſſe, tardari, retrahere ſe,* petitam ab עוֹפֶל *clivo*, ſcilicet الصعب الوصول اليه لعلوه ووعرة *qui non ſine difficultate prae altitudine et aſperitate ſua aſcenditur*, quae licet eidem loco iſti minus quadrare videtur, ceteris tamen praefertur ab *Ebn Jannabio*, quamvis ſequius prophetiae tardanti ac quaſi ſe ſubducenti attributa. Senſus, inquit, eſt: لما بعدت ونات وتاخرت هذه *poſtquam longe remotum ſit ac receſſerit, et dilatum fuerit hoc* quod denunciatum eſt, non recta eſt anima ejus in ipſo, quae nihil eorum quae minatus eſt propheta, timet. Idem autem quod de perſona, ſeu anima impii affirmari quod hic dicitur, non de prophetia, putat R. Tanchum, utrumvis priorum ſignificatuum huic

prae-

praefert. R. Moses Kimchius aliam adhuc interpretationem affert, etiam a fratre ipsius Davide laudatum, in qua non minus *subducendi* notionem habemus, scilicet ut sensus sit: שמה עצמה בעופל ובמבצר *se ponit in clivo*, seu, *se in rupem et arcem subducit*, ἐκλείπουσα, puta, ὀλιγοψυχοῦσα, *verum justus*, qui confidit in Domino, non opus habet ut se in arcem recipiat, sed *fide sua vivit*. Glossarium Hebraeo-Arabicum aliter adhuc; עֻפְּלָה, inquit, est تحير *obstupuit*, perplexus, confusus, conturbatus est. Has omnes juxta sententias, ea tantum excepta, quae *extollendi*, vel *se efferendi* intellectum praefert, non longe a scopo aberraverit, qui עֻפְּלָה ὑποστείληται, verterent. Sed nondum Arabes consuluimus, qui aliam nobis suggerunt, dum غفل, quod Hebraico עפל respondet (ע in plerisque in غ migrante) interpretantur ترك سها عنه *omittere*, seu *negligere*, *alio animum avertere*, qua solum ratione motus acerrimi judicii vir, Ludov. de Dieu, non melius reddi posse עֻפְּלָה quam ὑποστείληται, fidenter asserit [Ludov. de Dieu nostra verba sic interpretatur: *subductio sit*, i. e. si subductio fiat, aut, si negligatur id quod promissum est, *non placet sibi anima ejus in eo*]. Quodsi ex interpretationum diversitate de exemplarium, quae sequuti sunt interpretes antiqui, discrepantibus lectionibus concludere liceat, suspicari forsan posset quis, Syrum simplicis V. T. versionis auctorem hic pro עֻפְּלָה legisse עַוְלָה, quum vertat: ܘܒܥܘܠܐ ܠܐ ܨܒܝܐ ܢܦܫܗ *et in iniquitate non delectat se anima ejus*. Quod ad ea quae sequuntur, לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ, antumat Cappellus, LXX, qui verterunt: οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, vocem illam יָשְׁרָה accepisse, quasi esset a radice Arabibus usitata שָׁרַר, سرّ; at si res ita se haberet, litera י ad radicem nequaquam pertineret, sed futuri formativa esset, quod forma regulari esset يسرّ, adeoque ה

 para-

paragogicum, et vocales prorſus mutandae. Eo autem confugere minime neceſſarium videtur, quum יָשַׁר alibi frequenter per *ἀρέσκειν* vertatur, quod eodem fere recidit, ac *εὐδοκεῖν*, illudque dicatur rectum eſſe in oculis Domini, quo ipſe ſibi complaceat. Verba igitur prout in textu Hebraico ſe habent, ita ſonant: *ecce ſubducitur*, aut *negligitur*, vel, *ſubductio fit*, aut *neglectus*, ſeu, *deſertio eſt* (agentem ſubticendo, et verbis imperſonaliter poſitis), *non recta eſt anima ejus cum eo*, i. e. non delectatur anima ejus, vel, ſibi complacet eo; ut ita ad Deum referantur poſteriora. Nec quidquam ſupereſt difficultatis, niſi quod pro נַפְשׁוֹ, *anima ejus*, in Graeca verſione perſona prima effertur, quaſi נַפְשִׁי legeretur. At non infrequens eſt in textu Biblico a perſona ad perſonam transitus. Exempla, ni fallor, ſatis ad rem appoſita habemus Pſ. XXIV, 6. זֶה דּוֹר דֹּרְשָׁיו מְבַקְשֵׁי פָנֶיךָ יַעֲקֹב *haec eſt generatio quaerentium eum, quaerentium faciem tuam, Jacob*, uti LXX perſonarum enallagen ſtatuentes reddunt: *αὕτη ἡ γενεὰ ζητούντων τὸν κύριον ζητούντων τὸ πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Ἰακώβ.* Et Pſ. LIX, 10. עֻזּוֹ אֵלֶיךָ אֶשְׁמֹרָה *fortitudo ejus, ad te reſpiciam*, ubi dum LXX vertunt: *τὸ κράτος μοῦ πρὸς σὲ Φυλάξω*, et Syrus, mutato verborum ordine, ܐܠܗܐ ܠܟ ܐܫܒܚ ܡܛܠ ܕܐܢܬ ܗܘ ܓܘܣܝ *Deus, te laudabo, quia tu es refugium meum*, affixum tertiae perſonae in primae proprium transtulerunt, ut ita de Deo intelligendum monerent. Quam ipſam licentiam interpretes Graeci, ut ſenſum commodius redderent, hic etiam ſibi ſumendam duxerunt, ut ita verba ad Deum referenda, atque ipſius perſona efferri docerent. Nec interim abſurdum forſan erit, ut ſi ei, in quem cadit reprehenſio, tribuatur affixum, *non eſt recta anima ipſius in ipſo*, paraphraſtice exponatur, et ad ſenſum optime, *non oblectatur anima mea ipſo*; ideo enim non plane impius Dei animae, i. e. Deo, quod ipſe ſe in anima ſua, vel apud ſe, non recte habeat." Haec Pocockius, qui in dijudicandis antiquis hujus loci interpretationibus

tionibus videtur felicius versatus esse, quam Critici recentiores, a quibus neglecta sunt, quae ille de h. l. disputavit. Abarbenel עָפְלָה positum existimat pro אָפְלָה *obtenebratus est*, literis gutturalibus, א, ה, ח et ע facile inter se alternantibus. Quo posito locum nostrum sic interpretatur: „Ecce quando homo indulget menti ac cogitationibus suis, erit semper *animus ejus obtenebratus* et occoecatus, *nec* unquam *rectus* erit *in illo*, perpetuo enim manebit dubius et perplexus *in cogitationibus suis. Verum justus*, qui credit, quaelibet Dei judicia justa esse et intemerata, et approbat judicia ejus, *in fide sua vivet*, absque haesitatione animi et ingenii scrupulis. Quod pertinet ad Habacucum, qui voluerat in arenam descendere cum Deo rationibus, quod improbus fortuna uteretur secunda. Cui jam respondet Deus: omnia haec injecta dubia proveniunt a caligine mentis, non ab illuminato intellectu. Nam *ecce tenebris involutus est animus*, qui *non sincerus est* in homine, sed fovet apud se dubia, quasi Deus deflecteret ab aequitate. *At justus* non admittit talia, nec cogitat quod pugnat cum perfectione creatoris sui, *sed in fide sua vivet*, quippe qui firmiter secum statuit (Deut. XXXII, 4.): *Ipse est rupes, integrum est unumquodque operum ejus; omnes enim illius viae sunt justae.*" Hanc Abarbenelis interpretationem sequutus Wolfius, Dessaviensis (vid. Prolegomm. Vol. I. p. 9.), nostrum Versum, tanquam reliquo sermoni per parenthesin interjectum, sic vertit:

Siehe! unredliches Gemüth ist stets umwölkt;
Der Fromme lebt in seinem Glauben glücklich.

N. G. Schroeder in *Observatt. ad origg. hebrr.* p. 66. prosopopoeiam Versu 3. ex sua opinione inchoatam, qua visio tanquam persona introducatur, priori hujus Versus hemistichio continuari et compleri ratus, illud hunc in modum interpretatur: *ecce tumefactus non planus est animus ejus*, visionis, *in ipsa*, quibus verbis significari existimat desiderium vehementissimum, quo illa praefiniti sibi temporis

poris adventum anxie cupiat et anhelat, metaphorâ deſumtâ a fluctibus commotis tumefactisque, quibuscum animus vehementiore affectu ita commotus, ut conquieſcere non poſſit, comparetur, quemadmodum e contrario quietus, tranquillus et nullo affectu perturbatus, cum fluctibus ſtratis et complanatis. Verum talis proſopopoeia juſto audacior et plane inaudita foret. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1938. collato arabico غفل *neglexit, non curavit,* verba הִנֵּה עֻפְּלָה נַפְשׁוֹ בּוֹ ſecundum puncta ita vertenda putat: *ſi cujus anima ſecors et negligens fuerit*, i. e. haec promiſſa divina neglexerit, non illis crediderit, ſive etiam mutatis punctis, הִנֵּה עִפְּלָהּ *ſi quis neglexerit illud* ſcil. viſum. Eundem in modum locum capit Steudel: cujus animus non curat illud vaticinium, ejus animus eſt eo ipſo ſuo neglectu non rectus, i. e. non recte agit in ſuum ipſius damnum; qui vero rectus eſt per veritatem ejus (viſi), ſive, eo quod ei fidem habet, is vivet. Quem ſenſum commendari obſervat Alexandrini interpretis verſione (vid. ſupra), quem tamen non putat pro נַפְשׁוֹ legiſſe נַפְשִׁי (quamvis ἡ ψυχή μου vertit), ſed בְּעֵינַי illum ſubaudiſſe, quum verbo יָשַׁר, ubi *rectus viſus eſt* denotat, alias fere בְּעֵינֵי פְלוֹנִי additum ſit.

5. וְאַף כִּי־הַיַּיִן בּוֹגֵד *Quin omnino vinoſus protervus eſt!* Particula וְאַף כִּי aſſeverat et auget quod de hoſte dictum erat Verſu ſuperiore, עֻפְּלָה לֹא־יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ *tumefactus, nec modeſtus eſt animus.* Eodem ſenſu eadem particula Ezech. XXIII, 40. uſurpatur. יַיִן *Vinum*, ebrietas (ut Geneſ. IX, 24. וַיִּיקֶץ נֹחַ מִיֵּינוֹ *quum expergefactus eſſet Noachus e vino ſuo*, i. e. e crapula ſua) pro *vinolento*, ebrio, pro אִישׁ יַיִן, ſeu שׁוֹתֵה יַיִן *bibens vinum*, quemadmodum Pſ. CIX, 4, וַאֲנִי תְפִלָּה, pro אִישׁ תְּפִלָּה legitur, ad quem loc. vid. not., et cf. Pſ. CXX, 7. Sic etiam Latini *ſcelus* dicere ſolent pro *ſceleſto*. *Ebrietate* h. l. comprehenditur omnis generis luxuria atque laſcivia, quam opulentia et divitiae pariunt. De luxuria veteris Babylonis vid. Curtium *de rebus Alexandri M.*, L. V. c. 1., ubi ita

poſt

poſt alia: *Babylonii maxime in vinum, et quae ebrietatem ſequuntur, effuſi ſunt.* בּוֹגֵד h. l. non *perſidum* notat, ſed *protervum*, petulantem, ut Prov. II, 22. Pſ. XXV, 3., ad quem loc. vid. not. Ita et Jeſaj. XXI, 2. hoſtis Babylonius שׁוֹדֵד *vaſtator* et בּוֹגֵד vocatur, ubi perſidiae notio parum apta. Ceterum nomen בּוֹגֵד praedicatum, quod ajunt, conſtituere, arguit illud, quod articulus ei non eſt praefixus. Ita Geneſ. XXIX, 7. עוֹד הַיּוֹם גָּדוֹל *dies eſt adhuc magnus*, i. e. multum diei ſupereſt. XIX, 20. הָעִיר הַזֹּאת קְרֹבָה *haec urbs eſt propinqua.* Vel ה nomini יַיִן praepoſitum vim habet fortiorem demonſtrandi, latine *en!* aut *ecce!* vertendum, ut Geneſ. XXIX, 2. וְהָאֶבֶן גְּדֹלָה עַל פִּי הַבְּאֵר *et ecce lapis magnus* fuit *ſuper ore putei.* גֶּבֶר יָהִיר וְלֹא יִנְוֶה *Vir ſuperbus*, arrogans, eſt ille, *nec habitat*, i. e. non commoratur in habitatione ſua, non poteſt ſe continere inter fines imperii ſui. Alii interpretantur: *non permanebit* ſcil. in ſuo ſtatu, regnum ejus non diu durabit. Ita Chaldaeus: גְּבַר יָהִיר בִּרְשַׁע וְלָא יִתְקַיַּם *vir ſuperbus in impietate nec permanebit.* Sed quod nos adſcivimus melius congruit totius orationis tenori, et praeſertim iis quae proxime ſequuntur, *quippe qui dilatat* etc. Nondum minas profert vates, ſed adhuc verſatur in deſcribenda regis Chaldaei arrogantia et alienas terras invadendi cupiditate. LXX prius hoc hemiſtichium ſic verterunt: Ὁ δὲ κατοιόμενος, καὶ καταφρονητὴς, ἀνὴρ ἀλαζὼν, οὐθὲν μὴ περάνῃ. Quae Hieronymus hoc modo vertit: *Qui autem arrogans eſt et contemtor, vir ſuperbus, nihil perducit ad finem.* Pro κατοιόμενος in editione Romana, nec non Aldina et Argentoratenſi legitur κατοινόμενος, in Baſilenſi κατοινούμενος, *vino obrutus*, quomodo Graecum interpretem vertiſſe et Lambertus Bos ſuſpicatus eſt, quod hoc magis cum hebraeo הַיַּיִן conveniat. Ita et jam ante illum ſuſpicatus eſt Heinsius in *Exercitt. SS. in N. T.* p. 554. et Drusius *Quaeſtt. Ebrr.* L. II. qu. 19. Similiter Lud. Cappellus Graecum interpretem κατοινώμενος. *vino validus, temulentus* ſcripſiſſe judicat. Sed κατοιόμενος non ſolum Hieronymus in Graeco ſuo legit, verum et

Arabs,

Arabs, qui المتعظم *qui sese effert* reddidit. Hieronymus ipse nostrum hemistichium ita est interpretatus: *et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur.* Quae in Commentario sic explicavit: „Quomodo vinum contra potantem facit, et postquam surrexerit neque pes, neque mens suum officium tenent, omnisque laetitia et mentis exhilaratio vertitur in ruinam; sic *vir superbus non decorabitur, nec voluntatem perducet ad finem* [quae est τῶν LXX interpretatio], et juxta Symmachum: *οὐκ εὐπορήσει*, hoc est, in rerum omnium erit penuria.“ יִנְוֶה Hieronymus retulit ad נָאוָה *decorum esse*, pro quo, ejecto א, Jerem. VI, 2. הַנָּוָה scribitur. Lutherus nostrum locum sic vertit: *Aber der Wein betreuget den stolzen Mann, dass er nicht bleiben kann* (*Vinum decepit virum superbum, ut ne permanere possit*), hoc sensu: rex Chaldaeus, dulci fortuna, tanquam vino, ebrius, non contentus imperii sui finibus, terras alienas invadit. Sed verba בּוֹגֵד גֶּבֶר יָהִיר constructione grammatica jungere eo quo Lutherus fecit modo, vetat accentus distinctivus *Sakeph-katon* voci בּוֹגֵד impositus. Praeterea בָּגַד cum ב constructum notat quidem *perfide in aliquem agere*, haud vero *fallere, decipere,* quod verbo הִשִּׁיא significari constat. אֲשֶׁר הִרְחִיב כִּשְׁאוֹל נַפְשׁוֹ *Qui dilatat animam suam ut orcus*, qui hominibus mortuis expleri non potest, quare recensetur inter quatuor illa, quae nunquam satiantur Prov. XXX, 16. Cf. ibid. XXVII, 20. et Jesaj. V, 14. Sic Horatius dicit *regnum insatiabile Ditis.* וְהוּא כַמָּוֶת וְלֹא יִשְׂבָּע *Et ille est sicut mors nec satiatur*; laborat Chaldaeus hostis insatiabili quadam regnorum siti, ut merito comparetur morti, quae quum quotidie plurimos tollat e medio, tamen nunquam satiatur. וַיֶּאֱסֹף אֵלָיו כָּל־הַגּוֹיִם *Et colligit ad se omnes populos,* ut solus imperet, redigit sub ditionem et potestatem suam. Hieronymus: „Qui quasi mors et infernus non saturatur occisis, et omnes gentes cunctosque populos suo imperio subjugans finem avaritiae non putavit.“

6. הֲלוֹא-

6. הֲלוֹא־אֵלֶּה כֻלָּם עָלָיו מָשָׁל יִשָּׂאוּ וּמְלִיצָה חִידוֹת לוֹ *Nonne illi omnes* ab eo ſubjugati et oppreſſi *de eo dicterium tollent*, et *cavillum*, et *ſcommata in eum* proferent? De מָשָׁל, proprie *dictum figuratum*, vid. not. ad Pſ. XLIX, 5. Jeſaj. XIV, 4. Recte Grotius: „Omnia dicta acuta, aut lepida, aut ſententioſa ſunt מְשָׁלִים Hebraeis." Cf. Prov. I, 6., ubi huic nomini itidem junguntur, ut hic, מְלִיצָה et חִידוֹת, quod utrumque nomen proprie *dicta inflexa, aenigmatica* notat, et alias quidem de gravibus et ſententioſis dictis uſurpatur (vid. de חִידוֹת not. ad Pſ. XLIX, 4.), noſtro loco vero de dictis aculeatis, quibus tyrannum Chaldaeum cavillantur qui ab eo oppreſſi ſunt. Ante חִידוֹת ſubaudienda copula ו. לוֹ h. l. *de eo*, ut Geneſ. XX, 13. אִמְרִי־לִי אָחִי הוּא *dic de me: frater meus eſt.* וְיֹאמַר *Et dicet* unusquisque illorum, ſive imperſonaliter: *dicetur*, quomodo Hieronymus vertit, ut Jeſaj. LXV, 8., cf. not. ad Mich. II, 4. הוֹי הַמַּרְבֶּה לֹּא־לוֹ *Vae* illi *qui multiplicat* quod *non* eſt *ipſi*, acquirenti alienas ditiones plurimas, מִשְׁכָּנוֹת לֹּא־לוֹ ſupra I, 6. Chaldaeus: נִכְסִין דְּלָא דִילֵיהּ *opes non ſuas.* עַד־מָתַי *Quousque* hoc impune faciet: Vel: quem tandem finem imponet cupiditati ſuae? Alii: quousque i. e. quamdiu poſſidebit iſta injuſte a ſe corraſa? Verba hujus Verſus proxima, וּמַכְבִּיר עָלָיו עַבְטִיט, plerique ſic vertunt: *et* vae! illi *qui aggravat ſuper ſe* (cf. Neh. V, 15.) *denſum lutum*, עַבְטִיט ſtatuentes compoſitum ex עָב *denſum*, et טִיט *lutum*; ita vero per contemtum vim ingentem auri argentive appellari exiſtimant. Deſcribi ſic volunt tyranni Babylonici non ſaturandam avaritiam, divitias immenſis omnium gentium rapinis congeſtas, denſiſſimi luti inſtar, coacervantis in ſuam ipſius perniciem, paulo poſt eisdem, tanquam coenoſa ac voraginoſa palude, penitus abſorbendi. Ita jam Hieronymus: „Conſidera, quam eleganter multiplicatas divitias *denſum* appellaverit *lutum.*" Kimchi quoque in Commentario ad h. l. obſervat, עַבְטִיט eſſe vocem compoſitam ex עָב et טִיט, pro טִיט עָב, praemiſſo nomini ſubſtantivo adjectivo, ut Pſ. LXXXIX, 51. legi-

legitur רַבִּים עַמִּים pro עַמִּים רַבִּים, et Pſ. LXVIII, 14. בִּירַקְרַק חָרוּץ *ſubflavo auro.* Aben-Esra: „Agit ut demens, qui in ſe ipſum conjicit lutum." Kimchii pater, Moſes, filio referente, *denſum lutum* exponit de ſepulchro, hoc modo: reddit ſibi terram gravem. Quam ſententiam Castellus in *Lex. Heptagl.* col. 2639. eo commendat, quod conſuetudinis olim eſſet apud Romanos, ut imprecantes alicui, ei *terram gravem* imprecarentur, et *levem* optabant, cui precabantur bene. Vid. Brissonium *de Formulis Ling. Lat.* 88. Julianus in Epiſt.: *Verum illi* (Conſtantio) *quandoquidem jam e vivis exceſſit*, *κούφη γῆ*. Vehementer tamen dubitamus, illum Romanum morem ad noſtri loci interpretationem recte trahi. E vocalibus עָב et טִיט et Jarchi quidem noſtrum עַבְטִיט conflatum cenſet, ſed nomen עָב ſignificatione קוֹרָה כְּבֵידָה *trabis gravis* capit, ut Ezech. XLI, 25. עָב עֵץ *trabs lignea*, unde ibid. Vs. 26. הָעֻבִּים *trabes*. *Trabem* autem pro *onere* dici putat, et טִיט *lutum* de *ſceleribus* intelligit, unde עַבְטִיט exponit מַשָּׂא עָוֹן *onus iniquitatis*. Hunc ſenſum expreſſit Chaldaeus: עַד אֵימָתַי אַתְּ מַתְקִף עֲלָךְ תְּקוֹף חוֹבִין *usquequo aggravaturus es ſuper te gravitatem peccatorum?* Syrus, עָב *nubis* ſignificatu ſumto, quem 1 Reg. XVIII, 44. Jeſ. XIV, 14. 19. et ſaepius obtinet, vertit ܥܢܢܐ ܕܛܝܢܐ *nubes luti*. Quum tamen nondum ſit ſatis exploratum, num iſtiusmodi nomina compoſita recte ſtatui poſſint; malo accedere Kimchii ſententiae, in Lexico ſuo propoſitae, עַבְטִיט referendum eſſe ad radicem עָבַט, ultima radicali repetita, quemadmodum סַגְרִיר *imber vehemens*, Prov. XXVII, 15., a סָגַר; duplicationem vero illam vero vim quandam intendendae ſignificationis obtinere. Itaque עַבְטִיט a Kimchio רִבּוּי מָמוֹן *abundantia pecuniarum* vel *divitiarum* exponitur. Rectius vero Fullerus *Miſcell. SS.* L. V. C. VIII. עַבְטִיט *multitudinem pignorum* exponi obſervat, „quippe עֲבוֹט, proprie *pignus* ſonet, non pecuniam, et verbum עָבַט, *pignus*, non *pecuniam*, *capere* [vid. Deut. XV, 6. 8. XXIV, 10.]. Nec inconcinne, ut opinor, haec

item

item ſignificatio aptari poterit prophetae conſilio. Aſſimilatur enim Babylonius foeneratori acerbiſſimo, vel praedii alicujus duriſſimo domino, et ingentes ipſius theſauri, avidiſſime pariter ac crudeliſſime undique corraſi, pignorum cumulis penes foeneratorem vel dominum illum congeſtis. Quare clauſula, מַכְבִּיד עָלָיו עַבְטִיט, *qui coacervat,* ſeu *accumulat apud ſe pignorum copiam,* hanc habere videtur ſententiam: qui jam infinitis rapinis, quaſi totidem pignoribus ablatis, per intolerabilem ſaevitiam, omnes gentes ubique locorum coërcet, ſimul ac perſoluta primum fuerit poenarum veluti ſumma divinitus conſtituta, continue repetent ab eodem omnes gentes pignora ſua, hoc eſt: juſtiſſime deinceps eum ſpoliabunt, a quo nefarie et crudeliter antea fuerant ſpoliatae.“ Quam quidem interpretationem, utpote talem, quae ſenſum fundat optime congruum, noſtram facere haud dubitamus. LXX noſtra verba ſic verterunt: *ὁ βαρύνων τὸν κλοιὸν αὐτοῦ στιβαρῶς, aggravat torquem ſuam graviter,* uti Hieronymus ea reddidit. Pro עָלָיו Graecum interpretem עֻלּוֹ, *jugum ejus,* legiſſe, jam ab aliis obſervatum. עַבְטִיט autem quum idem cenſeret atque ſimplex עָב, *στιβαρῶς, ſpiſſe* convertit, i. e. graviter, nam quae ſpiſſa, et gravia ſeu ponderoſa eſſe ſolent, et firma ſive valida. Κλοιὸς, quod Hieronymus *torquem* vertit, propter ſimilitudinem quandam, eſt enim, teſte Heſychio, *περιτραχήλιος δεσμὸς, vinculum collo circumdatum,* quippe quod loro craſſo, aut circulo ligneo ferreove collo adſtringi ſoleret, idem eſſe, quod Latini, referente Hieronymo in Commentario ad Jerem. XXVII, 2., ſermone vulgari *boias* vocant, pluribus oſtendit Fullerus l. c.

7. הֲלוֹא פֶתַע יָקוּמוּ נֹשְׁכֶיךָ *Nonne repente ſurgent,* inſurgent contra te, *mordentes te* populi abs te oppreſſi? Metaphora deſumta eſt vel a venatione, in qua canes feras agitant, morſibus appetunt et dilaniant; vel a ſerpentibus, qui morſu ſuo nocent, ut Jerem. VIII, 17. *Ecce ego in vos ſerpentes immittam, baſiliſcos incantari neſcios,*

וְנִשְּׁכוּ

וְנֹשְׁכוּ אֶתְכֶם *qui vos mordeant.* Alii cum Coccejo נֹשְׁכֶיךָ vertunt *foeneratores tui,* ſuum etiam cum lucro a te repetentes. נָשַׁךְ enim eſt *foenerari,* et נֶשֶׁךְ *foenus, uſura,* Deut. XXIII, 20. Qui quidem ſenſus bene congruit Verſus ſuperioris verbis poſtremis, ſi Fullerianam eorum interpretationem adſciveris. וְיִקְצוּ מְזַעְזְעֶיךָ *Et evigilabunt* tanquam e ſomno *concutientes,* ſ. agitantes, divexantes *te.* וְיִקְצוּ poſitum abjecto י radicali, quod Metheg compenſat, ut Jud. XVI, 20. וַיִּקַץ ſcribitur pro eo quod plene exſtat Vs. 14. וַיִּיקַץ. Aben-Esra ad haec verba haec obſervat: „Quia praemiſerat propheta (Vs. 5.): *dilatat velut ſepulchrum animam ſuam, eſtque velut mors,* de caedibus, quas perpetraverat Chaldaeus, hinc de vindicta parata a poſteris ad ulciſcendam majorum caedem, ſubjungitur: *conſurgent qui mordeant te et expergiſcentur,* quaſi experrecturi et reſurrecturi ſint e cineribus quos ille confecerat ad ſumendam ſui ab eo vindictam." Argute magis quam vere. וְהָיִיתָ לִמְשִׁסּוֹת לָמוֹ *Ut fias in direptiones eis,* hoſtibus, ut praedae te habeant.

8. כִּי אַתָּה שַׁלּוֹתָ גּוֹיִם רַבִּים יְשָׁלּוּךָ כָּל־יֶתֶר עַמִּים *Quia tu ſpoliaſti populos multos,* ideo *ſpoliabunt te omnes reliquiae populorum,* qui reliqui fuerint de populis a te ſpoliatis. Vel: omnes reliqui populi a te non ſpoliati. Pro יְשַׁלּוּךָ, cum Patach ſub שׁ, in codice Erfurtenſi tertio, nec non in libris pluribus typis exaratis, veluti Bibliis Bombergianis, Plantinianis, Buxtorfianis, legitur יְשָׁלּוּךָ, cum Camez-Chatuph, nam quia accentus locum mutat, ideo Cholem, ut fit, corripitur. מִדְּמֵי אָדָם וַחֲמַס־אֶרֶץ *Propter ſanguines,* caedes *hominum, et* propter *violentiam terrae,* illatam habitatoribus terrae. קִרְיָה וְכָל־יֹשְׁבֵי בָהּ Et propter violentiam *urbis et omnium habitantium in ea,* propter violentiam in urbem commiſſam. Chaldaeus pro וַחֲמַס־אֶרֶץ et קִרְיָה poſuit וַחֲטוֹף אַרְעָא יִשְׂרָאֵל קַרְתָּא יְרוּשְׁלֶם *et propter rapinam terrae Iſrael, urbis Jeruſalem.* Alii cum Grotio collective: propter direptionem *terrarum* et *urbium,* quas pluri-

plurimas Chaldaeus expugnavit, expilavit et deſtruxit, omniumque *in eis* habitantium. Praeferendum tamen duco prius ob Verſus 17., ſub cujus finem eadem formula repetitur, verba prima.

9. הוי בֹּצֵעַ בֶּצַע רָע לְבֵיתוֹ *Vae* illi *qui lucrificavit quaeſtum malum domui ſuae*, pro domo ſua, familia ſua. Alii, ut exſtruat domum ſuam, regiam ſuam, quae erat Babyloniae, quae Dan. IV, 27. בֵּית מַלְכוּ *domus regni* dicitur. Chaldaeus: וַי דְאָנֵס מָמוֹן דִּרְשַׁע לְבֵיתֵיה *vae* ei *qui violenter accumulat divitias impietatis domui ſuae.* בֶּצַע רָע *Quaeſtus malus* dicitur, vel quia malis artibus paratus, vel quia exitialis eſt dominis ſuis. Uterque ſenſus quadrat; ideo enim opes ut plurimum ſunt exitiales, quia injuſtitia et malis artibus ſunt conquiſitae. לָשׂוּם בַּמָּרוֹם קִנּוֹ *Ut ponat in excelſo nidum ſuum*, ut exſtruat ſibi arcem praealtam et munitiſſimam, qua tueatur ſe ab hoſtibus. Similitudo deſumta ab ovibus, quae in rupibus inacceſſis nidificant, ut Obad. Vs. 4., ad quem loc. vid. not. לְהִנָּצֵל מִכַּף רָע *Ut eripiatur e manu mali*, quo tutus ſit ab injuria et vexationibus hoſtium.

10. יָעַצְתָּ בֹּשֶׁת לְבֵיתֶךָ *Conſuluiſti pudorem*, ignominiam, *domui tuae*, conſilia cepiſti in domus tuae caſura dedecus. קְצוֹת־עַמִּים רַבִּים *Succidendo populos multos*, i. e. quum animo tuo propoſuiſti imperium orbis occupare, gentes et populos imperio tuo adjicere, putaſti te pulchre tibi conſuluiſſe; ſed contra cedit illud in tui et tuorum ignominiam et perniciem, Deus enim avaritiam illam et ambitionem tuam ulciſcetur et pro merito caſtigabit. וְחוֹטֵא נַפְשֶׁךָ *Et peccans eras in animam tuam*, i. e. perniciem in te accerſiſti, cauſa es tui exitii. Ante נַפְשֶׁךָ ſubaudiendum ב, id enim praefigitur nomini ejus, *in* quem peccatur, Geneſ. XLII, 22. אַל־תֶּחֶטְאוּ בַיֶּלֶד *ne peccatum committatis in puerum.* Deficiente illa particula, ut hic, legitur Prov. XX, 2. *Qui ad iracundiam eum* (regem) *provocat*, חוֹטֵא נַפְשׁוֹ *peccat in ſe ipſum*, mala ſibi conciliat.

11. כִּי־אֶבֶן מִקִּיר תִּזְעָק *Nam lapis e muro clamat*, עַל דְּאָנֵס לֵיהּ *quod vim ei inferas*, addit Chaldaeus. Alii cum Kimchio: ipsi lapides clamant, regiam tuam e rapinis exstructam esse. Vel: lapides furto a te ablati testabuntur violentiam et rapinam tuam. Sed verum horum verborum, cum iis, quae proxime subjiciuntur, וְכָפִיס מֵעֵץ יַעֲנֶנָּה, *et ligamentum e ligno respondebit ei*, lapidi, sensum declaravit Hieronymus: „In tanta crudelitate bacchatus es, ut, si dici potest, lapides civitatis et ligna parietum quos subvertisti, tuam ferociam clamitent. Tale quid et Dominus contra Pharisaeos objurgantes, quare non increparet pueros acclamantes sibi [Matth. XXI, 9.]: *Osanna in excelsis filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis; Non legistis*, inquit [Vs. 16.], *quia scriptum est: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Et [Luc. XIX, 40.]: *si isti tacuerint, lapides clamabunt.* Licet enim plerique ita intelligendum putent: si Judaei tacuerint, multitudo me gentium confitebitur; tamen haec est expressior et verior intelligentia: etiam si homines tacerent, et signorum meorum multitudinem lingua invidens non loquatur; tamen lapides ipsi, et fundamenta murorum, et parietum aedificatio meam poterunt magnitudinem personare. Quod ut significantius fiat, ponemus literaturae quoque secularis exempla. Crispus [Sallustius] loquitur in Historiis: *Saguntini fide atque aerumnis inclyti, prae mortalibus studio majore, quam opibus, quippe apud quos etiam tum semiruta moenia, domus intectae, parietesque templorum ambusti, manus Punicas ostentabant.* Simile quid et Tullius ad Caesarem pro Marcello: *Parietes, medius fidius, ut mihi videtur, hujus curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum et suis sedibus.* Hoc est ergo juxta historiam, quod prophetalis sermo significat: lapides parietum, qui a te destructi sunt, et ligna eorum ambusta tuam crudelitatem sonabunt.“ Locis similibus ab Hieronymo e scripto-

ribus

ribus exteris adductis addimus hunc ex Euripidis *Hippolyto* Vs. 420.

Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,
Τέρεμνά τ' οἴκων, μή ποτε φθογγὴν ἀφῇ;

Nonne tenebras conſcias expaveſcunt, et tecta aedium, ne quando vocem edant? Hebraeum כָּפִיס Hieronymus *lignum* ſignificare ait *quod ad continendos parietes in medio ſtructurae ponitur, et vulgo apud Graecos appellatur* ἱμάντωσις. Graecam hanc vocem, quae proprie *corrigiam calcei* ſignificat, Suidas exponit: *δέσις ξύλων ἐμβαλλομένων ἐν τοῖς οἰκοδομήσασι.* Sequutus eſt Hieronymus Symmachum, qui *σύνδεσμος οἰκοδομῆς ξύλινος*, et Theodotionem, qui *σύνδεσμος ξύλου* vertit. Quam interpretationem commendat illud quod Syris ܟܦܣ *connexuit* ſignificat. Et in verſione Samaritana verbum כפס pro hebraico קָפַץ *conſtrinxit* ponitur. Hinc eſt, quod Chaldaeis כופסירא *compedes* denotat. Quare nos *ligamentum* vertimus. LXX כָּפִיס vertunt *κάνθαρος*, *ſcarabaeus*, ut Hieronymus reddit. Sed Cyrillus vocem graecam nil aliud ſignificare exiſtimat atque reliquis interpretibus *ἔνδεσμον ξύλου.* Nempe, inquit, *τάχα που τὰς τῶν οἰκιῶν μίτρας, καὶ τὴν ἐν αὐταῖς ἀναπλοκὴν τῶν ξύλων ἤτοι σύνδεσμον κ α ν θ ά ρ ο υ ς ὠνόμαζον κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, διὰ τὸ οἷον πολλοῖς ἀντέχειν ποσὶ τὴν ἐπικειμένην αὐτοῖς ὀροφὴν*, *illa aetate fortaſſe aedium cinctus, et lignorum in iis connexionem aut colligationem c a n t h a r o s appellabant, eo quod impoſitum ipſis tectum multis quaſi pedibus ſuſtinerent.* Quum tamen apud Graecos ſcriptores *κάνθαρος* illa ſignificatione non reperiatur, Ludov. Cappellus ſuſpicatur, Graecum interpretem ſcripſiſſe *κανθήριον*. „Ratio eſt, inquit, quod Latinis *Cantherius* eſt a Graeco *κανθήλιος* literis *L* et *R* permutatis. *Cantherius* autem duo ſignificat, primo *pullum* ſeu *aſinum praegrandem*, quae eſt propria vocis Graecae ſignificatio; deinde *cantherii* Vitruvio ſunt in architectura trabes craſſae, quae utrique aedi-

aedificii muro transverſim imponuntur ad vinciendos et connectendos inter ſe parietes, quibus deinde ligna imponuntur. Quae ſignificatio orta videtur a priore illa, quod quomodo mulis et aſinis inequitamus et vehimur, ſic trabes illae utrique muro ſeu parieti imponuntur ac veluti inequitant, ligna item illis trabibus imponuntur et quaſi inequitant.“ Κανθὸν Graecum Alexandrinum interpretem reddidiſſe, conjicit STEPH. LE MOYNE in *Obſervatt. ad Varia Sacra* p. 841. Neque alienus eſt ab hac conjectura BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. XXIV. T. III. p. 511. edit. Lipſ., quamvis neque id ipſi ſatisfacere fateatur, quia κανθὸς non dicitur ligni vinculum quodvis, ſed *ferreus* ille *circulus*, *quo rotae vinciuntur.* Quare Graecum interpretem κάνθαρον vertiſſe cenſet, quia כָּפִיס ſono alludit a חֲפּוּשִׁית, quod Chaldaeis *ſcarabaeum* notat, pro quo Arabes cum epentheſi خُنْفُسَا dicunt. Alius quoque Graecus interpres Hieronymo memoratus vertit σκώληξ *vermis.* A Graeco Alexandrino interprete, quem ceterum fideliter ſequitur, hic diſcedit Arabs, qui vertit: أَلْوَتَدُ مِنَ أَلشَّجَرَةِ *paxillus ex arbore* ſ. *ligno.* Aquila μάζα reddidit, quaſi כָּפִיס ſit idem quod κόπις, quod Heſychio eſt μάζα, quam vocem Hieronymus *maſſa* exponit. Chaldaeus: שְׁפָא מִגּוֹ מְרִישָׁא, *fruſtum e medio trabis.* Quod ſequutus Jarchius כָּפִיס Chaldaico קֵיסָם *feſtuca* declarat. ABEN-ESRA voce Hebraea *locum durum in lignis trabium, qui vulgo nodus vocatur,* ſignificari exiſtimat, KIMCHIUS vero *contignationem aedium.* Quos omnes incerta conjectura ductos eſſe apparet. Bochartus l. l. p. 512. nomini כָּפִיס *lateris* ſignificatum tribuit, quod Talmudicis illud de *latere longo ſesqui-palmo* dicitur. „Agitur, inquit, de pariete, in quo lapides et lateres inter ligneas trabes inſerti ſunt, quales hodie multos videmus. In tali pariete lateres ex ligno reſpondent, id eſt, ex medio tabulato, in quo inter trabes ſunt diſpoſiti.“

poſiti.“ Sed vere monet Gussetius ſub voce כְּפִיס, quod ea indicetur ita ſe habere ad עֵץ *lignum*, ut lapis ad murum. „Hic autem eſt ejus pars per aggregationem ex arte junctam. Atqui ad hoc requiritur, ut עֵץ ſumatur quoque pro aggregato. Jam vero omnia iſta in domo aedificata ſtatuuntur Vs. 9. Ex his ſequitur, עֵץ, *lignum*, ſumi pro omni totius domus ligno, Gallice *la charpente.* In ea tignum et aſſer, *une piece de bois*, ſe habet ut lapis in muro. Ergo iſtud eſt, quod כָּפִיס vocatur, *aſſer* et *tignum*, et *trabes*, in genere.“ יַעֲנֶנָּה *Reſpondebit ei*, lapidi, nam אֶבֶן feminei generis eſſe conſtat. Grotius ſuffixum femineum ſenſu neutro capiens, vertit: *teſtabitur illud;* „nam quia ad interrogationem reddebantur teſtimonia, ideo עָנָה ponitur pro *teſtari*, etiam in Decalogo [Exod. XX, 13.].“ Alii: *reſpondet*, ſ. *teſtabitur contra eam*, animam tuam, נַפְשֶׁךָ Vs. 10., i. e. contra te ipſum. Verum id hebraice erat יַעֲנֶה בָּהּ exprimendum. Nomen enim ejus, contra quem teſtimonium profertur, intercedente particula ב verbo jungi ſolet, vid. laudat. Exod. loc. et adde Deuter. V, 17. XIX, 16. Job. XVI, 8. Hoſ. V, 5.

12. הוֹי בֹּנֶה עִיר בְּדָמִים *Vae ei qui aedificat urbem per ſanguines*, i. e. opibus, quae caedibus et tyrannide ſunt partae. וְכוֹנֵן קִרְיָה בְּעַוְלָה *Et* vae illi *qui ſtabilit*, parat *urbem iniquitate*, opibus inique partis.

13. הֲלוֹא הִנֵּה מֵאֵת יְהוָה צְבָאוֹת *Nonne ecce a Jova deo exercituum* videlicet hoc quod ſequitur: וְיִיגְעוּ עַמִּים בְּדֵי־אֵשׁ וּלְאֻמִּים בְּדֵי־רִיק יִעָפוּ *ut laborent populi pro igne, et gentes pro inani defetiſcentur?* i. e. quod populi, qui tam magno cum labore in urbe regia Chaldaeorum occupati erant, fruſtra operam impenderunt ſuam, et igni tantum alimenta dederunt, quum urbs illa poſtea ſit diruenda et igne abolenda, id non fortuito fieri cenſendum erit, ſed juſto Dei judicio. Locum noſtrum mutuatus eſt

Jeremias LI, 58., ſed ita ut dictiones בְּדֵי־רִיק et בְּדֵי־אֵשׁ transponeret: *Sic dicit Jova: Babylonis craſſa illa moenia diruentur, ejusque altae illae portae igni ſuccendentur, ut* ita *laboraverint incaſſum populi, et nationes igni ſe defatigaverint.* דֵּי utrumque h. l. eſt particula mere expletiva, ut Job. XXXIX, 28., ubi cf. not. Kimchius tamen illam adjectionem ſyllabicam emphaſin habere exiſtimat. Hieronymus etiam *in multo igne* vertit. Et Jarchi בְּדֵי Gallico *aſſez* exponit, ſenſumque noſtri loci hunc eſſe dicit: quando iis ingruet ira mea tanquam ignis, donec ſatis poenae accipiant, ſ. ut ſatis puniantur pro merito. Chaldaeus hunc Verſum ſic vertit: הָא מְחָן תַּקִּיפָן וְחַסִּינָן אָתְיָן מִן קֳדָם יְיָ צְבָאוֹת וְלֵאוֹת עַמְמַיָּא תַּקִּיפִין כְּאֶשָּׁתָא וּמַלְכְּוָתָא לְרֵיקָנוּ יִשְׁתַּלְהֲיָן *ecce plagae validae et vehementes veniunt a Jova, Deo exercituum, et labor gentium robuſtarum tanquam ignis, et regna in vanum ſe fatigabunt.* יִעָפוּ abjecto prima radicali י pro יִיעָפוּ, uti ſcriptum Jeſaj. XL, 30.

14. כִּי תִּמָּלֵא הָאָרֶץ לָדַעַת אֶת־כְּבוֹד יְהוָה כַּמַּיִם יְכַסּוּ עַל־יָם *Nam replebitur terra ad cognoſcendum gloriam Jovae,* cognitione gloriae Jovae, *ſicut aquae operiunt mare,* i. e. alveum maris, metonymia. Senſum recte explicavit Hieronymus: „Quum Babylon fuerit everſa, manifeſta fiet omnibus potentia virtutis Dei, quaſi aquae operientes mare; ſic gloria Domini terra univerſa complebitur, ſicut aquae alveum et fundum contegunt maris.“

15. הוֹי מַשְׁקֵה רֵעֵהוּ *Vae illi qui potum dat ſocio ſuo,* מְסַפֵּחַ חֲמָתְךָ tibi, inquam, *qui admoves,* propinas (mutatio perſonae) *ferrorem tuum,* i. e. fervidum tuum vinum, quo incaleſcit cui illud propinatur. מְסַפֵּחַ J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1786. vertit *infundenti,* adhibita ſignificatione Arabici سفح *effudit.* Ita Chaldaeus, qui זָלֵף *fundens,* atque Symmachus, qui ἀπὸ χύσεως (מְסַפֵּחַ) θυμοῦ σου vertit; niſi hi verbum סָפַח ejusdem cum

cum verbo שָׁפַךְ significationis putaverint. Verum quum סָפַח locis reliquis omnibus *aggregandi, adjungendi* notionem habeat (cf. not. ad Job. XXX, 7.), eandem et hic retinendam arbitramur, quum sensus satis commodus sic prodeat; nam formam Piel hujus verbi *admovere* rem aliquam alicui recte exponi, nemo negabit. חֲמָתְךָ quidam *utrem tuam* vertunt. Sed *uter* est חֵמֶת et חֵמַת (vid. Gen. XXI, 14. 15. 19.). Alii: *virus, venenum tuum,* quo sensu Deuter. XXXII, 24. חֲמַת זֹחֲלֵי עָפָר *venenum serpentum terrae* dicitur, vid. et ibid. Vs. 33. Eadem significatione nostram vocem et Hieronymus accepit, dum *fel* vertit, quod in Commentario *amaritudinem* exponit, quemadmodum מְרֹרָה *amaritudo* Job. XX, 14. de *veneno* dicitur. Verum quum de inebriando hic sermo sit, חֵמָה *calorem, fervorem* h. l. de vino fervido capere praestat, ut Horatio *Epod.* IX, 14. *merum fervidius.* Vel per metonymiam caussae pro effectu חֵמָה dicitur vinum, quod fervidum reddit bibentem. Hinc Hos. VII, 5. dicitur חֲמַת מִיָּיִן *calor ex vino.* Cf. οἶνος τοῦ θυμοῦ Apoc. XVIII, 3. וְאַף שַׁכֵּר *Et* etiam *inebriando* eum, socium, ita ei fervidum merum propinavit, ut ebrius inde factus sit. Chaldaeus: בְּדִיל דְּיִשְׁתֵּי וְיִתְרַוֵּי *ut bibat et inebrietur.* Id imitatus Jeremias LI, 7. Babelem vocat poculum in manu Jovae, מְשַׁכֶּרֶת כָּל־הָאָרֶץ *inebrians totam terram, e quo vinum potant omnes gentes, indeque insaniunt.* לְמַעַן הַבִּיט עַל־מְעוֹרֵיהֶם *Ut adspiciat super s. in nudata eorum* (sociorum) membra s. pudenda, tanquam voluptatem et delectationem inde capiens, illisque illudens, quo illi summo dedecore afficiuntur. Chaldaeus: וְיִתְגְּלֵי קְלָנֵיהּ *et patefiat ignominia tua.* Eandem imaginem vid. Nah. III, 5. Unde haustum illud Apoc. XVI, 15. ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῇ, καὶ βλέπωσι τὴν ἀσχημοσύνην αὐτοῦ. Alii sententiam hanc esse putant: *vae tibi, qui socios inebrias, ut amori tuo turpissime et flagitiosissime inserviant.* Nam *retegere nuditatem* alicujus est cum eo concumbere, Levit. XX, 11. 17. Ita Grotius verba nostra: *ut adspicias pu-*

 denda

denda ejus explicat: ut eam percidas, quod illis temporibus ſatis frequens in Oriente. Addit: „Sed per hanc *ἀλληγορίαν* intelligitur perſidia Chaldaeorum, qui foederibus illiciebant populos, quos deinde tractabant ignominioſiſſime.“ Hieronymus: „Adhuc contra Nabuchodonoſor invectio eſt, quod oblitus conditionis ſuae, et quaſi ignorans ſe eſſe hominem, alteri homini ſel et amaritudinem propinarit. Poſſumus autem eum vel regem intelligere Judaeae, vel generaliter omnes homines, quod inebriaverit eos malis, ut videret Sedeciae et captivorum omnium nuditatem. Dicuntur autem haec per metaphoram ebrii hominis, et nuditate turpati, quod Nabuchodonoſor omnes inebriaverit calice furoris ſui, cunctosque exſpoliatos viderit et captivos.“ Graecus Alexandrinus, qui *ὅπως ἐπιβλέπῃ ἐπὶ τὰ σπήλαια αὐτῶν* reddidit, pro מְעוֹרֵיהֶם legit מְעָרֵיהֶם, quaſi eſſet ab מְעָרָה *caverna.*

16. שָׂבַעְתָּ קָלוֹן מִכָּבוֹד *Satiaberis ignominia prae gloria,* magis quam gloria, i. e. quo ſplendidior erat priſtina tua conditio, quo tantopere gloriabaris, tanto majore afficieris ignominia. Recte Grotius obſervat, haec dicere gaudentes populos ob domitos Chaldaeos gentium domitores. Sunt, qui verba שָׂבַעְתָּ קָלוֹן in Praeterito vertant, iisque ſignificari exiſtiment, Chaldaeum reges a ſe devictos ignominia affeciſſe ad ſatietatem usque, et מִכָּבוֹד ſumant hoc ſenſu: ignominia, qua eos affeciſti, longe ſuperat gloriam, quam ex iis conſequutus es. Verum *ſatiari ignominia* eſſe, *ſumma affici ignominia,* docent phraſes plane ſimiles Pſ. LXXXVIII, 4. שָׂבְעָה בְרָעוֹת נַפְשִׁי *ſatiata eſt malis anima mea.* Et CXXIII, 4. רַבַּת שָׂבְעָה־לָּהּ נַפְשֵׁנוּ הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים *nimium ſaturata eſt ſibi anima noſtra hac ſubſannatione opulentorum.* Cum noſtro loco ſenſu fere convenit illud Hoſ. IV, 7. כְּבוֹדָם בְּקָלוֹן אָמִיר *gloriam eorum cum ignominia commutabo.* שְׁתֵה גַם־אָתָּה *Bibito etiam tu,* aequum eſt, ut tu quoque bibas calicem ignominiae, quem illis propinaſti, i. e. ut parem ignominiam ſuſtineas.

וְהֵעָרֵל

וְהֵעָרֵל *Et denudare praeputium*, abominabilis erant Judaeis incircumcisi. Respexit ad illud, quod praecedit (Vs. 15.): *ut adspicias nuditates eorum*, ac si diceret: quemadmodum aliis fecisti, ita tibi nunc fiet; feres ignominiam, quam sociis intulisti. Grotius: „Sensus est; *nudator es tu*, ut nudasti alios, i. e. illuditor." Kimchius הֵעָרֵל per metathesin literarum ע et ר pro הֵרָעֵל positum putat. Est autem רָעַל proprie *tremere*, in Hophal *concuti*, Hab. II, 3. Hinc transfertur ad eum, qui mero somnoque gravis titubat, et vertigine e crapula corripitur. Sic Zachar. XII, 2. סַף-רַעַל est *pelvis vertiginis.* Et Jesaj. LI, 17. כּוֹס הַתַּרְעֵלָה *calix vertiginis.* Vid. et Ps. LX, 5. Nostrum הֵעָרֵל pro הֵרָעֵל ceperunt jam LXX, verterunt enim: *καρδία σαλεύθητι καὶ σείσθητι* (quae duo posteriora verba pro glossemate videntur esse habenda). Hieronymus: *consopire.* Ita LXX Ps. LX, 5. יַיִן תַּרְעֵלָה reddunt *ποτήριον κατανύξεως.* Haud quidem negandum est, הֵעָרֵל h. l. pro הֵרָעֵל sumtum, i. e. *vertigine correptus*, ebrius, *tituba*, bene congruere ei quod praecedit, שְׁתֵה גַם-אַתָּה. Neque tamen ab interpretatione supra prolata discedendum arbitror. Nam nostra verba, שְׁתֵה גַם-אַתָּה וְהֵעָרֵל *bibe etiam tu et denudare praeputium*, manifeste respondent illis Vs. 15. *Imo inebriasti eos, ut adspiceres pudenda eorum.* תִּסּוֹב עָלֶיךָ כּוֹס יְמִין יְהוָה *Vertet se tandem etiam ad te calix dexterae Jovae*, quae verba Chaldaeus sic vertit: יִסְתְּחַר עֲלָךְ כָּס דִּלְוָט מִן קֳדָם יְיָ *revertetur ad te calix maledictionis a Jova.* Tralatio a more compotantium, de quo vid. not. ad Ps. LXXV, 9. Eadem imago Jerem. XXV, 15. seq., ubi vatem Jova ita alloquitur: קַח אֶת-כּוֹס הַיַּיִן הַחֵמָה הַזֹּאת מִיָּדִי *accipe e manu mea poculum hoc vini irae, et propina illud omnibus populis, ad quos ego te mittam, ut bibant et inde commoveantur vel ad rabiem.* Cf. etiam Jesaj. LI, 17. et Thren. IV, 21. גַּם-עָלַיִךְ תַּעֲבָר-כּוֹס תִּשְׁכְּרִי וְתִתְעָרִי *ad te quoque perveniet poculum, quo tu inebriata nudaberis.* יְמִין יְהוָה *Dextera Jovae* dixit pro ejus robore et potentia. Vel est simpliciter pro יָד positum, ut Deuter. XXXIII, 2.

מִימִינוֹ *a dextera ſua,* i. e. ab eo. Vocem קִיקָלוֹן interpretes tantum non omnes *vomitum ignominiae,* i. e. ignominioſum exponunt, quaſi compoſitam e קִי *vomitus,* et קָלוֹן *ignominia;* ſcribitur quoque in nonnullis codicibus diviſim קִי קָלוֹן. Ita jam Hieronymus: *et vomitus ignominiae ſuper gloriam tuam.* Quod cum iis quae praecedunt in Commentario ſic illuſtrat: „Quia inebriaſti plurimos, tu quoque bibe de calice Domini et conſopire: circumdaberis ſuppliciis dexterae Domini, et cum ignominia vomitus tui omnia quae abſorbueras, egeres, et de ſublimi gloria ad ultima deduceris mala.“ Similiter Jeremias XXV, 27. שְׁתוּ וְשִׁכְרוּ וּקְיוּ *bibite et inebriamini et vomite.* Et Jeſaj. XIX, 14. *Errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo* כְּהִתָּעוֹת שִׁכּוֹר בְּקִיאוֹ *quemadmodum errat ebrius in vomitu ſuo.* Poſſit קִיקָלוֹן *et ſimus, ſtercus* verti, collato Chaldaico קִיקְלָא, vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 2041. Chaldaeus: וִיהֵי קְלָנָא עַל יְקָרָךְ *et veniet ignominia ſuper decus tuum.*

17. כִּי־חֲמַס לְבָנוֹן יְכַסֶּךָּ *Nam violentia Libani operiet te. Libano* haud pauci interpretum exiſtimant *templum* Hieroſolymitanum deſignari, quia hoc maximam partem e cedris Libani ſtructum erat, 2 Paral. II, 7. 15. Ita Chaldaeus: אֲרֵי חֲטוֹף בֵּית מַקְדְּשָׁא יְחַפֵּנָךְ *nam rapina domus Sanctuarii operiet te.* Eodem modo Hieronymus: „*Quia iniquitas Libani operiet te,* ſuperbia, inquit, tua, et everſio templi, et rapina ſanctuarii te depopulabitur atque vaſtabit.“ Nos tamen totam potius terram Iſraeliticam *Libano* exiſtimamus deſignari, ut Ezech. XVII, 3., ad quem loc. cf. not. Libanus, Judaeae mons et terminus a ſeptentrione, per ſynecdochen partis totam terram Judaicam ſignificat. Abarbenel: „Scias autem, eventurum eſſe tibi hoc, *quia violentia Libani operiet te,* i. e. violentia, quam tu intuliſti Libano, quo nomine venit terra Iſraelitica, ut Deuter. III, 25. הָהָר הַטּוֹב הַזֶּה וְהַלְּבָנוֹן *mons iſte optimus, et quidem Libanus. Illa,* inquit, *operiet te,* quod

dictum

dictum eſt eum in modum, quo dicit Obadias (Vs. 10.): *propter violentiam tuam in fratrem tuum Jacobum operiet te pudor.*" Cf. not. ad eum loc. וְשֹׁד בְּהֵמוֹת יְחִיתַן *Et devaſtatio beſtiarum, quae eas terruit,* ſcil. operiet te, i. e. talis in te recedet ruina, qualis importari ſolet feris, cum a venatoribus capiuntur et jugulantur. *Devaſtatio beſtiarum* eſt paſſive, ut חֲמַס לְבָנוֹן, capiendum. Quum terram Iſraeliticam comparaſſet Libano, in quo ſylvae fuerunt, atque in iis ferae, pronum erat, illius incolas *animantia* appellare, quae Libanum colerent, ſicut dicitur Jeſaj. XL, 16. *Etiam Libanus,* i. e. arbores Libani, *non ſufficerent ad comburendum, et animalia ejus non ſufficerent holocauſto.* Metaphora eſt a venatoribus deſumta, quum, publice indicta venatione, omnes undiquaque convocant et cogunt ad feras omnes ex ſylva aliqua exagitandas atque exterminandas, tum enim vis quaedam ſit ſylvae, et devaſtantur ejus ferae. Ita Chaldaeus Judaeam tanquam ſylvam feris plenam excuſſit veluti et bello totam perluſtravit, exercitibus ſuis quaſi indagine cinxit, et incolis ſuis nudavit. Ante יְחִיתַן ſubaudiendum eſt אֲשֶׁר, et ſuffixum femineum verbo additum ad בְּהֵמוֹת referendum. יְחִיתַן Futurum Hiphil verbi חָתַת *terruit* pro יְחִתֵּן, Dageſch forte, ח imponendum, reſolvitur in Chirek longum, more Chaldaeorum, et Patach eſt pro Zere propter cauſam. Poſt יְחִיתַן repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ יְכַסֶּךָּ. Vult enim dicere: par violentia tibi accidet, in ſimilem vaſtitatem redigeris. Chaldaeus verba hebraea ſic vertit: וּבִזַּת עַמְמַיָּא תְּתַבְּרִנָּךְ *et praeda populi ejus conteret te.* Hieronymus: „Quia ſemel nominaverat montem Libanum, ſub ejusdem translatione victimas, et ſacrificia, vel certe multitudinem populorum, quae interfecta eſt in Jeruſalem, animalibus vel beſtiis comparat, dicens: *et vaſtitas animalium opprimet te.*" Pro יְחִיתַן ita reddit Hieronymus et Chaldaeus, quaſi יְחִיתֶךָּ legiſſent. — Haec omnia, pergit vates, evenient tibi מִדְּמֵי אָדָם וַחֲמַס־אֶרֶץ קִרְיָה וְכָל־יֹשְׁבֵי בָהּ *ob ſanguines hominum et violentiam terrae, urbis, omniumque*

in

in ea habitantium, ob effusum sanguinem humanum, et adhibitam violentiam, cum terras et urbes expugnares, eorumque incolas tibi subjiceres. Repetita haec e Versu octavo.

18. מַה־הוֹעִיל פֶּסֶל כִּי פְסָלוֹ יֹצְרוֹ *Quid prodest sculptile, quod sculpat illud fictor ipsius?* Cur tanto studio, tanta arte laborat artifex in sculpendis et affabre faciendis vanis imaginibus, quum eae nihil prosint, nulli sint usui? Imminente casu tui regni non poterant te liberare simulacra tua. Ante verba, quae sequuntur, repetendum מַה־הוֹעִיל *quid prodest* מַסֵּכָה וּמוֹרֶה שָׁקֶר *fusile et docens mendacium*, quo nomine nonnulli idolum significari existimant, quia idola homines in errorem inducunt, et falsam ingenerant hominum mentibus de divinitate opinionem. Ita Chaldaeus: דַּחֲלַת שְׁקַר *numen falsum.* Ego potius ob mendacia oracula, quae deastrorum nomine et auctoritate proferri solebant, illud nominis eis inditum putem. Sic Jesaj. IX, 14. propheta mendax vocatur נָבִיא מוֹרֶה־שֶׁקֶר. Quomodo מַסֵּכָה differat a פֶּסֶל, recte exponit Hieronymus his verbis: „Ne putemus unum esse *quod sculpitur* et *conflatur. Sculpturam* quippe possumus in lapidibus et in marmoribus accipere; *conflatura* vero in his metallis intelligitur, quae solvi possunt atque conflari, verbi gratia, auro, argento, aere, plumbo, stannoque." Pro מוֹרֶה שָׁקֶר LXX habent *Φαντασίαν ψευδῆ*, quod sequutus Hieronymus, *imaginem falsam* reddidit. Videtur Graecus interpres מוֹרֶה pro מַרְאֶה accepisse. כִּי־בָטַח יֹצֵר יִצְרוֹ עָלָיו *Quod confidat fabricator figmenti sui super eo*, opere suo? quum nihil prosint simulacra illa, quid caussae est, cur in iis fiduciam et spem suam ponant fictores eorum, eoque adigantur, לַעֲשׂוֹת אֱלִילִים אִלְּמִים *ut faciant inania muta?* itane insaniunt, ut quum ea plane sint inutilia et res prorsus mortuae, tantum tamen studium operamque tam sollicitam in illis fabricandis ponant? *Mutos* vocat deos vanos, quia numquam respondent invocantibus ipsos.

אֱלִילִים

אֱלִילִים ſunt numina *nihili,* ut Levit. XIX, 4. Jeſaj. X, 10., ad quem loc. cf. not.

19. הוֹי אֹמֵר לָעֵץ הָקִיצָה עוּרִי לְאֶבֶן דּוּמָם *Vae ei qui dicit ligneo,* i. e. לִצְלַם אָעָא *ſimulacro ligneo,* ut Chaldaeus exponit, *evigila!* et ei qui dicit *ſurge! lapidi ſilenti,* i. e. לְדַחֲלַת אַבְנָא *idolo lapideo.* Notantur Babylonii, idola ſua inclamantes atque invocantes ad auxilium. Eadem formula utitur Pſaltes XXXV, 23. ad Jovam: הָעִירָה וְהָקִיצָה *excitare et evigila ad judicium meum.* Quod ſimulacra lignea et ſtatuas lapideas *lignum* vocat et *lapidem,* eo declarat, idola nil aliud eſſe, quam lignum et lapidem, etiamſi forma Deum referant. Adverbium דּוּמָם *ſilenter* nomini אֶבֶן additum vel adjectivi locum obtinet, ut 1 Sam. XXV, 31. דָּם חִנָּם *ſanguis immerito,* i. e. innoxius, immerito effuſus; Neh. II, 12. אֲנָשִׁים מְעַט *homines parum,* i. e. pauci (cf. Buxtorfii *Theſaur. Grammat.* L. II. C. I. ſub fin.); vel ut nomen tractatur, quod nomini אֶבֶן in ſtatu conſtructo ſumendo additur, ut ſit vertendum *lapidi ſilentii,* i. e. ſilenti, quale eſt צָרֵי יוֹמָם *hoſtes interdiu* Ezech. XXX, 16., ad quem loc. cf. not. et quos ibi laudavimus. Verbum דָּמַם *ſilere* de lapide etiam Exod. XV, 16. dicitur. Verba quae ſequuntur, הוּא יוֹרֶה, interrogative capienda, quaſi cum admiratione dicat vates: *hoccine docens* erit? quomodo exſpectare poteſtis, ut muta iſta ſimulacra vobis reſpondeant? vos doceant, quid facto vobis opus ſit? תָּפוּשׂ זָהָב וָכֶסֶף *Comprehenſum,* i. e. obductum (מַחֲפֵי, ut Chaldaeus vertit) eſt *auro et argento.* תָּפוּשׂ Participium *Paul* verbi תָּפַשׂ, quod alias *prehendere* notat, hic *continere,* quaſi prehenſum, incluſum tenere. Ad rem cf. Jeſaj. XL, 19. *Simulacrum conſlat opifex, idque auro ducit fictor, et argenti bracteis fabrefacit.* Jerem. X, 19. בְּכֶסֶף וּבְזָהָב יְיַפֵּהוּ *argento et auro exornat illud,* ſimulacrum. וְכָל־רוּחַ אֵין בְּקִרְבּוֹ *Et omnis ſpiritus non eſt in medio ejus,* ſed prorſus non eſt vita, aut anima in eo. Adverbium negandi nomini כֹּל additum univerſaliter

liter negat. Sic 2 Sam. XII, 3. וְלָרָשׁ אֵין־כֹּל *et pauperi iſti non erat omne*, i. e. nihil prorſus. Cf. Pſ. XLIX, 18. Dan. XI, 37. Hieronymus: „Deſcribitur error humanus, quod argentum, aurum, gemmas et ſericum, quibus vel obvoluta, vel operta ſunt idola, prae fulgore materiae deos aeſtimant, quum formam quidem potuerit artifex dare, animam autem, qua vegetantur artus, nequiverit. Dicamus et illud, *ſpiritum* et *ventum* apud Hebraeos eodem appellari vocabulo, id eſt, *Rua* [רוּחַ], et pro ſenſu loci vel *ſpiritum* accipi ſolere, vel *ventum*. Ergo et in hoc loco *ſpiritum* vel pro *vento* accipere poſſumus, quod nihil ſpiret in idolis, vel pro *anima*, quod ſimulacra inanimata ſint."

20. וַיהוָה בְּהֵיכַל קָדְשׁוֹ הַס מִפָּנָיו כָּל־הָאָרֶץ *Jova autem eſt in templo ſuo ſancto; ſileat a facie ejus univerſa terra.* Idolis mutis et inanimatis opponitur Jova, Judaeorum Deus, qui quum ſit omnipotens, aequum eſt, ut univerſus orbis eum revereatur, et reverentiam ſuam religioſo ſilentio teſtetur. *Templum Jovae ſanctum* coelum intelligitur, unde ipſe cernit ac videt omnia quae hic geruntur, omnium curam gerit, cuncta quoque ſumma ſua providentia regit et moderatur. *Coelum* cum *templo Jovae* tanquam ſynonymum jungitur Pſ. XI, 4., vid. etiam 2 Sam. XXII, 7., cf. not. ad Mich. I, 2. Alii hoc loco intelligunt *templum Hieroſolymitanum* (ut Jon. II, 8., cf. ibi not.), quod opponatur εἰδωλείοις aliarum gentium, quod Deus in templo illo habitare cenſeretur, non vero in delubris eorum, qui ſimulacra colunt. Hieronymus: „E contrario Dominus dicitur in templo ſancto ſuo, ſed in coelis. Aut juxta illud, quod coelos et terras, maria et univerſum mundum [*Aen.* VI, 726.].

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem et magno ſe corpore miſcet,

mundus omnis, qui coelo conſtat et terra, et coelorum circulis clauditur, Dei domus eſſe perhibetur." הַס quibusdam

busdam vox eſt ficta per onomatopoeiam ad imperandum ſilentium, ut apud Plautum *St!* Sed eſt potius Imperativus Piel apocopatus (pro הַסֵּה) verbi הָסָה, cujus pluralis, הַסּוּ *ſilete!* legitur Nehem. VIII, 11. Et ſemel in Futuro Hiphil וַיַּהַס *et ſilere fecit*, compeſcuit populum Caleb, Num. XIII, 30., pro וַיַּהֲסֶה. LXX reddiderunt *εὐλαβείσθω*, vel quia חַס (per Cheth) legerunt, et reſpexerunt ad خشي, *revereri, timere metu* religioſo; vel quia ſilentium eſt reverentiae ſignum, exiſtimarunt conſequens hic eſſe poſitum pro antecedente, ſilentium pro reverentia. Chaldaeus noſtrum Verſum ita exponit: וַיְיָ אִתְרְעֵי לְאַשְׁרָאָה שְׁכִינְתֵיהּ בְּהֵיכְלָא דְקוּדְשֵׁיהּ וִיסוּפוּן מִן קֳדָמוֹהִי כָּל טַעֲוַת אַרְעָא *Jova vero majeſtatem ſuam collocare voluit in templo ſanctitatis ſuae, a cujus conſpectu conſumentur omnia idola terrae.*

Cap.

Cap. II.

1. *In custodia mea stabam, meque tenebam in propugnaculo meo speculabundus, ut viderem, quid mecum loqueretur [Jova], quid responderem super disceptatione mea.*

2. *Jova autem hisce me verbis adfatus est: scribe oraculum, et dilucide in tabula exara, ut illud vel percurrentes legere possint.*

3. *Nam adhuc ad tempus statutum pertinet oraculum, loquiturque de tempore extremo, ne mentietur; si tardabit, id exspectato, nam veniet certo, nec procrastinabitur.*

4. *Ecce tumidus, minime modestus illi est animus! Sed sincere pius vivet.*

5. *Quinimo vinosus protervus est, vir superbus, nec in sua commoratur habitatione, qui aperit tamquam orcus spiraculum suum, estque instar mortis insatiabilis, et colligit ad se omnes gentes, cogitque ad se omnes populos.*

6. *Nonne illi omnes de eo dicterium proferent, irrisionemque et cavillam in eum dicentes: heu qui multa parat non sua! Quousque? Qui super se magnam aggravat vim aeris alieni!*

7. *Nonne subito consurgent, qui te morsibus lanient, expergesientque qui te divexent? fiesque illis praedae.*

8. *Quoniam tu multas gentes dispolias, te dispoliabunt omnes populorum reliqui, ob humanum sanguinem, et adhibitam in terram crudelitatem, in urbem et omnes ejus incolas.*

9. *Heu*

9. *Heu qui malum lucrum facis domui tuae, ponens in ſublimi nomen tuum, ut malum evadas.*

10. *Conſulis domui tuae turpiter, tot conſiciendo populos, et in te ipſum peccas.*

11. *Nam lapis ex pariete occlamabit, eique ligamentum e ligno ſuccinet.*

12. *Heu qui urbem ſanguine conſtruis, qui civitatem iniquitate condis.*

13. *Nonne hoc a Jova, agminum Deo, fiet, ut igni laborent populi, et nationes in caſſum fatigentur?*

14. *Replebitur enim terra tanta cognitione gloriae Jovae, quanta aqua tegit mare.*

15. *Heu! qui ſocium ſuum potare facit, qui propinas furorem tuum, adeo ut ebrius fiat, quo tu eorum verenda videas.*

16. *Infamia magis quam gloria ſaturaberis! Tu quoque pota et denudare. Convertetur in te dexterae Jovae poculum, et ſuper gloriam tuam vomitus infamis (ſ. fimetum).*

17. *Nam te Libania violentia obruet, territarumque belluarum pernicies, ob humanum ſanguinem, et crudelitatem adhibitam in terram, in urbem, et in omnes ejus incolas.*

18. *Quid prodeſt ſculptum a formatore ſimulacrum conſlatum, falſusque doctor, ut fictili ſuo fidat fictor, mutos faciendo deaſtros?*

19. *Heu qui ligno dicit: expergiſcere! ſtupidoque ſaxo: evigila! Iſtudne docebit? En! eſt auro argentoque obductum, nullus prorſus intra ſpiritus.*

20. *At Jova eſt in ſacro ſuo delubro, obmuteſcat coram eo univerſus terrarum orbis!*

Cap.

Cap. III.

ARGUMENTUM.

Vates ſenſu comminationum divinarum, quas Cap. I. annunciaverat, et grata praeteriti temporis, quo Jova ſaepius opitulantem ſe magnifice manifeſtaverat, memoria, ſimulque promiſſionis Cap. II, 2—4. data ſiducia, animo perculſus, trepida et ſupplici oratione Dei auxilium implorat Vs. 2., atque illius ſpem alit recordatione mirabilium facinorum, in gratiam populi olim editorum, in qua materia graviſſima longius evagatur, animoque tantopere indulget, ut haec pars orationis juſtum modum fere excedere videatur. Verſu tandem 16. reverſus unde digreſſus erat, iterum quidem ipſius mens deprimitur timore inſtantis calamitatis (Vs. 16. 17.), denique tamen firma auxilii divini ſiducia omnes dubitationes ita vincit, ut laetus triumphantis numinis gloriam celebret, Vs. 18. 19.

H. C. A. Haenlein (in Commentatione ſupra p. 326. commemorata) parum concinne arbitratus, cladis hoſtibus Chaldaeis inferendae (C. II.) deſcriptioni nunc demum ſubjici numinis ad poenas Chaldaeis inſligendas adventantis repraeſentationem, prolixamque mirabilium facinorum, quae olim in populi ſui gratiam edidit, enarrationem, conjicit, noſtrum Caput, demta inſcriptione Vs. 1. atque exceptis verbis duobus poſtremis Vs. 19., inferendum eſſe ſtatim poſt Capitis II. Verſum quartum. Continere enim hoc Caput eandem, quam Deus vati C. II, 2. 3. promiſerat, et evulgare praeceperat, viſionem, depreſſum prophetae ani-

animum erigentem, atque apparitionis divinae ad puniendos Chaldaeos uberiorem expoſitionem, cui ſubjungatur Cap. II, 5—17. quaſi commentarius propheticus theophaniae conſilium exponens, egregia abſolutus clauſula, monente de numinis veri prae idolis excellentia, ad ejusque pium cultum omnem terrarum orbem exhortante (II, 13—20.). Cui quidem conjecturae, ab auctore docte et argumentis ſatis ſpecioſis commendatae, etſi nemo facile elegantiae atque acuminis laudem denegabit; nobis tamen minime neceſſe videtur, contextus libri noſtri ſeriem eam, quae in antiquiſſimis verſionibus exhibetur, luxare atque invertere, quum ex illa unumquodque horum duorum Capitum optime inter ſe cohaereat, atque ſententiarum nexus facilis et planus reperiatur.

Carmini noſtro illuſtrando plures viri docti peculiarem impenderunt operam, quorum ſcripta hic nobis ſunt recenſenda.

Jo. Mich. Feder *Canticum prophetae Habacuc ex Hebraeo latine verſum*, Wirceb. 1777. 4.

Guil. Adolph. Schroederi *Diſſertatio philologica in Canticum Chabacuci*, Groningae, 1781. 4.

Christ. Frid. Schnurrer *Diſſertatio in Chabacuci Cap. III.*, Tubing. 1787. 4. Repetit. in auctoris *Diſſertatt. philologico-critt.* p. 348. ſeqq.

Car. Theoph. Anton *Capitis III. Chabacuci verſio et nova ejusdem Verſum 13. exponendi ratio*, Gorlicii, 1810. 4.

---

1. Nomen תְּפִלָּה *oratio, ſupplicatio* h. l. haud dubie ſenſu latiore ſumendum, pro *carmine ad Jovam directo, hymno*, ut in Pſalmorum quorundam inſcriptionibus, veluti XVII. LXXXVI. XC. CII. Sunt, qui hoc nomen hic *augurium, divinationem ab entheo vate prolatam* verti poſſe exiſti-

existiment, in subsidium vocata Arabici استفأل *divinare* (hebr. נָחַשׁ) significatione, unde et Aethiopes sub radice פלל *omen ominumque interpretem* habent. Verum *orationis* significatum eum esse, quo nomen תְּפִלָּה apud Hebraeos usitatum fuerit, tam multis V. T. locis constat, ut de eo dubitari nequeat. Verbum arabicum autem non de *oraculis, vaticiniis* verorum prophetarum, sed de *superstitiosis* hariolorum *divinationibus* usurpatur. Praeterea nostrum carmen non tam praedictiones continet rerum futurarum, quam preces atque laudes Jovanae potentiae. Cf. quae de hoc nomine disputata leguntur in Eichhornii *Biblioth. Litterat. bibl.* Vol. V. p. 552. seqq. ל nomini חֲבַקּוּק praemissum auctorem indicat estque Genitivi nota, ut in plurium Psalmorum inscriptionibus; vid. Prolegg. ad Psalmos p. XL. Verba עַל־שִׁגְיֹנוֹת Aquila, Symmachus et Quinta Editio, teste Hieronymo, reddiderunt περὶ ἀγνοημάτων, quos ipse sequutus reddidit *pro ignorationibus.* Sane שָׁגָה *errare,* et *peccare per errorem,* seu *ex ignorantia* significat, unde שִׁגְיֹנוֹת sunt *peccata per errorem,* seu *ex ignorantia admissa,* Ps. XIX, 13., et מִשְׁגֶּה est ἀγνόημα, *peccatum per errorem admissum,* Genes. XLIII, 12. Hanc significationem sequutus est Chaldaeus, qui sic παραφράζει nostrum Versum: צְלוֹתָא דְצַלִּי חֲבַקּוּק נְבִיָּא כַּד אִתְגְּלֵי לֵיהּ עַל אַרְכָּא דִיהַב לְרַשִׁיעַיָּא דְאִם יְתוּבוּן לְאוֹרַיְתָא בִּלְבַב שְׁלִים יִשְׁתְּבֵק לְהוֹן וִיהוֹן כָּל חוֹבֵיהוֹן דְחָבוּ קֳדָמוֹהִי הָא כְּשָׁלוּתָא *precatio quam precatus est Habacuc propheta, quando revelatum est ei de mora, quam concedit Deus improbis; quodsi convertantur ad legem corde perfecto, condonabitur eis, eruntque omnia eorum peccata, quae peccaverunt coram ipso, sicut peccatum per ignorantiam admissum.* Jarchi illam vocem itidem ad שָׁגָה *erravit* referens eam similiter accepit de vocibus quibusdam, quibus propheta in superioribus visus est divinam accusare providentiam, quasi peccati illius veniam deprecaretur. Sed perperam, quum nullum toto hoc Capite exstet hujusmodi deprecationis veniae vestigium.

Vete-

Veterem tamen esse hanc a Jarchio traditam opinionem inde patet, quod eadem jam apud Hieronymum reperitur, qui illam haud dubie a magistro suo Lyddensi accepit. „Est autem," inquit, „sensus: quia supra [I, 2.] temere dixerat: *Usqueque, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis?* Ac deinde in secunda querimonia [I, 13.]: *Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se?* Nunc agit poenitentiam, et plangit quod temere sit loquutus, petitque veniam, ut misericordiam consequatur, quia ignorans fecit. Si autem aliquis quaesierit, quare solus Theodotio *pro spontaneis* [περὶ τῶν ἑκουσιασμῶν] transtulerit, possumus dicere confessionem prophetae, quod non aliqua necessitate, sed sponte peccaverit, male sentiens de judicio Dei." Vocem שִׁגָּיוֹן in Psalmi VII. inscriptione obviam LXX reddiderunt generali ψαλμός, quum non possent propriam illius nominis explicare significationem. Planum est, significare aliquid, quod ad musicam, aut rationem metri attinet, sed quid proprie significet, incertum jam, quia ratio sacrae musices et poëtices hodie ignota est, Cf. Prolegg. ad Psalmos p. LXII. edit. sec. Ab illo singulari nostrum est plurale שִׁגְיֹנוֹת, quod eodem pertinet, nempe ad rationem musicae vel metri, unde etiam LXX reddiderunt μετ' ᾠδῆς, *cum Cantico*. Eandem significationem adscivit Kimchi, qui annotat, precationem istam compositam esse ad modum canticorum sacrorum, quae habentur in libro Psalmorum.

---

2. יְהוָה שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ *Jova, audivi auditionem tuam*, i. e. effatum tuum a me auditum. שֵׁמַע *Auditio* Jovae h. l. est verbum, effatum Jovae auribus prophetae perceptum, ut Hos. VII, 12. כְּשֵׁמַע לַעֲדָתָם *secundum auditionem*, i. e. verbum *auditum* et annunciatum *coetui eorum*. Schnurrerus vatem respicere existimat oraculum quoddam, vati divinitus datum, atque etiam ab hoc haud dubie in vulgus edi-

editum, ſed quod prorſus interciderit. Nos cum interpretibus plerisque *effato Jovae*, quod vates a ſe perceptum dicit, ſuperiora vaticinia indicari arbitramur, quibus cum adverſus populum Judaicum, cum adverſus hoſtes ejus diriſſima quaeque ſunt praenunciata. יָרֵאתִי Et *timui*, non minus reſponſo divino Cap. II, 4. ſeqq. dato, quod ſollicite exſpectaveram (II, 1.), timore ac reverentia adfectus ſum, quam cum ſupra I, 5. ſeqq. in Judaeos ſententia dicta eſſet. Verba, quae ſequuntur, יְהוָה פָּעָלְךָ בְּקֶרֶב שָׁנִים חַיֵּיהוּ, nonnulli interpretes, inter quos Schnurrerus, ſic exponunt: *Jova, opus tuum* quod attinet, *in medio annorum*, i. e. intra illud tempus *ſerva illud*, פֹּעַל יְהוָה *opere Jovae* Judaicum populum deſignari exiſtimantes, ut Jeſaj. XLV, 11., ubi ille פֹּעַל יְדֵי יְהוָה dicitur, utpote a Deo eximia cura formatus exornatusque, unde בּוֹרֵא, יוֹצֵר et עֹשֵׂה hujus populi dicitur Jova Jeſaj. XLIII, 1. XLIV, 2. 24., חִיָּה vero h. l. obſervant uſurpari quoque de illis, qui vivere alium concedunt, cum interficere poterant. Verum quum חַיֵּיהוּ ſenſu haud multum differre credibile ſit a proximo הוֹדִיעַ, nos a Jarchio traditam horum verborum interpretationem noſtram facere haud dubitamus, quae talis eſt: „*Opus tuum* priſtinum, dum vindictam noſtrûm de hoſtibus noſtris ſumſiſti, in medio annorum calamitatis, in qua nunc verſamur, vivifica illud, id eſt, excita illud et reduc illud.“ Similiter Hieronymus: „*Vivifica* quod pollicitus es, hoc eſt, tuum imple promiſſum, non moriatur irritus ſermo tuus, ſed opere compleatur.“ Cui bene congruit quod ſubjungitur: בְּקֶרֶב שָׁנִים הוֹדִיעַ *in medio annorum notum facias*, i. e. exhibeas omnibus cognoſcendum, manifeſtum facias illud, opus tuum; ſuffixum e praecedente חַיֵּיהוּ eſt repetendum. Formulam בְּקֶרֶב שָׁנִים quod attinet, illi, quibus פֹּעַל יְהוָה *opus Jovae* eſt populus Judaicus, eam *intra illud tempus* (ſcil. conſerva illud populum) interpretantur, atque idem valere, quod ſimplex בַּשָּׁנִים valere exiſtimant. „Neque vero,“ notat Schnurrerus, „quod quibusdam viſum eſt, reſpicit locum Cap. II, 3., quo oraculi (de proſternendo rege

rege Chaldaeo) eventus dicitur definitum ſuum tempus exſpectare; ſed credibile eſt, Jovam in denunciandis calamitatibus populo eventuris ſignificaſſe prophetae, non eas perennes futuras eſſe, ſed juſto annorum ſpatio circumſcriptas, atque hosce ipſos annos, triſtes illos et calamitoſos, eſſe qui animo prophetae ſint obverſati.“ Ego tamen eo, quod vates a Jova petit, ut opus ſuum manifeſtum faciat *in medio annorum*, hoc velle exiſtimo, ne Deus illud differat ad ſeros annos, ſed acceleret, intra breve annorum ſpatium illud exſequatur. Hunc ſenſum expreſſit Aquila, qui vertit: *ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη*, niſi is בִּקְרֹב pro בְּקֶרֶב enunciaverit. בְּרֹגֶז רַחֵם תִּזְכּוֹר *In commotione*, ira, *miſereri memineris*, i. e. jam quidem populo tuo iraſceris et vehementer indignaris, ira tamen iſta tua non extinguet in te omnem commiſerationem; quin imo in medio irae tuae aeſtu et fervore miſericordia commovebere. Chaldaeus noſtrum Verſum ita exponit: יְיָ שְׁמַעִית שְׁמַע גְבוּרְתָךְ דְחֵלִית יְיָ רַבְרְבִין עוֹבָדָךְ דִי אַתְּ יָהֵב אַרְכָא לְרַשִׁיעַיָא דְאִם יְתוּבוּן לְאוֹרָיְתָךְ וְלָא תָבוּ וְאִנּוּן מַרְגְזִין קֳדָמָךְ בְּגוֹ שְׁנַיָא דִיהַבְתָּא לְהוֹן חַיָּא בְּכֵן אַתְּ עָתִיד לְהוֹדַע גְבוּרְתָךְ בְּגוֹ שְׁנַיָא דַאֲמַרְתָּא לְחַדָּתָא עָלְמָא לְאִתְפְּרָעָא מֵרַשִׁיעַיָא דַעֲבַרוּ עַל מֵימְרָךְ וְצַדִּיקַיָא עָבְדֵי רְעוּתָךְ בְּרַחֲמִין תִּדְכַּר *Jova, audivi famam potentiae tuae, timui, Jova, grandia tua opera; quippe qui dederis longum ſpatium impiis, ſi convertantur ad legem tuam; quodſi non convertantur, ſed ipſi provocaverint te ad iram in medio annorum, quibus dediſti iis vitam, tandem ita futurum eſt, ut notam facias potentiam tuam in medio annorum, quibus dixiſti te renovaturum mundum, ut vindictam ſumas de impiis, qui transgreſſi ſunt verbum tuum, juſtorum autem, qui praeſtant voluntatem tuam, cum miſeratione memineris.* LXX multum hic diverſi abiere. Sic enim hodie legimus in codice tam Romano, quam Alexandrino: *Κύριε, εἰσακήκοα τὴν ἀκοήν σου, καὶ ἐφοβήθην, κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην· ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ· ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ, ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου, ἐν ὀργῇ*

ἐλέους μνησθήσῃ. Neque aliter in Graeco ſuo codice legit Hieronymus, qui illa Latina ſic reddidit: *Domine, audivi auditum tuum et timui; Domine, conſideravi opera tua, et obſtupui; in medio duorum animalium cognoſceris, cum appropinquaverint anni, cognoſceris; cum advenerit tempus, demonſtraberis; cum turbata fuerit anima mea, in ira miſericordiae recordaberis.* Verum multa hic aliena, recte monente Ludov. Cappello in Annotatis ad h. l., librariorum antiquorum inſcitia et temeritate inſulta ſunt, atque ex margine in textum illapſa. „Ac primo quidem, illud *κατενόησα τὰ ἔργα σου καὶ ἐξέστην*, hinc ortum videtur, quod aliquis pro יָרֵאתִי quum legeret רָאִיתִי transpoſitis literis, conjunxit cum פָּעָלְךָ quod ſequitur, atque ita reddidit: *κατενόησα τὰ ἔργα σου*, quumque haec nova translatio in margine codicis *τῶν* LXX eſſet ab aliquo annotata et adſcripta, poſtmodum librarii deſcribentis inſcitia ex margine transiit in textum. Illud autem *καὶ ἐξέστην* aliud eſt gloſſema, quod ex margine irrepſit in textum; annotarat nempe aliquis ad illud *καὶ ἐφοβήθην* explicationis cauſa, et majoris emphaſis gratia, *καὶ ἐξέστην.* Inde poſtmodum migravit in textum. Deinde illud *ἐν τῷ παρεῖναι καιρὸν ἀναδειχθήσῃ* aliud eſt gloſſema. Aliquis in margine codicis ſui ad illa *ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ* explicationis gratia annotaverat, *ἐν τῷ παρεῖναι καιρὸν ἀναδειχθήσῃ*, alterum enim alterius eſt *ἐξηγητικόν.* Mox deinde deſcribentium ignorantia et incuria, vel nimia diligentia textui eſt inſultum. Rurſus quum alius (vel idem ille) ad illud *ἐν ὀργῇ* annotaſſet in margine codicis ſui explicationis gratia: *ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου,* quia irae Dei, nobis inſenſi, ſenſus conturbat animam, ex margine deſcriptorum negligentia transiit illud gloſſema in textum. Sic ergo ſe habet genuina et germana *τῶν* LXX ab omni gloſſemate purgata hujus loci juxta Hebraicum translatio: *Κύριε, εἰσακήκοα τὴν ἀκοήν σου, καὶ ἐφοβήθην, ἐν μέσῳ δύο ζώων, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ, ἐν ὀργῇ ἐλέους μνησθήσῃ.* Ceterum pro חַיֵּיהוּ legerunt חַיּוֹת,

et

et pro שָׁנִים legerunt שְׁנַיִם. Sic nempe legerunt: בְּקֶרֶב שְׁנַיִם חַיּוֹת בְּקָרֵב שָׁנִים תִּוָּדֵעַ. Theodoretus pro ζώων, quod eſt *animalium* a nominativo ζῶα, legendum putat ζώων, *vitarum,* a nominativo ſingularis ζωὴ *vita;* putavit nempe, Hebraicum חַיֵּיהוּ eſſe a nomine חַיִּים *vita;* ſed ſic negligitur affixum הוּ. Porro mira hic veteres et recentiores interpretes philoſophantur, ne dicam, nugantur, et λεπτολογοῦσι de duobus illis animalibus, quidnam illis ſignificetur. Fruſtra, quum interpretatio illa nitatur depravata lectione. Forte pro חַיֵּיהוּ legendum חַוֵּהוּ, hoc eſt, *indica, manifeſta,* revela illud, nam חַוָּה hoc ſignificat, ut idem ſit quod תּוֹדִיעַ; ſane ejusmodi repetitio ſuam habet emphaſin, ſuum pondus, ſuam elegantiam.“ Haec Cappellus. Sed quae ille gloſſemata eſſe putat, ego potius pro aliorum interpretum fragmentis habuerim, quae quum in codicibus paſſim ad marginem annotata eſſent, inde in textum irrepſerint.

3. Nunc, recte obſervante Jarchio, vates meminit coram Deo priſtini illius operis, quod ut denuo excitet atque acceleret ab ipſo petiit. Animo repetit mirabilia illa beneficia, populo olim a Jova in itinere ex Aegypto exhibita. אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן יָבוֹא *Deus e Themane venit.* Sunt, qui verbum יָבוֹא in Futuro vertant, atque exiſtiment, ſequi deſcriptionem rerum tum temporis futurarum, videlicet ſubvertendi regni Chaldaici in ſalutem Judaeorum; hoc quomodo effecturus ſit Deus, deſcribere vatem ſic, ut imagine poetica utatur, qua et alii vates ſacri uti ſoleant, ſi divinum auxilium in defenſione aut ſalute populo Judaico praeſtita celebrare velint, nimirum ſingere Deum appariturum in tempeſtate aliqua horrida, inter fulgura ac tonitrua, conjuncta cum ingenti terrae motu, imbrium et aquarum effuſione et inundatione, quam imaginem ſumere ſoleant et vividius effingere poetae ſacri ab illa magnifica Dei apparitione in monte Sinai. Sed veriſſime monet Schnurrerus, etſi concedendum ſit, poetas hebraicos, ubi adventus Dei

vel

vel ad judicium exercendum vel ad salutem praestandam describendus sit, scenam plerumque instituere sic, ut eundem procella, eaque gravissima obvolutum exhibeant; neque illud esse dubium, petitam hanc imaginem esse ex augusto illo horribilique apparatu, quo olim Deus in montem Sinai solemniter descendit; sed hic magnam difficultatem esse in eo positam, quod ex Themane, ex monte Pharan advehi Jehova dicitur, quo quomodo de Deo Chaldaeos petituro praedicari recte possit, vix intelligatur. Quod autem verbum יָבוֹא in Futuro est positum, inde minime sequi, contineri hic rerum futurarum descriptionem; proxime enim sequentia quum sint praeteriti temporis, etiam יָבוֹא accipiendum esse tanquam praeteritum, ac si scriptum esset hoc modo: בְּבוֹא אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן וְקָדוֹשׁ מֵהַר־פָּארָן כִּסָּה וגו׳. *Theman* urbs fuit Idumaeae, vid. Ezech. XXI, 13. Amos I, 12. Obad. Vs. 9. Male nonnulli hic vertunt *ab austro.* Nam etsi תֵּימָן Jos. XII, 3. XIII, 4. Jesaj. XLIII, 6. *austrum* denotet, hic tamen certae cujusdam regionis nomen proprium esse, ostendit parallelum פָּארָן. — וְקָדוֹשׁ מֵהַר־פָּארָן *Et Sanctus* scil. Israelis (קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל Jesaj. I, 4.), venerandum Israelitarum numen, venit *e monte Pharan*, qui est inter montem Seir et Sinai, prope Cades in limite Idumaeorum, Gen. XIV, 6. Num. X, 12. XIII, 3. 26. Sic *planities Pharan* a monte Sinai tribus distat diebus (Num. X, 33.), fuitque mons huic planitiei imminens, Ptolemaeo referente, pars et propagatio montis Sinai, a mari rubro Idumaeam et Judaeam versus se porrigens. De voce סֶלָה vid. *Prolegg. ad Psalmos* p. LXVII. seqq. edit. sec. Sententiae illic nobis probatae, significari illa *intermissionem cantus*, ut, cantoribus silentibus, sola organa musica audirentur, non solum patrocinari Syriacum ܫܠܐ *quievit, siluit*, verum etiam, quod postea didici, Graeci Alexandrini interpretis auctoritatem, pluribus ostendit J. L. Moshemius in Animadversionibus ad A. Calmeti *Disquisitiones Biblicas* e Gallico teutonice factas T. VI. p. 318. seqq. Videlicet vox διάψαλμα, qua

qua Graecus interpres usus est ad exprimendum hebraicum סֶלָה, notat praeter alia, Euthymio Zigabeno teste in Praefatione in Psalmos a STEPH. LE MOYNE edita in *Variis Sacris* T. I. p. 179., *ἀναβολήν τίνα κρούματος*, *interjectionem quandam pulsationis, seu instrumentorum musicorum* (*musicalisches Zwischenspiel*). Cf. DU FRESNE *Glossar. med. Latinit.* T. II. p. 1469. Et EBERARDUS BETHUNENSIS, Monachus seculi XII., dicit in suo *Graecismo* C. 10. *Quod canitur, Psalma est, interpositum, Diapsalma.* כִּסָּה שָׁמַיִם הוֹדוֹ *Texit coelos gloria s. majestas ejus*, quo GROTIUS indicari existimat, plenum fuisse aërem fulgurum. Sed accipiendum potius videtur הוֹד de toto illo magnifico horribilique apparatu nubium, tonitruum, fulgurum, quo Jova utebatur, cum ad montem Sinai accederet, de quo vid. Exod. XIX, 16. XX, 18. De eodem illo intelligendum quod additur: וּתְהִלָּתוֹ מָלְאָה הָאָרֶץ *et laude ejus repleta fuit terra*, nam ille nubium, tonitruum, fulgurumque apparatus non poterat non spectatores in admirationem magnificentiae divinae rapere, et horrore Numinis perfundere. Minime opus est, ut cum Kimchio nomini תְּהִלָּה *splendoris, lucis* significatum tribuamus a *splendendi* notione, qua verbum הָלַל in Hiphil pollet, vid. Job. XXIX, 3. XXXI, 26., ut significetur splendor fulgurum, quo totus ille terrae tractus, in quo Israelitae castra metabantur, illustratus est. Praeterea תְּהִלָּה nullo alio V. T. loco *splendorem*, sed ubique *laudem* denotare, certissime constat. Ceterum vix dubium esse potest, respicere vatem ad ea, quae in solenni promulgatione legis divinae in Sinai monte evenisse narrantur Exod. XIX, 16. seqq. Nam talis plane, qualis hic describitur tempestas, observante SCHNURRERO, „in simili loco, Jud. V, 4. diserte dicitur ex Seir, ex Edom, id vero est, ex ea coeli plaga, quae Idumaeam spectaret, exorta esse, atque in montem Sinam ingruisse. Formula autem, qua Habacucus utitur, אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן בָּא, eadem plane est cum illa Deborae, מִשְּׂדֵה אֱדוֹם ,מִשֵּׂעִיר, quod Theman terrae Idumaeae urbs esset primaria, Amos

I, 11.

I, 11. 12. Obad. Vs. 8. 9. Accedit, quod et Moses de eodem illo augustissimo spectaculo verba faciens, Deuter. XXXIII, 2 Jehovam dicit effulsisse ex monte Pharan, qui trium dierum itinere abest a monte Sinai, Num. X, 12. 33., et vicinam sibi habet urbem Kadesch, Num. XIII, 26., sitam in limite Idumaeorum XX, 16. Commemorat autem vates hancce tempestatem propterea, quod conjuncta illa esset cum maximo, honorificentissimoque Dei in populum beneficio, foedere illo Sinaitico, quo Deus rempublicam Israeliticam legibus ordinavit, seque ipsum ducem atque regem populi solenniter declaravit; adeoque hoc vere innuit propheta, Jovam olim in tutelam recepisse populum, arctissimoque secum vinculo conjunxisse." Ad solennem legis promulgationem in Sinai monte nostrum Versum retulit quoque Chaldaeus, qui illum ita exposuit: בְּמִתַּן אוֹרַיְתָא לְעַמֵּיהּ אֱלָהָא מִדָּרוֹמָא אִתְגְּלֵי וְקַדִּישָׁא מִטּוּרָא דְפָארָן בִּגְבוּרַת עַלְמִין אִתְחֲפִיאוּ שְׁמַיָּא מִזִּיו יְקָרֵיהּ וְאִמְרֵי תוּשְׁבַּחְתֵּיהּ מַלְיָא אַרְעָא *quum daret legem populo suo Deus, ab austro revelatus est, et Sanctus e monte Pharan; per potentiam aeternam operti sunt coeli splendore gloriae ipsius, et eloquiis laudis ejus repleta est terra.*

4. וְנֹגַהּ כָּאוֹר תִּהְיֶה *Et splendor* fulgurum *instar lucis s. solis fuit,* tantus erat fulgetrorum splendor, ut solis meridianam lucem aequaret. אור habet h. l. significationem *solis,* ut Job. XXXI, 26. XXXVII, 21. Jes. XVIII, 4. תִּהְיֶה, notante Schnurrero, etiamsi Vav conversivum Futuri praefixum sibi non habeat, habet tamen vim Praeteriti, quod valet etiam de verbis, quae sequuntur, יֵצֵא et יֵלֵךְ. Cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. XLIX. Chaldaeus: וְזִהוֹר יְקָרֵיהּ כְּזִהוֹר בְּרֵאשִׁית אִתְגְּלֵי *et splendor gloriae ejus sicut splendor primigenius apparuit.* Pro נֹגַהּ sunt qui נָגְהוֹ legendum existimarent, quum veteres interpretes omnes pronomen hoc adfixum adhibeant. Sed monet Schnurrerus, recte illud abesse, aptissime enim verba reddi: *ein Glanz wars wie der Sonne Glanz,* h. e. ex atris nubibus, quibus

quibus obvelatus erat Deus, fulgor prodibat, qualis ſolet in ſole conſpici. קַרְנַיִם מִיָּדוֹ לוֹ *Radii e manu ejus* erant *ei*, ſcil. Jovae, i. e. emicabant ex eo radii. קַרְנַיִם hic eſſe *radios*, ut Exod. XXXIV, 29. 30., ſuadet res ipſa, quum de ſplendore ſolis inſtar ſit ſermo. Neque obſtat, quod dualis, קַרְנַיִם, uſurpari alias ſolet de iis rebus, quae vel natura vel arte geminae ſunt. Nam quum exempla exſtent, ſervari dualem etiam tum, cum numerus duobus major additur, veluti Levit. XI, 23. Jeſaj. VI, 2. Zachar. III, 9., inde colligitur, in ejusmodi nominibus dualem formam locum habuiſſe etiam in ſignificatione multitudinis. Arabibus quoque קֶרֶן de *radiis* uſurpari, exemplis pluribus probavit Schroederus. „Verum nec *radii* videntur apte tribui poſſe *manui* Jovae, quam *fulminibus* armatam hic conſpicere malueris. Itaque vel ſtatuendum, *radium* hoc loco dictum eſſe pro *fulmine*, modo ex hebraico loquendi uſu probari id poſſit; vel transferenda huc eſt illa obſervatio, qua dicitur, Hebraeos perſonam exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque ſit conjunctio cum re ea, quae iis tribuitur, idque dum faciant, nihil de iſtis partibus cogitare, ſed totam perſonam animo contueri (cf. J. A. Ernesti *Opuſcc. philol. crit.* p. 173. edit. ſec.), ut מִיָּדוֹ dictum ſit pro מִמֶּנּוּ, veluti Pſ. XVIII, 9. גֶּחָלִים בָּעֲרוּ מִמֶּנּוּ *carbones arſerunt ex eo.* Sunt, qui מִיָּדוֹ reddant *a latere ejus*, ut ſenſus ſit, undique radios emicuiſſe. Sed recte monet Schroederus, hoc ſenſu dicendum fuiſſe מִסָּבִיב, *circumquaque*. Quod vero ipſe ab alio quodam docto viro propoſitum amplectitur, יָד hic denotare *columnam* dictam *nubis et ignis*, veremur ne alienum ſit ab hoc loco, in quo nubis illius mentionem fieri, inopinata res eſt." Schnurrerus. Chaldaeus haec verba ſic expoſuit: וְזִקוּקִין מִמֶּרְכֶּבֶת יְקָרֵיהּ נַפְקִין *et ſcintillae e quadriga gloriae ejus prodierunt.* וְשָׁם חֶבְיוֹן עֻזֹּה *Et ibi latibulum roboris ejus*, i. e. Jova in eo igne, qui denſa caligine circumvallabatur, veluti deliteſcebat, atque inde robur et potentiam ſuam fulminibus illis denſatis et frequentibus

exer-

exercebat. Similiter Pſ. XVIII, 12. poeta in deſcribenda tempeſtate Jovam dicit tenebris uti tanquam penetrali, et tabernaculum habere undique. Chaldaeus: תַּמָּן גְּלָא יַת שְׁכִינְתֵּיהּ דַּהֲוָת מִטַּמְּרָא מִבְּנֵי אֱנָשָׁא בִּתְקוֹף רוּמָא *ibi patefecit majeſtatem ſuam, quae abſcondita eſt ab hominibus, cum potentia ſublimi.*

5. „Perſequitur propheta orationem ſic, ut proximis Verſibus commemoret, Jovam ipſum jam praefuiſſe Iſraelitico agmini iter ſuum perſequenti, horrendasque, quoquo veniſſet, ſtrages edidiſſe, ut maximas inter vicinas gentes orta eſſet trepidatio, rerumque perturbatio.“ Schnurrer. לְפָנָיו יֵלֶךְ דָּבֶר וְיֵצֵא רֶשֶׁף לְרַגְלָיו *Ante eum ibat peſtis, et egreſſus eſt ales ad pedes ejus,* i. e. ſequebantur eum, preſſerunt ejus veſtigia alites, intellige rapaces et carnivoras. Innuitur caeſorum hoſtium foeda multitudo. Sic Ezech. XXXIX, 17. invitantur volucres rapaces et ferae beſtiae ad devoranda cadavera Gogaei exercitus. Vid. ibid. et Vs. 4. et Jerem. VII, 33. De nomine רֶשֶׁף vid. not. ad Pſ. LXXVI, 4. Chaldaeus id *flammae, ignis* ſignificatu ſumſit, vertit enim: מִן קֳדָמוֹהִי מִשְׁתַּלַּח מַלְאַךְ מוֹתָא וְנָפֵיק בְּשַׁלְהוֹבֵית אֶשָּׁתָא מֵימְרֵיהּ *ab ejus conſpectu emiſſus eſt angelus mortis, et prodiit in flamma ignis verbum ejus.* יֵצֵא לְרַגְלָיו *Egreſſus eſt ad pedes ejus,* i. e. eum ſequutus eſt, ut 1 Sam. XXV, 42. נַעֲרוֹת הַהֹלְכוֹת לְרַגְלָהּ *ancillae euntes ad pedes ejus,* i. e. quae eam ſequebantur.

6. Fingit propheta, Jovam praeeuntem agmini Iſraelitico gradum ſiſtere in itinere, objectam omnem regionem oculis perluſtrare et quaſi metiri, animoque ſecum reputare, quinam tractus et capacior eſſet, et accommodatior recipiendo ſuo populo; ſed horrendum Numinis obtutum neque homines ferre poſſe, neque res inanimatas, quocunque ipſe convertat oculos, gentes diſſipari, montes diſſilire, colles ſubſidere.“ Schnurrer. עָמַד וַיְמֹדֶד אֶרֶץ *Stetit et dimenſus eſt terram,* qua nonnulli Canaanem intel-

intelligunt, quam dimenſus eſſe Jova dicatur, ut ſuam cuique tribui partem adſignaret. Sed grandior erit ſententia, ſi totam terram intelligamus, eo ſenſu, quem modo Schnurreri verbis indicavimus. רָאָה וַיַּתֵּר גּוֹיִם *Vidit et diſſolvit gentes*, i. e. ſolo adſpectu gentes ita exterruit, ut fugerent ac ſeſe diſſiparent. LXX non male: διετάκησαν ἔθνη. וַיִּתְפֹּצְצוּ הַרְרֵי־עַד *Et a ſe invicem diſſipati ſunt*, ſ. *disſiluerunt montes aeternitatis*, aeterni, i. e. perrupit Deus omnia obſtacula, quae vix ſuperanda videbantur. שַׁחוּ גִּבְעוֹת עוֹלָם *Depreſſi ſunt colles perpetui*, i. e. nihil fuit illi invium, omnia contra pervia, aperta atque plana. „Montes collesque dicuntur *antiqui* ad augendam rei magnitudinem, ut qui ex hominum memoria eundem locum eandemque formam ſervaſſent conſtanter, inque aeternum ſervaturi viſi eſſent, nec tamen Jovae adſpectum ferre potuerint.“ Schnurrer. Verba, quae ſequuntur, הֲלִיכוֹת עוֹלָם לוֹ, Chaldaeus vertit: גְּבוּרַת עָלְמָא דִּילֵיהּ *ejus eſt mundi potentia*, quod ſequutus Grotius ſenſum horum verborum hunc eſſe ait: omnia quae in mundo ſunt et aguntur, ipſi ſubſunt. Sed *mundi* ſignificatum obtinet nomen עוֹלָם apud ſeriores tantummodo Hebraeos, nusquam in V. T. Schroederus putat, *inceſſus perpetuitatis* ſignificare *continuos* itinerum, bellorum et victoriarum *progreſſus*, qui omnia obſtacula ſuperent, nullisque difficultatibus hoſtiumque viribus cohiberi aut retardari poſſint. Nos adſtipulamur Schnurrero, obſervanti, nomen עוֹלָם hic non poſſe alio ſenſu accipi, quam eo, quo proxime colles dicti ſunt גִּבְעוֹת עוֹלָם *colles perantiqui*. Itaque הֲלִיכוֹת עוֹלָם ſunt *itinera antiqua*, id vero eſt, talia, quae non nunc demum primo tentantur, ſed fuere antiquitus peracta ſaepiusque repetita, adeoque nunc promta ſunt et expedita, nec quidquam habent, quod noviter et praeter opinionem accidere poſſit, ut ſenſus ſit, antiquitus hanc omnem regionem a Jova peragratam, ipſius imperio ſubjectam, adeoque penitus ipſi cognitam fuiſſe exploratamque.

7. תַּחַת

7. תַּחַת אָוֶן רָאִיתִי אָהֳלֵי כּוּשָׁן *Sub aerumna vidi tentoria Cuſchan.* אָוֶן hic notat *malum, aerumnam*, vel *luctum* inde ortum, ut Proverb. XII, 21. לֹא־יְאֻנֶּה לַצַּדִּיק כָּל־אָוֶן *non obveniet juſto ulla aerumna,* ſeu, *ullus luctus.* Parallelum eſt יִרְגְּזוּן *contremuerunt* in altero hemiſtichio. כּוּשָׁן Bochartus in *Phaleg.* p. 238. non diverſum exiſtimat a כּוּשׁ, niſi quod illud ſit diminutivum, et *ἰσοδύναμον* nomini *Midian* altero hemiſtichio, utroque autem Arabiam exiſtimat indicari. Bocharto adſtipulatur Schnurrerus. „Vocem כּוּשָׁן," inquit, „idem valere ac כּוּשׁ, et Arabiae partem ſignificare, vel ex eo recte colligitur, quod commemoratur Cuſchan ſimul cum terra Midian, quam certum eſt ad Arabiam pertinuiſſe. Nominantur autem hae gentes, tum quod vel ſolae, vel vehementius reliquis trepidaſſent, ſed exempli cauſa, quod omnes ordine recenſere nimis longum erat." Verum quum כּוּשָׁן nusquam alias pro כּוּשׁ uſurpatum reperiatur, atque vates in toto hoc contextu ad certa quaedam facta, quae tempore exitus ex Aegypto et expugnationis terrae Cananaeae eveniſſent, reſpiciat (vid. Vs. ſequ.); equidem nullus dubito adſtipulari Hebraeis interpretibus, qui obſervant, reſpicere Noſtrum ad ea, quae Jud. III, 8. 10. narrantur de primo Iſraelitarum oppreſſore, *Cuſchan Riſchathaim*, Syriae ſeu Meſopotamiae rege, qui ab Othniele bello fuit ſuperatus, populusque Jovae auxilio ab ejus tyrannide liberatus; hemiſtichio altero vero, יִרְגְּזוּן יְרִיעוֹת אֶרֶץ מִדְיָן *contremuere aulaea*, i. e. tentoria *terrae Midian*, reſpici ad ea, quae Jud. VI. VII. de Midianitis a Gideone devictis leguntur. Quae duae liberationes eo fuere illuſtriores, quod prior fuit omnium prima, et quidem e manu potentiſſimi hoſtis, Meſopotamiae atque Syriae regis, poſterior victoria erat adverſus immenſam hominum multitudinem, et paene ſine hominum opera, terrore divinitus in hoſtes immiſſo, qui ſeſe mutua caede confecerunt. Has victorias et inſignes liberationes, eo adfert et commemorat propheta, ut animum genti ſuae oppreſſae et anxiae adderet, fore

ut

ut Deus parem in eorum liberatione potentiam ſit exerturus, ſi pariter ad ipſum converterentur. Ita Chaldaeus: כַּד פְּלַחוּ בֵּית יִשְׂרָאֵל לְטַעֲוָתָא מְסַרְתִּנּוּן בְּיַד כּוּשָׁן חַיָּבָא וְכַד תָּבוּ לְמֶעְבַּד אוֹרַיְתָא עֲבַדִית לְהוֹן נִסִּין וּגְבוּרָן וּפָרְקִתִּנּוּן מִיַּד מִדְיָנָאֵי עַל יַד גִּדְעוֹן בַּר יוֹאָשׁ *quando coluit domus Iſrael idola, tradidi eos in manum Cuſchan ſcelerati, ſed quando converſi ſunt, ut exſequerentur legem, edidi ipſis ſigna et fortia facinora, et liberavi eos e manu Midianitarum per Gideonem, filium Joas.* „*Vidiſſe ſe* (רָאִיתִי) iſta dicere poterat propheta; vel quod per viſionem propheticam iſtarum rerum omnium perfecta quaedam ſpecies ipſi a Deo propoſita fuiſſet, vel quod modo prorſus naturali animus acti temporis imaginibus adeo totus repletus eſſet et captus, ut interfuiſſe rebus geſtis ſibi ipſe videretur propheta.“ Schnurrer.

8. הֲבִנְהָרִים חָרָה יְהוָה אִם בַּנְּהָרִים אַפֶּךָ אִם־בַּיָּם עֶבְרָתֶךָ *Num in fluvios iratus erat Jova? num in fluvios ira tua accenſa erat? num contra mare* etiam exarſit *excandeſcentia tua?* כִּי תִרְכַּב עַל־סוּסֶיךָ מַרְכְּבֹתֶיךָ יְשׁוּעָה *quod* conſcendiſti equos tuos? *currus*, inquam, *tuos conſcendiſti in ſalutem?* populi tui nempe. Reſpicit ad diffiſſum ſinum Arabicum et diviſum Jordanem, ut transiret populus Hebraeus, ac Jovam tunc dicit conſcendiſſe currus et equitatum ſuum, quia potentiſſimum auxilium populo ſuo tum ſubminiſtravit; ſicuti cum rex aliquis, conſcripto exercitu et expedito milite, fert ſuppetias ſociis laborantibus. „Perculſus,“ inquit Schnurrerus, „magnitudine rei haud curat eandem, prout geſta erat, longius enarrare; ſed ſubito cauſam facti reputans, ſermone ad Jovam converſo quaerit, num fluvius, num mare offenſum ſibi iratumque Numen reddiderit? mox tamen ipſe reſpondet hoc modo, ut affirmet, ſalutem populi unice id eſſe, cujus cauſſa talia a Deo perficiantur.“ Ante יְשׁוּעָה ſubaudienda eſt particula לְ, ut ſenſus ſit, Deum conſcendere equos et currus ſuos ad ferendam ſuis opem. Quae hoc Verſu com-

commemorantur Jovanae potentiae documenta praecesserunt quidem ea, quae Versu superiore erant commemorata; sed sponte intelligitur, non esse consilium vatis, pristina Dei beneficia populo suo exhibita historice et chronologice enarrare. Illud tamen movisse videtur Chaldaeum, ut *fluminibus* intelligeret reges et validos populos, et nostrum Versum exponeret hoc modo: הָא עַל מַלְכֵיהוֹן וּמַשְׁרְיָתְהוֹן דְסַגִּיאִין כְּמֵי נַהֲרָא הֲוָה רְגַז מִן קֳדָמָךְ יְיָ עַל מַלְכַיָּא הֲוָה רוּגְזָךְ וּבְיַמָּא הוֹדַעְתָּ בְּהוֹן פּוּרְעֲנוּת גְּבוּרְתָּךְ אֲרֵי אִתְגְּלֵיתָא עַל מַרְכְּבַת יְקָרָךְ שְׁכִינְתָּךְ לְעַמָּךְ תְּקוֹף וּפוּרְקָן *en super reges eorum, et exercitus ipsorum, qui multi sunt ut aquae fluminis, exstitit ira a conspectu tui, Domine, et super reges fuit furor tuus, ac in mari notam fecisti in eam ultionem potentiae tuae, nam patefactus es super quadrigam gloriae tuae; majestas tua populo tuo fuit robur et redemtio.*

9. עֶרְיָה תֵעוֹר קַשְׁתֶּךָ *Nudus excitatus est arcus tuus,* depromsisti, parasti, intendisti arcum tuum adversus populi tui hostes. *Suscitari arcus* dicitur, ut Ps. LXXX, 2. עוֹרְרָה אֶת־גְּבוּרָתֶךָ *suscita fortitudinem tuam.* Kimchi תֵעוֹר interpretatur נִגְלְתָה *nudatus, manifestatus fuit* arcus tuus, i. e. וְרוֹעֲךָ *vis tua, robur tuum,* quasi verbum עור significationem mutuaretur ab עָרָה, uti plura verba *mediae* radicalis quiescentis et *tertiae* radicalis quiescentis significationes invicem permutare solent. Ita Jesaj. XXXII, 11. est פְּשֹׁטָה וְעֹרָה *exue te et nuda te.* Et Jesaj. XXII, 6. וְקִיר עֵרָה מָגֵן *et Kir nudavit,* depromsit *scutum.* Hinc supra II, 15. מְעוֹרֵיהֶם est *nuditas eorum.* Quod autem *arcus* dicitur *nudatus* respicit ad morem veterum, arcum, dum otiosus est, in theca recondendi, qualis dicta est Graecis *γωρυτὸς, * Latinis *corytus,* Arabibus autem مِقْوَسٌ et لِحَاقٌ; unde *nudare arcum* idem est ac depromere, quemadmodum Arabibus عُرْيَانٌ, *nudus,* usurpatur de gladio

gladio ſtricto, evaginato. שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת אֹמֶר *Jusjuranda tribuum, dictum,* i. e. illa omnia feciſti; ut promiſſis ſtares jurejurando confirmatis tribubus, te ipſis terram Cananaeam poſſidendam daturum eſſe. Vid. Geneſ. XV, 18. Pſ. CV, 9. Genitivus מַטּוֹת, *tribuum*, objective ſignificat, i. e. jusjuranda *tribubus* populi tui *facta*, ut ſupra II, 8. 17. מִדְּמֵי אָדָם וַחֲמַס־אֶרֶץ, ad quem loc. vid. not. אֹמֶר *Verbum*, decretum (ut Pſ. LXXVII, 9. Job. XXII, 28.), cum praecedentibus per appoſitionem eſt connectendum, hoc ſenſu: ob ſermonem promiſſum ac jurejurando confirmatum tribubus haec omnia feciſti. Ita Chaldaeus: אִתְגְּלָאָה אִתְגְּלֵיתָא בִּגְבוּרְתָךְ בְּדִיל קְיָמָךְ דְּעִם שִׁבְטַיָּא מֵימְרָךְ קַיָּם לְעָלְמִין לְהוֹן *revelando revelatus es cum potentia tua, propter foedus tuum, quod cum tribubus verbum tuum pepigit in ſecula ipſis.* Hieronymus quoque ſuperioris et hujus Verſus ſenſum ita enarrat: „Sicut Jordanem et mare ſiccaſti rubrum, pro nobis dimicans (non enim fluminibus et mari iratus es, aut quidquam inſenſibilia offenſionis contrahere potuerunt); ita nunc quadrigas conſcendens tuas, arcumque corripiens, ſalutem dabis populo tuo, et juramenta, quae juraſti patribus noſtris et tribubus, explebis in ſempiternum.“ Recentiores interpretes neglecta aut rejecta vetere illa explicatione in hisce verbis tractandis magnopere inter ſe diſſident. Potiora eorum tentamina examinavit Schnurrerus p. 359. Ipſe cum Schroedero שְׁבֻעוֹת mutato in שְׂבֵעוֹת, *ſaturatae*, et מַטּוֹת *telorum* ſignificatu accepto, Syro interprete praeeunte, qui vertit: ܘܢܣܒܥܘܢ ܓܐܪ̈ܐ ܒܡܐܡܪܟ ܡܫܒܚܐ *et ſaturabuntur tela ad juſſum tuum glorioſum*, locum noſtrum ſic interpretatur: *depromſiſti arcum, ſaturata ſunt tela, canitur triumphus. Saturata* dicuntur Orientalibus *tela* ea, quae hauſto ſanguine hoſtium plena et quaſi ebria ſunt, vid. Deuter. XXXII, 42., et ad eum loc. not. אֹמֶר autem ut Pſ. LXVIII, 12. ita et hic *nuntium* ſignificare exiſtimat *de reportata ab hoſtibus victoria*, atque adeo *carmen triumphale.*

phale. Docta quidem interpretatio, cui tamen nos calculum adjicere dubitamus, quum in שְׁבֻעוֹת omnes codices consentiant, et Syrus in ea voce interpretanda suam tantummodo conjecturam haud dubie sit sequutus. Neque מַטּוֹת usquam de *telis* dicitur. STEUDEL *Archiv* Vol. II. p. 422. verba שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת אֹמֶר sic interpretatur: *jusjuranda* sunt *virgae* i. e. plagae *dicti* scil. divini, i. e. jurejurando populis tibi inimicis poenas te inflicturum esse dixisti (Exod. XXIII, 22 — 32. nott. Deuter. VII.), quare non potes non arcum depromere ad omittenda in hostes tela. מַטּוֹת *Virgae,* puniendi instrumenta, Jes. IX, 3. infra Vs. 14., sunt poenae ipsae. Illustrari hunc locum posse censet simili Job. XX, 29., ubi de poenis, quae impios manent, dicitur: וְנַחֲלַת אִמְרוֹ מֵאֵל, quae verba hoc dicere putat: et haec est hereditas, s. portio, quae ei a Deo dicta, destinata est. Verba נְהָרוֹת תְּבַקַּע־אָרֶץ alii vertunt: *flumina fidisti in terra,* ב ante אֶרֶץ subaudito, coll. Job. XXVIII, 10. בַּצּוּרוֹת יְאֹרִים בִּקֵּעַ *in petris fluvios fidit;* alii: *flumina fidisti terram,* i. e. fidisti terram in flumina; ita videlicet, ut fluvii per eam decurrerent, atque sic copia aquae suppeteret populo in locis aridis. Tangi hic plerique existimant historiam, quae refertur Exod. XIII, 6. Num. XX, 11., ubi legimus, aquam e petra eductam fuisse, quae exercitum sequuta sit fluminis instar, ac potum populo affatim praebuerit. Quo pertinet et illud Ps. LXXVIII, 16. *Eduxit fluenta e rupe et descendere fecit ut flumina aquam.* Eodem nostra verba retulit Chaldaeus: בְּזִיוְתָא טִנָּרִין תַּקִּיפִין נְפַקוּ נַהֲרִין שָׁטְפִין אַרְעָא *scidisti rupes fortes, et manarunt flumina inundantia terram.* Obvertit quidem Schnurrerus, illum eventum si spectasset vates, eum pro אֶרֶץ ponere צוּר vel סֶלַע debuisse. Nos tamen nobis vix possumus persuadere, poetam philologica ἀκρίβεια in seligendis vocibus usum fuisse.

10. רָאוּךָ יָחִילוּ הָרִים *Viderunt te,* i. e. cum vim tuam senserint, *contremuerunt montes,* quibus alii reges et

et principes terrae Canaan ſignificari exiſtimant, alii illud ſpectari volunt, quod Exod. XIX, 18. narratur de monte Sinai in promulgatione legis fumante totoque contremiſcente, eo quod Jova in igne ad eum deſcenderet. Ita Chaldaeus: בְּאִתְגַּלְיוּתָךְ עַל טוּרָא דְסִינַי חֲזוֹ יְקָרָךְ זָעוּ טוּרַיָא *in patefactione tua ſuper montem Sinai viderunt gloriam tuam; commoti ſunt montes.* Quum tamen eorum, quae in ſolenni legis promulgatione evenerunt, jam ſupra Vs. 3. 4. facta eſſet mentio, nos adſtipulamur Schnurreri ſententiae, etiamnum ſermonem verſari in deſcribendo itinere agminis Iſraelitici per deſerta Arabica, duce et rege Jehova. „In eo eſt vates, ut, quoquo ſe convertiſſet Jova, timoris omnia plena facta eſſe ediſſerat. Maximi igitur conſummatique terroris imaginem ut exhiberet, fingit, naturam adeo univerſam penitus concitatam fuiſſe et perturbatam, montes contremuiſſe, coelo imbres delapſos eſſe, ſaeviiſſe mare turgidum. Quae ſi ſingula urgere, atque ad rerum vere geſtarum narrationem conferre atque examinare volueris, feceris omnino rem a mente et ſenſu vatis alieniſſimam. Neque enim in hujusmodi picturis poeticis ſingula ſeorſim quidquam valent, ſed ſunt omnia conjunctim ſpectanda, eſtque rei quaſi ſumma ſola tenenda. Verbis רָאוּךָ יָחִילוּ הָרִים terrae motum indigitari, ſponte unusquisque intelligit, ſucurritque ſimile illud Virgilii

Silvarum juga coepta moveri
Adventante Deo."

זֶרֶם מַיִם עָבָר *Imber aquarum transivit,* omnia inundavit. Verbum עָבַר de aquae vi irruente ac inundante dicitur quoque Jeſaj. VIII, 8. et Dan. XI, 10. 40. נָתַן תְּהוֹם קוֹלוֹ *Edidit abyſſus vocem ſuam,* mare concitatum fragorem edidit. רוֹם יָדֵיהוּ נָשָׂא In *altum manus ſuas ſuſtulit.* „רוֹם elliptice poſitum pro לְרוֹם aut בְּרוֹם, et pendet verbum נָשָׂא a nomine תְּהוֹם. *Manus* autem *maris* ex natura hujus loci non poſſunt eſſe niſi fluctus tempeſtate ſaeviente in altum ſublati exaggeratique. Ceterum locus Pſ. LXXVII, 17. ſeqq.

habet quidem cum noſtro notabilem aliquam ſimilitudinem, poteſtque ex eo dicendi quasdam formas petiiſſe Chabacucus; nec tamen alius, quam qui in verbis conſpicitur, inter utrumque conſenſus eſt; nam Pſalmus agit de transitu ſinus Arabici, ad quem locus noſter nequaquam poteſt transferri.“ Schnurrer.

11. שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ עָמַד זְבֻלָה *Sol* et *luna ſtetit* in *habitaculo*, in coelo. Hiſtoria habetur Joſ. X, 13. וַיִּדֹּם הַשֶּׁמֶשׁ וְיָרֵחַ עָמָד *ſubſiſtit ſol* et *luna ſtetit donec ſeſe ultus eſſet populus de inimicis ſuis.* Et paucis interjectis verbis: וַיַּעֲמֹד הַשֶּׁמֶשׁ בַּחֲצִי הַשָּׁמַיִם *ſtetit ſol in medio coeli, et non feſtinavit occumbere ſpatio circiter unius integrae diei.* Chaldaeus: אַף בְּמֶעְבְּדָךְ לִיהוֹשֻׁעַ בְּמֵישַׁר גִּבְעוֹן שִׁמְשָׁא וְסִהֲרָא קָמוּ בִּמְדוֹרֵיהוֹן *quando etiam edidiſti ſigna Joſuae in planitie Gibeon, ſol et luna ſubſtituerunt in habitationibus ſuis.* זְבֻלָה eſt dictio penacuta, unde patet, He in fine paragogicum eſſe. Schnurrerus nomine זְבוּל locum illum, in quem occidens ſol deſcendere atque intrare fingitur, ut nocte ibidem peracta prodeat iterum, curſum ſuum denuo peracturus, indicari exiſtimat. „Trita eſt,“ inquit, „Hebraeorum loquendi forma, qua ſol occidens dicitur *intrare*, בוא, oriens *exire*, יצאת; et tentorium ſeu habitaculum diſerte ſoli tribuitur Pſ. XIX, 5. Itaque ſol et luna ſi perſtitiſſe dicuntur in habitatione ſua, quid quaeſo ſignificare illud poſſit niſi hoc: abſtinuiſſe haec ſidera ab oriendo, adeoque nil quidquam lucis orbi adſperſiſſe?“ Nos tamen *coelum* a poeta non incommode *ſolis et lunae habitaculum* dici exiſtimemus. לְאוֹר חִצֶּיךָ יְהַלֵּכוּ לְנֹגַהּ בְּרַק חֲנִיתֶךָ *Ad lucem ſagittarum tuarum*, Jova, *ambularunt* Iſraelitae adverſus hoſtes ſuos, *ad ſplendorem fulguris haſtae tuae. Sagittae Jovae* dicuntur fulmina, ut Pſalm. XVIII, 15. LXXVII, 18. CXLIV, 6. „בְּרַק חֲנִית *Fulgur haſtae* eſt ejusdem acies micans, ut Nah. III, 3. Sunt codices apud Kennicottum, qui lectionem exhibent חניתיך, numero plurali, neque alienus ab ea eſt Schroederus, uſus etiam aucto-

auctoritate Syri interpretis, qui habet: *in ſplendore fulgurum haſtarum tuarum.* Sed lectio חניתיך oppido incommoda eſt: nam unius plures quidem poſſunt eſſe ſagittae, ſed idem haſtam non poteſt niſi unicam tractare. Ceterum fictionem hanc de tanta fulminum multitudine, tantoque haſtae a Deo agitatae ſplendore, ut ſolis lunaeque vicem reddens iter facientibus viam colluſtraret, inſigniter hyperbolicam eſſe, non eſt quod moneamus." SCHNURRER. Reſpicere videtur poeta ad idem illud quod Joſ. X, 10. 11. narratur, immiſſis fulminibus et grandine Jovam populi ſui hoſtes deleviſſe; nam etſi textus meminit tantum grandinis coelitus demiſſae, tamen quum grandinem comitari ſoleat aut praecedere turbo, procella cum tonitruis et fulminibus, Noſter hic non ſine veri ſpecie fulminum facit mentionem. Et ſane id diſerte momorat JOSEPHUS *Antiqq.* L. V. C. I. §. 17., ubi hiſtoriam illam narrat: *Ἔνθα καὶ τὴν τοῦ θεοῦ συνεργείαν ἔμαθεν, ἐπισημήναντος αὐτοῦ, βρονταῖς δὲ καὶ κεραυνῶν ἀφέσει, καὶ χαλάζης καταφορᾷ μείζονος τῆς συνήθους. Illic Deum ſibi in auxilium veniſſe didicit, manifeſto indicio, quod tonitrua et fulmina e coelo miſſa fuerint, et grando deciderit ſolito major.* Eadem ergo fulmina et fulgetra, quae hoſtes Iſraelitarum terrebant et proſternebant in terram, animum Iſraelitis addebant, eisque veluti praeibant, et quaſi praelucebant, ut in procellae illius atque turbinis caligine hoſtes ſuos videre atque ferire poſſent. Hinc Chaldaeus horum verborum ſenſum ſic expreſſit: עַמָּךְ בְּמֵימְרָךְ אִתְגַּבַּרוּ בִּתְקוֹף נִצְחָן גְּבוּרְתָךְ *populus tuus verbo tuo praevaluit in robore victoriae potentiae tuae.*

12. בְּזַעַם תִּצְעַד־אָרֶץ בְּאַף תָּדוּשׁ גּוֹיִם *Cum indignatione pervadebas terram, cum ira triturabas gentes.* „Verbi צָעַד ſolemnis uſus in eo poſitus eſt, ut dicatur de Jehova, univerſum agmen Iſraelitarum ducente ac regente, Jud. V, 4. Pſ. LXVIII, 8. אֶרֶץ, quod dictum eſt pro בָּאָרֶץ, regio eſt inter Aegyptum et Cananaeam terram media,

 per-

peragrata a populo Ifraelitico, גּוֹיִם gentes hisce finibus conterminae. *Triturationem*, quae in eo pofita erat, ut grana e fpicis extererentur, quod effici folebat vel jumentis in frumentum inactis, vel circumacto tribulo, transferri apud Hebraeos ad ftrages, quibus copiae hoftiles conteruntur quafi et comminuuntur, nota res eft et pervulgata. Cf. Lowth *de poefi facra Hebraeorum*, p. 122." Schnurrer.

13. יָצָאתָ לְיֵשַׁע עַמֶּךָ לְיֵשַׁע אֶת־מְשִׁיחֶךָ *Exiifti ad falvandum populum tuum, ad falvandum Unctum tuum.* „Fuere, qui verterent: *egreffus es ad falutem populi tui una cum Uncto tuo*, praeeuntibus Aquila et verfionis quintae auctore, qui, tefte Hieronymo, habent: *εἰς σωτηρίαν σὺν χριστῷ σου*, nec non Vulgato: *in falutem cum Chrifto tuo.* Et orationis quidem ftructura bene fert hanc interpretationem; poffis enim ex antecedentibus repetere vocabulum עַמֶּךָ, ut alterum comma eandem fententiam exhibeat quam prius, fed pleniorem illam et magis definitam; cujus generis exempla exftant quamplurima. Sed negari nequit, primo hoc ipfum nonnihil offenfionis habere, quod Jova in auxilio fuis parando comitem aliquem ac focium fibi adjunxerit; deinde prorfus incertum ac dubium fore, quemnam focium intelligi voluerit propheta. Fuerunt quidem non recentiores modo, fed antiquiores etiam interpretes, qui *Unctum Dei* putarent effe Jefum, falutis noftrae auctorem, velut auctor Sextae editionis, qui tefte Hieronymo vertit: *ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν Χριστόν σου.* At alienum hoc eft ab univerfi carminis ratione et argumento, in quo nihil eft, quod talem fententiam juvare et commendare poffit. Malumus igitur cum Dathio מְשִׁיחֶךָ ut fynonymum accipere *τοῦ* עַמֶּךָ. Etiamfi enim populus Ifraeliticus vere unctus haud effet, uncti tamen nomine ornari recte poterat propterea, quod effet ex univerfa populorum multitudine delectus a Deo ipfique dicatus confecratusque; confecratio autem quum

per-

peragi soleret antiquissimis temporibus ungendo, fieri facile potuit, ut permutarentur nomina *Sacri* atque *Uncti*, et hoc de illis etiam usurparetur, qui sacri essent et haberentur, etiamsi locus haud fuisset unctionis solemnitati. Sic Ps. CV, 15. tres primarii Israelitarum patriarchae dicuntur מְשִׁיחֵי יְהוָה, Χριστοί, non quod uncti, sed quod Jovae cari sacrique essent. Ps. XXVIII, 8. מְשִׁיחַ יְהוָה aeque possis de ipso populo intelligere, ac de populi rege. Ebr. XI, 26. ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ idem esse ac τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ λαοῦ τοῦ Θεοῦ (Vs. 25.), affirmarunt complures iique praeclari interpretes, et est omnino hic significatus loco illi convenientissimus. Quibus accedit hoc, commemorari a Montefalconio veterem aliquem Graecum interpretem, qui מְשִׁיחֶךָ reddit τοὺς ἐκλεκτούς σου. Neque vero probamus Grenii conjecturam, existimantis, particulam אֶת tollendam esse suo loco, atque ad sequens nomen רֹאשׁ admovendam; nam יֵשַׁע, quod est nomen actionis, sequitur hic constructionem verbi sui finiti, ut Jesaj. X, 9. דֵּעָה אֶת יְהוָה; vid. Schroederi *Syntax.* Reg. LXXXVI. et Glassii *Philol. S.* p. 152. edit. Dath. Nec est, cur מְשִׁיחֶךָ permutetur cum מְשִׁיחֶיךָ, quod Hubigantius statuit, neque aversatur Michaelis. Alexandrinus quidem usus est numero plurali, τοῦ σῶσαι τοὺς Χριστούς σου, quod testatur Hieronymus, et confirmat versio Arabica, facta ex Alexandrina, estque, ut diximus, alius quidam Graecus interpres, qui habet ῥύσασθαι τοὺς ἐκλεκτούς σου, nec codices plane desunt, qui exhibeant lectionem משיחיך. Sed primo hi sunt oppido pauci; deinde interpretes illi potuerunt מְשִׁיחֶךָ pro collectivo nomine accipere: et receptam lectionem tuentur praeter Chaldaeum, Syrum et Vulgatum, Aquila, Symmachus, Theodotion, cum V. et VI. editione." Schnurrer. Verba מָחַצְתָּ רֹאשׁ מִבֵּית רָשָׁע quidam reddunt: *percussisti caput de domo impii,* i. e. domus impii, nam particulam מִן Hebraeis non minus atque Arabibus Genitivo exprimendo inservire, notum; cf. not. ad Job. IV, 13. Ita *caput* metaphorice erit capiendum de regibus et principibus

cipibus. Ita Chaldaeus: שֵׁיצִיתָא מִן קֳדָמֵיהוֹן מַלְכַיָּא וְשׁוּלְטָנַיָּא מִבָּתֵּיהוֹן *delevisti a conspectu eorum* (Israelitarum) *reges et principes e domibus suis.* Iudicari autem existimant alii regem Aegyptiorum, qui in mari rubro submersus est, alii Adonizedecum, Jabin, reliquosque Cananaeorum reges, quos ope divina Josua interfecit. Verum recte monuerunt alii, interque eos Schnurrerus, quum locis duobus aliis, Ps. LXVIII, 22. et CX, 6., quibus exstat formula מָחַץ רֹאשׁ, nomen רֹאשׁ proprie et collective dicatur de capitibus hostium, quae victor pedibus conculcat, illud nec hic alio sensu recte accipi posse. Ante מִבֵּית subaudiendum est pronomen אֲשֶׁר, cujus ellipsis, praesertim in stilo ornatiore, frequens est, etiam cum locum nominis recti sustineat, veluti Ps. LXXXI, 6. Jerem. XLVIII, 36. Thren. I, 14. רְשָׁעִים, pro quo hic poetice in singulari רָשָׁע positum, non tam malos sceleratosque homines significat, quam tales, qui injusta causa infensi essent Israelitis. Sensus verborum quae sequuntur, עָרוֹת יְסוֹד עַד־צַוָּאר *nudando fundamentum usque ad collum*, obscurus est. Nonnullis interpretibus imago videtur desumta esse ab aedificio, cujus fastigium disjectum, et fundamentum adeo ad ima usque nudatum sit. Sed vere monet Schnurrerus, in hac interpretatione obstare praecipue vocabulum צַוָּאר *collum*, quod quo sensu tribui possit aedificio, haud facile intelligatur. Schroederi sententiae, צַוָּאר intelligendum esse de *collo aedificii* improprie sit dicto, h. e. de parte ejus, quae capiti, seu fastigio proxima sit, atque ideo *fundamento*, seu parti infimae, directe opponatur, idem ille Schnurrerus opposuit, perversum fere loquendi modum tribui sic prophetae, cui dicendum potius fuerit מִן־צַוָּאר עַד־עָרוֹת יְסוֹד. Etenim in aedificio penitus destruendo, si fastigium dejectum fuerit, destrui solet deinceps pars media, donec ad ipsum fundamentum perventum fuerit; a denudando autem fundamento initium facere, et sursum rem persequi, perversum omnino foret ac praepostrum. Quae quum ita sint, C. Th. Anton in Commentatione

supra

ſupra p. 399. laudata, nomen יְסוֹד, Abarbenele praeeunte, de *imis corporis partibus* interpretandum cenſet, ut pedes ſint intelligendi, qui in ſolo ſubſiſtunt, et quibus corpus, ut fundamento domus innititur, adeoque verba noſtra ita ſint interpretanda: *denudaſti imas partes usque ad collum,* i. e. maxima ignominia affeciſti hoſtes, eos viciſti. Qua dicendi forma prophetae aliquoties Dei poenas minantur, vid. Jeſaj. XLVII, 2. 3. Jerem. XIII, 22. Ezech. XXIII, 10. 29. Nah. III, 5. Eodem modo noſtrum locum explicuit Marckius, et ante eum Ludov. Cappellus. „*Denudari,*" inquit, „*usque ad collum* eſt plane, prorſus atque omnino denudari, ut ſi cui utrimque reducta ſurſum veſte, et in caput illius rejecta, capiti ipſis obvolvatur, is plane denudatur, et turpitudo ejus omnium oculis exponitur." Sed capitum hoſtium conquaſſationi minus apte eorundem denudatio videtur ſubjici. Quare nos adſtipulamur Schnurrero, יְסוֹד de *fundo maris Arabici* intelligenti, quod nudatum erat a Deo remota aqua, ut ſicco pede transmigrarent Iſraelitae, quemadmodum Pſ. XVIII, 16. imum maris ac terrae fundamentum retectum fuiſſe ſaeviente tempeſtate dicitur. עָרוֹת eſt Infinitivus poſitus loco Praeteriti עֵרִיתָ, cujus generis exempla alia exhibet Schroederus *Syntax.* Reg. LIV. „Poſtrem autem verba, עַד־צַוָּאר," inquit Schnurrerus, „neceſſe eſt elliptice dicta eſſe, niſi textum ipſum aliqua ſui parte truncatum eſſe dixeris, quam vero ſuſpicionem in antiquis verſionibus nihil eſt quod ullo modo confirmare poſſit. Elliptica ſi ſint verba עַד־צַוָּאר, ſponte legentibus ſuccurrit, dicta ea eſſe pro עַד־צַוָּארָם יָם, i. e. *mare illos* (רְשָׁעִים) *obruit,* coll. Jeſaj. VIII, 8. et XXX, 28., ubi inundatio dicitur עַד־צַוָּאר *ad collum usque* pertingere." Admodum breviter atque abrupte hoc dictum eſſe, nec ipſe Schnurrerus diffitetur, neque tamen hoc ipſum dicendi genus a vatis noſtri ingenio ac more abhorret. Ceterum cum Schnurrero et in eo facimus, quod ſermonem Verſu hoc et duobus, qui proxime ſequuntur, adhuc in commemorandis rebus in

transitu

transitu ſinus Arabici geſtis verſari arbitratur. „Neque nos,“ inquit, „ab hac opinione avertunt, quae contra eandem a Schroedero moventur dubia: nullam ſic temporis rationem haberi, neque credibile eſſe, quod carmen in beneficiis, quae ad antiquiora tempora pertineant recenſendis ſubſiſtat, et quae deinceps, plurium ſeculorum lapſu, et quae haud ita pridem in maximam populi ſalutem praeſtita eſſent, ſilentio praetermittat. Haud enim hiſtoricum agit propheta, qui res omnes eodem quo geſtae eſſent, ordine recenſeat, ſed poetam, qui ſuo quaſi jure utitur, legibusque, quibus ille continetur, ſeſe minus adſtrictum eſſe putat; et poſſis, ſi ita videatur, in vertendis verbis יָצָאתָ, מָחַצְתָּ rel. uti *plusquamperfecto* tempore, quod apud Hebraeos, quibus duo tantum tempora eſſent, praeteritum complecti ſatis notum eſt.“

14. נָקַבְתָּ בְמַטָּיו רֹאשׁ פְּרָזָיו *Pertudiſti baculis ſuis caput ducum ejus.* פְּרָזִים non eſſe *pagos* aut *paganos*, ſed *praefectos militares, duces*, collato Arabico فرز *discernere, ſtatuere,* poſt Tellerum oſtendit Schnurrerus ad Carmen Deborae Jud. V. Vs. 7. *Diſſertatt.* p. 47. In illo ſignificatu exprimendo conſentiunt quoque veteres omnes. Suffixum in פְּרָזָיו reſpicere ad רָשָׁע, Verſu ſuperiore, quo hoſtes Iſraelitarum ſignificari vidimus, vix dubium eſſe poteſt. Illud vero, quod in בְמַטָּיו eſt ſuffixum, ad עַמֶּךָ ſeu מְשִׁיחֶךָ eſt referendum, ut ſenſus ſit: capita ducum Aegyptiorum baculis pertundenda tradidiſti populo tuo. „Audax ex formula,“ inquit Schnurrerus, „qua Aegyptiorum in mari Arabico ad collum usque ſubmerſorum capita baculis ab Iſraelitis perforata dicuntur, ſed audacior fere, nec tamen ab hac prorſus abſimilis illa, quae exſtat Pſ. LXXIV, 13. 14. *Tu perrupiſti vi tua mare, fregiſti capita belluarum maritimarum ſuper aqua; Tu quaſſaſti capita crocodilorum eaque tradidiſti cibum populo, deſerticolis.*“ Chaldaeus haec verba ſic exponit: בִּזְעִתָא יַמָּא בְחוּטְרֵיהּ דְמֹשֶׁה וּגְבָרֵי רֵישֵׁי מַשִׁרְיָת פַּרְעֹה דַחֲשִׁיבוּ מַחְשְׁבָן

מַחְשְׁבָן עַל עַמֶּךָ *fcidifti mare virga Mofis et ftrenuos duces exercitus Pharaonis, qui machinabantur machinationes adverfus populum tuum.* יִסְעֲרוּ לַהֲפִיצֵנִי *Irruerunt inftar turbinis* hoftes *ad disfipandum me,* populum tuum. עֲלִיצֻתָם כְּמוֹ־לֶאֱכֹל עָנִי בַּמִּסְתָּר *Quorum exfultatio et gaudium* eft *quafi ad devorandum miferum in occulto.* Ad לֶאֱכֹל fubaudiendum verbum הָיוּ, quocum conjunctus Infinitivus, ל fibi praefixum habens, periphrafin facit futuri temporis; Schroederi *Syntax.* Reg. LXXXVII. Haec verba impetum refpicere ab infequentibus Aegyptiis in Ifraelitas factum, poft Abarbenelem vere obfervat Schnurrerus. „Refert enim hiftoria Exod. XIV., Aegyptium, poftquam audiviffet, Ifraelitarum agmen converfione facta in occidentali maris Arabici littore haerere, et feftinanter infequutum effe, adhibito maxime equitatu, et certiffima fpe fretum, fore ut facillimo negotio in poteftatem fuam redigeret Ifraelitas, qui ex una parte finum maris, ex alia vero immenfa deferta haberent fibi objecta, quo et Mofis illud fpectat Exod. XV, 9. *Dixit hoftis: infequar, affequar, dividam praedam, potiar illis, ftringam gladium, eos fubigam.* Itaque dicitur hic primo irruiffe inftar procellae, deinde exfultaffe jam, quod inerme agmen abfumendum effet quafi in receffu, e quo elabendi via nulla fuperfit.“

15. דָּרַכְתָּ בַיָּם סוּסֶיךָ *Calcafti in mari equis tuis,* ante סוּסֶיךָ fubaudiendum ב, *equi* autem Jovae tribuuntur eodem fenfu ut fupra Vs. 8. Chaldaeus: אִתְגְּלִיתָא עַל יַמָּא בִּמְרְכֶּבֶת יְקָרָךְ *manifeftatus es fuper mare in quadriga gloriae tuae.* חֹמֶר מַיִם רַבִּים *In luto aquarum multarum* fcil. calcafti, i. e. in imo f. fundo maris, et per illud populo tuo viam fecifti. Hebraeorum nonnulli interpretes חֹמֶר h. l. capiunt *acervi* fignificatu, ut Exod. VIII, 10., ubi חֲמָרִם חֲמָרִם eft *acervatim.* Ita Chaldaeus: בִּרְגוֹר מַיִן סַגִּיאִין *in acervo aquarum multarum.*

16. Jam redit propheta, unde Vs. 2. egreffus erat. שָׁמַעְתִּי וַתִּרְגַּז בִּטְנִי *Audivi,* Jova, judicia, quae exercere

foles

ſoles in populi tui hoſtes, Vs. 2., *et commotus eſt venter meus,* contremui toto corpore. לְקוֹל צָלְלוּ שְׂפָתַי *Ad vocem* illam tuam, quam audivi, *tinnierunt labia mea,* ita tremuerunt et palpitarunt, ut quaſi tinnirent. „Ad vocem לְקוֹל ex antecedentibus ſubintelligendum אֲשֶׁר שָׁמַעְתִּי. Formulam צָלְלוּ שְׂפָתַי ut duram atque incongruam vituperat J. D. Michaelis, ratus, loco שְׂפָתַי ſcribendum fuiſſe אָזְנַי *aures meae* [Cf. 1 Sam. III, 11. *Et faciam aliquid in Iſraele, ut quicunque illud audiverit* תְּצִלֶּינָה שְׁתֵּי אָזְנָיו *tinnient ambae aures ejus*]. Verum eſt, tinnitum de labiis dictum inſolentius quid habere, de auribus contra uſitatum eſſe et pervulgatum: at hanc ipſam ob cauſam parum credibile eſt, lectionem אָזְנַי, obviam illam et longe facillimam, tranſire unquam potuiſſe in difficiliorem שְׂפָתַי. Sed et labiis tinnitus tribui poterat haud prorſus abſone, quod, quum quis horrore corripitur, palpitant collidunturque labia atque ſonum aliquem edunt, non quidem vero tinnientem, ſed qui tinnire dici poſſet vel poetice, vel quod proprio verbo lingua careret.“ Schnurrer. יָבוֹא רָקָב בַּעֲצָמַי *Venit putredo in oſſa mea,* ex eodem nimiro metu, ex quo vires corpus deſtituunt, unde collabaſcit, non ſecus, ac ſi oſſa, quibus ſuſtinetur, computruiſſent. Terror artus omnes adeo occupavit enervavitque, ac ſi oſſa tabe eſſent eroſa. Veteres interpretes pro רָקָב raro conſenſu exprimunt רֹגֶז, *tremor,* ne excepto quidem Chaldaeo, qui זִיעָא reddidit. Codicum tamen, qui hodie exſtant, nullus רֹגֶז exhibet, et receptum in illis רָקָב Schroederus dextre defendit obſervando, haud difficulter intelligi, quomodo legendi illa varietas orta ſit; etenim quum modo praeceſſerit verbum רָגַז, et mox idem verbum recurrat, facile fieri potuiſſe, ut nomen רֹגֶז vel calamo librarii ſubreperet, vel obverſaretur animo interpretis. Addit Schnurrerus, alieniorem videri ab ingenio Habacuci, haud ſane tardo ſterilique, ejusdem vocis continuam repetitionem in ejusmodi loco, ubi ſermonis varietas difficultatem non haberet. וְתַחְתַּי אֶרְגָּז *Et ſubter me contremui,* collabaſcente prae

tre-

tremore ſub ſe corpore meo. Alii: *in loco ſuo*, illico, ut 2 Sam. II, 23. וַיָּמָת תַּחְתָּיו *et mortuus eſt illico.* Schnurrerus hic conſtructionem locum habere exiſtimat, quae dicitur praegnans, ut ſenſus ſit: contremui et in loco meo deſixus haereo, ut pedem proferre haud poſſim. אֲשֶׁר אָנוּחַ לְיוֹם צָרָה *Qui* ſ. *quod quieſcam*, manere debeam, *usque ad tempus calamitatis*, quae qualis ſit deſinit dum addit: לַעֲלוֹת לְעַם יְגוּדֶנּוּ quae verba Schnurrerus obſervat elliptice poſita eſſe, et hoc modo explenda: לְיוֹם עֲלוֹת לְעַם אֲשֶׁר יְגוּדֶנּוּ *ad tempus, quo imminebit contra populum* meum *qui eum invadet.* Verbum עָלָה alias quoque uſum habet militarem, et de expeditione bellica dicitur, 1 Sam. VII, 2. 2 Sam. V, 17. 19. Jerem. L, 3. Pro יְגוּדֶנּוּ, vel, uſitatiore ſcribendi ratione, יְגֻדֶנּוּ (eſt enim a גָּדַד *turmatim invadere*, cf. Geneſ. XLIX, 19.) in codicibus nonnullis a De-Roſſio in Scholiis ad h. l. commemoratis ſcriptum reperitur יְגוּרֶנּוּ qui *peregrinabitur apud nos.* Graecus quoque Alexandrinus interpres habet: τοῦ ἀναβῆναι εἰς λαὸν παροικίας μου, niſi quod is cum ſuffixo primae ſingularis perſona legerit יְגוּרֵנִי. Sed receptam legendi rationem praeferendam eſſe, nemo facile in dubium vocaverit. Chaldaeus hoc Verſu hoſtium populi Hebraei verba contineri exiſtimat: אמרה בבל שמעית וזעו מלכיא מן קדם דינא די אתדנו מצרים לקל מליא אלין צלא ספותי אחד זיעא לחכימיא ובאתר דשרינא זעית דשבקני ליום עקא לעדן אסקא, גלות עמי מני יתכרבני *dixit Babel: audivi et commoti ſunt reges propter judicium, quo judicati ſunt Aegyptii; a voce ſermonum illorum tremuerunt labia mea; invaſit tremor ſapientes, et in loco quo manebam, commota ſum, quod reliquiſſet me in diem anguſtiae, quo tempore aſcendet transmigratio populi mei ex me, conteret me.*

17. Quae Verſu ſuperiore breviter dicta erant de tempore calamitoſo deque vaſtitate ab hoſte Chaldaeo patriae inducenda, copioſius nunc ob oculos quaſi ponuntur. כִּי־תְאֵנָה לֹא־תִפְרָח וְאֵין יְבוּל בַּגְּפָנִים *Nam* veniet tempus, quo

quo *ficus non florebit*, i. e. non erumpet groſſis, neque enim *flores* ficus, ut ceterae arbores, ſed groſſulos emittit, *nec* erit *proventus in vitibus*, nullae in iis uvae provenient. כִּחֵשׁ מַעֲשֵׂה־זַיִת *Mentietur*, ſpem fallet, *opus* ſ. fructus *oleae*. Sic apud Horatium *ſpem mentita ſeges*. Eodem ſenſu verbum כִּחֵשׁ legitur Hoſ. IX, 2. וּשְׁדֵמוֹת לֹא־עָשָׂה אֹכֶל *Et arva non ferent cibum*, fruges, ut Joel I, 16. וַתַּעַשׂ הָאָרֶץ *Fecit terra* pro *protulit* dicitur quoque Geneſ. XLI, 47. De conſtructione, qua nomen plurale femineum, שְׁדֵמוֹת, junctum ſibi habet verbum ſingulare maſculinum, vid. Schroederi *Syntax*. Reg. LXII. et Storrii *Obſervatt.* p. 381. גָּזַר מִמִּכְלָה צֹאן *Exciſum erit e caula pecus*. Verbum גָּזַר, quod transitivum uſum habere ſolet, ponitur hic intransitive vel imperſonaliter. Sic et Arabes dicere ſolent جَزَرَ اَلْمَآءُ *exciſa eſt aqua*, i. e. defecit. Alii: *abripuit* ſcil. hoſtis vel pabuli defectus. וְאֵין בָּקָר בָּרְפָתִים *Et nullum armentum* ſupererit *in bubilibus*. De voce רֶפֶת, hoc ſolo loco obvia, vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XXXI. T. I. p. 309. edit. Lipſ.

18. Jam animum viresque reſumit propheta, Dei unius praeſidio fretus, certiſſimusque, effecturum eſſe Jovam, ut ipſe pericula evadat, inque tuto loco collocatum ſe eſſe ſentiat. Loquitur autem in nomine pii cujusque e populo. Quamvis, inquit, graviſſimae calamitates me maneant, tamen non dabo me triſtitiae, וַאֲנִי בַּיהוָה אֶעֱלוֹזָה אָגִילָה בֵּאלֹהֵי יִשְׁעִי *ſed ego in Jova exſultabo, tripudiabo in Deo ſalutis meae*, ſpe laetiſſima recreor fretus promiſſis Dei illius, qui mihi ſalutem praeſtare poteſt et certiſſime praeſtabit. Eodem nomine Jova nuncupatur Jeſ. XVII, 10. Mich. VII, 7.

19. יְהוִה אֲדֹנָי חֵילִי וַיָּשֶׂם רַגְלַי כָּאַיָּלוֹת *Deus Dominus* eſt *robur*, praeſidium *meum*, *qui ponet*, reddet *pedes meos inſtar cervarum* veloces, ut alacriter et ſine fatigatione

currens

currens evadam pericula. וְעַל־בָּמוֹתַי יַדְרִכֵנִי *Et ſupra excelſa mea*, i. e. quae me ſervent, *incedere me faciet*, me deducet. Deſumta haec ſunt e Pſ. XVIII, 34., unde etiam nata eſt quaedam lectionis varietas, codicibus nonnullis loco יַדְרִכֵנִי habentibus יַעֲמִידֵנִי, quoniam librariis in animo obverſaretur formula illa Davidica. „*Cerva* poſtquam peperit," inquit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. C. XVII. T. II. p. 255. edit. Lipſ., „hinnulos ſtatim a matre deduci ajunt in loca praerupta et confragoſa, unde invaſores arcere ſuevit, ſaltumque demonſtrat. Vid. Ariſtotelis *Hiſt. Animal.* L. VI. Cap. 29. Atque haec ſunt בָּמוֹת, *excelſa loca*, ad quae ſe, cervorum inſtar, a Deo deductos, et in iis tanquam in tuto collocatos dicunt Davides et Habacucus." Verba poſtrema, לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹתָי, veteres interpretes ad ipſum carminis contextum referunt. LXX: Τοῦ νικῆσαι ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ. Hieronymus: [*Et ſuper excelſa mea ducet me*] *victor in Pſalmis canentem.* Syrus: ܕܐܙܡܪ ܒܬܫܒܘܚܬܗ *ut canam laudes ejus.* Chaldaeus: לְדִילֵיהּ נִצְחָנִין וּגְבוּרָן וּקְדָמוֹהִי אֲנָא מְגַנֵּן בְּתוּשְׁבְּחָתִי *cui ſunt victoriae et virtutes, proinde coram eo ego fides pulſo cum hymno meo.* Hos e recentioribus ſequitur Dathius, qui vertit: *ut meis carminibus eum laudare poſſim*, adſcita lectione לְנַצֵּחַ, et adhibita ſignificatione *laudandi* et *celebrandi*, quam in Syriaca lingua habeat verbum ܢܨܚ. Cui ſententiae tamen ſcite oppoſuit Schnurrerus, primo extra dubitationem non eſſe poſitam, quae verbo Syriaco tribuitur *laudandi* ſignificatio, deinde, duriorem videri omiſſionem pronominis אותו. Schroederus exiſtimat, verbis לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִנוֹתִי deſcribi formulam muſicam, quae, ut alias ſit in fronte carminis poſita, veluti Pſ. IV. VI. aliisque, ad calcem quoque reponi potuerit. Sed quum ſentiat, minus commodum eſſe ſuffixum primae perſonae, haud alienus eſt a lectione בִּנְגִינוֹתָיו, quam Alexandrinus et Syrus expreſſerunt. Schnurrerus ſimiliter putat, clauſulam facere illa verba, quae ad contextum ſermonem haud pertineat;

in hoc enim ſi incidiſſet vates, celebraturum ſemet eſſe carminibus ſuis Jovam, non videri rem tam paucis abſolvere potuiſſe. „Sed," inquit, „ut a recepta lectione recedamus, permovere nos hic non poteſt auctoritas veterum, quos dixeris magis loco qualitercunque perfungi, quam juſtam et accuratam formulae hebraicae verſionem dare voluiſſe. Nobis ſic videtur. Sunt codices haud pauci, qui defectivam ſcriptionem exhibent בנגינתי; poſſis hanc pronunciare בִּנְגִינָתִי, ut Jod nunc non ſit pronomen, ſed mere paragogicum, ut Thren. I, 1. רַבָּתִי pro רַבָּה, adeoque בִּנְגִינָתִי plane idem ſit cum עַל־נְגִינַת Pſ. LXI, 1. At poſtrema haec verba non magis putamus ipſius prophetae eſſe, quam quae in fronte carminis poſita ſunt; quapropter et de his non videtur eſſe magnopere laborandum." De vocibus לַמְנַצֵּחַ et נְגִינוֹת vid. *Prolegg. ad Pſalmos* p. LVI. et LIII. edit. ſec.

CAP.

Cap. III.

1. *Carmen Habacuci prophetae ad Schigionoth.*

2. *Jova! audivi effatum tuum et timui. Jova, opus tuum mediis in annis excitato! mediis in annis ostendito! in indignatione misereri memento.*

3. *Deus ex Themane venit, et Sanctus de monte Pharan; texit coelum ipsius magnificentia, ejusque laude repleta est terra.*

4. *Splendor ceu lumen (solis) erat; radii ab eo emicabant, ubi erat gloriae suae latebra.*

5. *Praecedebat eum pestis, prodibantque ad ejus vestigia aves rapaces.*

6. *Subsistit et dimensus est terram, adspexit et dissolvit gentes, et dissilierunt montes antiqui, subsiderunt colles pristini; pristinis ipse viis incessit.*

7. *Dolore afflicta vidi tabernacula Cuschan, et contremuerunt terrae Midianiticae tentoria.*

8. *Num in fluvios incanduit Jova? num in fluvios irā ista? num in mare saevitia tua fuit? cum inveheteris equis tuis, currus tui venere auxilio.*

9. *Nudatus arcus tuus fuit excitatus, ut tribubus jurejurando promissum erat. Fluviis terram sulcasti.*

10. *Videntes te trepidarunt montes, imber aquosus irruit, edidit vocem suam abyssus, manus in altum sustulit.*

11. *Sol, luna stetit in statione sua, ad lucem missilium tuorum ambulabant, ad fulgoris hastae tuae splendorem.*

12. *In-*

12. *Indignabundus pervadebas terram, iratus trituraba gentes.*

13. *Prodiiſti ad ſervandum tuum populum, ad ſervandum tuum unctum; contudiſti capita eorum qui erant de domo impia; nudaſti* maris *fundum, ad collum* aqua pertigit.

14. *Pertudiſti ipſorum baculis capita ducum iſtorum; turbinis inſtar irruerunt ad me disſipandum, exſultabant quaſi abſumturi inopem in receſſu.*

15. *Inceſſiſti per mare equis tuis, in lutum fluctuum ingentium.*

16. *Audivi et contremuere intima mea, ad vocem iſtam tinniverunt mea labia; pervaſit tabes oſſa mea, labefactisque membris in meis veſtigiis trepido, quod manere debeam usque ad tempus calamitatis, donec veniat contra populum meum, qui eum invadat.*

17. *Etenim ficus haud germinabit, nec erit proventus in vitibus, fallet fructus oleae, et arva non ferent fruges; exciſum erit e caula pecus, armentum non ſupererit in bubilibus.*

18. *At ego per Jovam laetabor, in meae Deo ſalutis exſultabo.*

19. *Jova Dominus eſt robur meum, et reddet pedes meos veloces ut cervarum pedes, et loca mea edita aſſequi me juvabit.*

Praefecto organorum muſicorum. Ad Neginoth.